THEOLOGIA
DOGMATICO-POLEMICA,

QUA

ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES

EX

SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA,

CATHOLICA VERITAS

DEFENDITUR.

AUCTORE

P. CAROLO SARDAGNA

SOCIETATIS JESU,

IN EPISCOPALI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ

THEOL. DOGMATICO-POLEMICÆ PROF. ORD.

ET EXAM. SYNODALI.

TOMUS I.

SECUNDIS CURIS RECOGNITUS,

COMPLECTENS

TRACTATUM I. DE DEO EJUSQUE CHRISTO.

Editio Secunda.

POLOCIÆ,

TYPIS COLLEGII SOC. JESU. 1810.

CENSURA
ET
APPROBATIO.

Conceditur facultas, ut hæc Theologia Dogmatico-Polemica, ab ejusdem Professore Ordinario in hocce Episcopali Lyceo R. P. Carolo Sardagna, Societatis Jesu Presbytero, ad discentium usum clare ac solide conscripta, cum Fidem Orthodoxam strenue defendat; nec etiam mores offendat, typis publicis imprimi possit. Datum in Curia Episcopali Ratisbonensi, die VI. Martii, 1769.

ADAMUS ERNESTUS,
Episc. Abilenæ, Suffrag. & Præses Consist. Cons. Int. Actual. & Cathedr. Eccles. Canonicus Capitularis, m. p.

L. S.

Joannes Bapt. Kleirl.
SS. Theol. & J. U. Licent. Consil. Eccl. Act. Director Canc. Authrte Aplca & Curiæ Episc. publ. ac juratus Notarius,
m. p.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

493914

K. 594/77

PRÆFATIO AUTHORIS.

Lauca præfari cogor, Lector Benevole, quibus conſilii mei rationes, ordinem Operis, & quæ ad illud pertinent penitius cognoſcas. Theologiam hanc Dogmatico-Polemicam eorum potiſſimum commodo elucubravi, qui in Lyceis Societati noſtræ concreditis, præter ſolita Theologiæ Caſuiſticæ Juriſque Pontificii ſtudia, perdiſcendis etiam Fidei Controverſiis toto ea tempore ad Sacerdotium præparantur. Gemina autem me ad ſcribendum cauſa impulit. Prima, quod adhibita licet in perquirenda non mediocri diligentia, neminem omnium invenerim, qui neque decumanis tomis, nec gracili nimis ac macilenta compen-

pen-

pendio pulcherrimam illam ac saluberrimam Theologiæ partem, qua veteres navique Sectariorum errores profligantur, ita fuerit complexus, ut Polemicis prælectionibus commode queat inservire. Altera, quod non inutilem, immo Christianæ Reipublicæ maxime proficuam fore repetitam rerum sacerrimarum tractationem intelligam, quas hæresis & impietas, aperto etiam bello, incredibili pestilentissimorum librorum exercitu, identidem subruere vehementissime nititur. Cur enim veræ germanæque Religionis vindices taceamus, ne argumenta proferenda, quæ antea plurimi protulerunt, actum agere videamur, quando ejus hostes nefarii eadem iterum atque iterum proferre contra ipsam sophismata non verentur?

Novi in hac Theologia invenies nihil, quod a doctissimis Viris scriptum antea non fuerit. Apes mihi imitandas propasui, quæ haustum ex lectissimis floribus succum in alveare suum deferunt. Totum

hoc,

hoc, quantumcunque eſt, deprompſi ex Beltarmino, Petavio, Valentia, Gretſero, Suario, Simonneto, Natale Alexandro, Drouvenio, Cabaſſutio, Fontaine, Alticotio, Becano, Maffeio, Turnelio, Haberto, Antoine, Binero, Bollandianis aliisque Viris Clariſsimis, quorum magiſteria, pro ingenii mei imbecillitate, proficere ſum conatus, quasque variis in locis per decurſum Operis coronato fonte ſæpius laudavi.

Octo tomulis univerſum Opus comprehenditur. I^mus *continet Tractatum de Deo & Chriſto.* II. *Tractatum de vera Religione, Verbo Dei, ac priorem partem de Eccleſia.* III. *poſteriorem.* IV^tus. *agit de Peccatis, bonis Operibus, & Libero arbitrio.* V. *de Gratia Chriſti, Juſtificatione, & Prædeſtinatione.* VI. *de Sacramentis in genere, item de Baptiſmo & Confirmatione ſpeciatim.* VII. *de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, & Miſsæ Sacrificio: item de Sacramentis extremæ Unctionis & Ordinis.* VIII. *denique de Sacramen-*

mentis Pœnitentiæ, & Matrimonii. Conſtitueram in altera editione Theologiæ huic Dogmatico-Polemicæ Indiculum præfigere Patrum ac veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui a Chriſtianæ Religionis incunabulis ad tempora uſque BB. Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ Eccleſiam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, ordine alphabetico digeſtum; ut quorum teſtimonia in hoc Opere ſæpiſsime occurrunt, vita, ætas, & ingenii non minus quam Chriſtianæ doctrinæ monumenta uno velut intuitu conſpiciantur. At cum Indiculus hic, quamtumvis pro eo ac poteram brevitati ſtuderem, ſenſim tamen ita ſuccreſceret, ut primum hujus Theologiæ tomulum ſuperaturus aut certe æquaturus videretur, aliud inii conſilium, ſtatuique ſeparato volumine id præſtare.

Concluſiones tantum non omnes ſunt dogmaticæ, quibus Catholica veritas a Sectariorum criminationibus vindicatur: pauciſsimæ ſunt inter ipſos Catholicos, ſalva

fide

fide ac charitate, controverſæ, quas tamen omnino negligere aut præterire piaculo mihi duxi; tum quòd a veteribus Theologiæ Polemicæ Magiſtris ſolemni more ac inſtituto de illis diſputatum fuerit: tum quòd ob intimam cum revelatis Fidei Myſteriis connexionem, eam certitudinem ſint conſecutæ, ut contraria opinio, ſalva quidem fide, non tamen abſque nota aliqua aut erroris ſuſpicione, plerumque defendi queat. Additæ ſunt non infrequenter, ubi locus exigebat, per modum quæſiti, ut ſcholaſtica utar phraſi, aſſertiones quædam, quibus & Catholicum dogma uberius illuſtratur, & Theologorum concertationes intento velut digito deſignantur.

Methodo uſus ſum ſcholaſtica, quæ ad inquirendam veritatem, ad ſtabilienda Sacroſanctæ Fidei noſtræ dogmata, ad retegendas Sectariorum fraudes ac ſophiſmata, præ reliquis omnibus aptiſsima mihi videbatur. Status nempe quæſtionis Novato-

res inter & Catholicos controversæ diligenter figitur, Sectariorum errores recenſentur, Catholica aſsertio ſelectiſsimis Scripturarum, Patrum, ac Conciliorum textibus communitur, aſsignata etiam, ubi fieri id oportuit, ſtatione ſua rationi Theologicæ. Perſpicue, ſolide, omiſsis levioribus argumentis, neque ineruditè diſſererè ſum conatus. Num id præſtiterim, æquum eſto Lectoris judicium.

Patres, Apoſtolicæ doctrinæ integerrimi cuſtodes, utramque faciunt paginam; non quidem eo conſilio ut diſcentium memoria decumana textuum cumulo oneretur; ſed ut traditionis ſeries jam inde ab Apoſtolicis ad viciniora uſque nobis tempora dignoſcatur; promptuarium habeant diſcipuli, ex quo, data occaſione, tela jugulandis Novatorum erroribus idonea depromant. Fateor, complura ſunt Patrum loca, quæ non ex ipſis fontibus (Auguſtinum excipio, quem exactiſsime ſemper conſului) ſed ex Petavio, aliisque

que probatissimis auctoribus, summa tamen fide descripsi; quorum spectatissima integritas ac doctrina nullum fraudis alicujus suspicioni locum reliquit. Neque id mihi vitio vertendum fore confido; tanta enim mihi librorum copia non fuit, neque publicis docendi laboribus distento tantum otii, ut tametsi id vehementer cuperem, infinita propemodum Patrum loca cum ipsis fontibus semper conferre licuerit.

Neque illica reprehensione dignum, aut oscitantiæ malæque fidei reum me pronunciabit æquus Lector, si ea Patrum testimonia, quæ in Opere hoc laudavi, citato loco, capite, aut Epistola, quandoque non deprehendat. Norunt optime eruditi, ordinem Epistolarum Hieronymi, Augustini, Leonis, Gregorii, alium nunc esse ac olim fuerat: Irenæi Libros adversus Hæreses in pauciora capita nunc divisos esse, ac vetus editio præferebat: Eusebii, Socratis, ac Sozomeni Historiam Ecclesiasticam, coris Valesianis editam, non eum servare capi-

capitum ordinem, quem in verſione Joannis Chriſtopharſoni cernimus. Et quæ plura ſunt hujuſmodi. Quod ſi utriuſque editionis, novæ & veteris, diſcrimen ſemper indicandum fuiſſe contendas in tam ſpiſſo Opere, in quo plurima paſſim occurrunt Patrum teſtimonia; ajo, rem fore tædii plenam, mihique impoſſibilem, quod utraque editio, & nova & vetus, ſæpiſſime ad manus non fuerit.

Habita fuit etiam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ratio, eaque non adeo exigua. Illud enim ſemper animo ſenſi, Theologum eſſe, ac dici non poſſe qui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cognitione careat, atque infeliciter plerumque cum Novatoribus congredi, qui diligentem huic ſtudio operam non antea navaverit. Celebriorum itaque hæreſum initium, progreſſum, proſcriptionem, res in Oecumenicis Conciliis geſtas, Sectariorum inſidias, fraudes, mendacia, compendia quidem, non tamen exangui ac macilenta exhibui. Summorum Pontificum,

San-

Sanctorum Virorum, ac Synodorum famam ab impactis Sectariorum criminationibus suo loco vindicavi, non exlegi quorumdam atque infrunita, etiam Catholicorum quandoque, calumniandi libidine, aut aliis placendi studio abreptus; sed veritatis honestate ductus, Clarissimorum Virorum vestigiis insistens, quorum immortalia extant in Ecclesiasticam Historiam merita.

Neque ita cum ævi nostri Sectariis pugnandum esse censui, ut veterum hæreticorum memoriam reformidarem, nobilissimasque de illis victorias ab Ecclesia relatas silentio præterirem: tum quod nobiliores omnes Fidei Controversias, quotquot a primis ad nostra usque tempora exortæ sunt, his libris complecti statuerim: tum quod nostrorum temporum sectæ nil aliud sint, quam veterum hæreticorum crambe, palliumque ex variis illorum centonibus confutum.

Habes, Lector Benevole, Theologiæ hujus Dogmatica-Polemicæ scopum, ordinem,

nem, divisionem, modum. Quod si, præter mentem, imprudens in errorem lapsus essem, me, tenuesque hos labores meos, sinceriſsimo affectu totaque mente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ Ecclesiarum omnium Mater & Magistra est, pro qua sanguinem & vitam dare DEO adjuvante paratus sum, censuræ subjicio. Quidquid illa tenendum præscripserit, firmissime teneo, ut genuinum Ecclesiæ filium decet: quidquid illa damnandum judicaverit, damno, execror, detestor, atque anathematizo. Ego enim, ut cum Hieronymo Doctore Maximo, loquar, Epist. XIV. *ad Damasum:* Nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione Consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.

INDEX

INDEX
CONTROVERSIARUM,
quæ
in primo Tomo continentur.
DE DEO ET CHRISTO.

ARTICULUS I.
DE DEO UNO, EJUSQUE PERFECTIONIBUS.

CONTROVERSIA I.

AN EXISTAT DEUS UNICUS IN NATURA? Num. 1.

CONCLUSIO. Deus existit unicus in natura, & singularis, ita ut impossibile sit plures Deos dari. 4.

CONTROVERSIA II.

DE INFINITA DEI PERFECTIONE. 22.

CONCLUSIO. Deus in omni genere perfectionis est infinite perfectus. 23.

CONTROVERSIA III.

DE SPIRITUALITATE DEI. 31.

CONCLUSIO. Deus non est corporeus, sed purissimus Spiritus. 32.

CONTROVERSIA IV.

DE DEO SUMMO BONO NOSTRO. 37.

CONCLUSIO. Beatitudo creaturæ rationalis non consistit in voluptatibus carnis, nec in ullo bono creato, nec in cumulo omnium rerum creatarum, sed in solo Deo. 38.

ARTI-

ARTICULUS II.

DE DEO TRINO.

CONTROVERSIA I.

AN DEUS EXISTAT UNUS IN NATURA, ET TRINUS IN PERSONIS? 48.

CONCLUSIO. Existit Deus unus in natura, & trinus in Personis. 50.

CONTROVERSIA II.

AN SPIRITUS SANCTUS SIT VERUS DEUS, PATRI AC FILIO CONSUBSTANTIALIS? 70.

CONCLUSIO. Spiritus Sanctus est verus Deus, ideoque Patri ac Filio consubstantialis. 71.

CONTROVERSIA III.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO. 84.

CONCLUSIO. Spiritus Sanctus non a Patre tantum, sed etiam a Filio procedit. 86.

QUÆSITUM I. Quid de tempore sentiendum sit, quo Symbolo CPolitano facta fuit additio vocis *Filioque*? 90.

II. Cur processio Spiritus Sancti a Patre & Filio non sit generatio? 91.

ARTICULUS III.

DE CHRISTO.

CONTROVERSIA I.

AN CHRISTUS, QUA VERBUM, PER ÆTERNAM GENERATIONEM PROCESSERIT A PATRE DEO? 101.

CONCLUSIO. Christus, Qua Verbum, per æternam generationem procedit a Patre Deo, ideoque extitit antequam e B. V. nasceretur. 110.

CON-

CONTROVERSIA II.

AN CHRISTUS SIT VERUS DEUS, PATRI CONSUBSTANTIALIS? 124.

CONCLUSIO. Christus est vere ac proprie Deus, Patri Consubstantialis. 124.

CONTROVERSIA III.

AN MESSIAS IN LEGE PROMISSUS ADVENERIT, ISQUE ALIUS NON SIT QUAM JESUS CHRISTUS? 147.

CONCLUSIO. Messias in lege promissus jam dudum advenit, isque alius non est quam J. C. 147.
QUÆSITUM I. Quid intelligatur per vocem *Schevet*, sive *Sceptrum*? 149.
II. An Jacobi vaticinium referendum sit ad solam Tribum Juda, vel etiam ad reliquas Tribus, & totam nationem Judaicam? 150.
III. Quinam genuinus sit horum verborum sensus Genes. XLIX. *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus?* 151.

CONTROVERSIA IV.

AN CHRISTUS VERUM CORPUS DOLORIBUS OBNOXIUM, ET ANIMAM RATIONALEM ASSUMPSERIT? 167.

CONCLUSIO I. Christus verum corpus assumpsit, non phantasticum. 170.
CONCLUSIO II. Christus assumpsit corpus passibile, fuitque doloribus vere obnoxius. 171.
CONCLUSIO III. Verbum in Incarnatione animam humanam rationalem vere assumpsit. 173.

CONTROVERSIA V.

AN CORPUS CHRISTI FORMATUM FUERIT IN UTERO B. MARIÆ EX EJUS SUBSTANTIA, 182.

CONCLUSIO. Corpus Christi formatum fuit in utero B. Mariæ ex illius substantia. 183.
QUÆSITUM I. An Humanitas Christi in aliquo instanti reali temporis extiterit in utero Virginis ante unionem cum Verbo? 184.
II. An solum Verbum assumpserit humanitatem? 185.

III. An Verbum aſſumpſerit corpus mediante anima? 186.
IV. An Verbum divinum non modo carnem & animam rationalem, ſed etiam oſſa, carnem, venas, arterias, ſanguinem, aliasque partes integrales naturæ humanæ per unionem phyſicam immediate aſſumpſerit? 187.
V. An unio hypoſtatica, Verbum inter & humanam naturam, ſit indiſſolubilis? 188.

CONTROVERSIA VI.

AN CHRISTUS NATUS SIT EX MARIA SEMPER VIRGINE? 195.

CONCLUSIO I. B. Maria, Virgo fuit ante partum, illæſaque prorſus virginitate Chriſtum de Spiritu Sancto concepit. 199.
CONCLUSIO II. B. Maria, Virgo fuit in partu. 200.
CONCLUSIO III. B. Maria, ſemper fuit Virgo, etiam poſt partum. 201.

CONTROVERSIA VII.

AN IN CHRISTO UNICA TANTUM DETUR PERSONA? 214.

CONCLUSIO I. Verbum per veram, realem, ac phyſicam unionem unitum fuit ſanctiſſimæ humanitati. 228.
CONCLUSIO II. In Chriſto unica tantum datur perſona, nempe divina. 232.
CONCLUSIO III. B. Virgo vere proprieque Mater Dei ΘΕΟΤΟΚΟΣ dicenda est. 236.

CONTROVERSIA VIII.

AN CHRISTUS, QUA HOMO, FUERIT FILIUS DEI ADOPTIVUS? 248.

CONCLUSIO. Chriſtus, qua homo, proprius ac naturalis fuit Dei Filius. 251.

CONTROVERSIA IX.

AN IN CHRISTO DUPLEX DETUR NATURA, DIVINA ET HUMANA, IMPERMIXTA ET INCONFUSA? 266.

CONCLUSIO. Duplex in Chriſto datur natura perfecta, divina & humana, ſalvis utriusque proprietatibus, id eſt, inconfuſa & impermixta. 279.

CON-

CONTROVERSIA X.

AN IN CHRISTO DETUR DUPLEX VOLUNTAS, ET OPERATIO? 290.

CONCLUSIO. Duplex in Chriſto fuit voluntas & operatio, divina nempe & humana. 295.

APPENDIX.

DE HONORIO I. ROMANO PONTIFICE. 305.

QUÆSITUM I. An Honorius lapſus ſit in hæreſin Monothelitarum? 305.

II. An geminæ Epiſtolæ Honorii ad Sergium ſint genuinæ? 306.

III. An Honorius in ſupprimenda hæreſi Monothelitica ſaltem negligentiæ ſit arguendus? 307.

IV. An, & quo jure a Synodo VI. damnatus ſit ut hæreticus? 308.

V. An Romani Pontifices ratam habuerint damnationem Honorii, factam a VI. Synodo? 310.

CONTROVERSIA XI.

AN IN CHRISTO DETUR COMMUNICATIO IDIOMATUM IN ABSTRACTO? 315.

CONCLUSIO. In Chriſto non datur communicatio idiomatum in abſtracto inter naturam divinam & humanam: ideoque natura Chriſti humana non poteſt dici ubique præſens. 321.

CONTROVERSIA XII.

AN CHRISTUS PRO PECCATIS NOSTRIS VERE AC PROPRIE SATISFECERIT? 335.

CONCLUSIO. Chriſtus pro peccatis noſtris vere ac proprie divinæ juſtitiæ satisfecit. 338.

QUÆSITUM. An Chriſtus Mediatoris officio functus fuerit, & pro nobis ſatisfecerit ut homo tantum? 341.

CONTROVERSIA XIII.

AN DEUS VELIT SERIO OMNES HOMINES, ADULTOS ET PARVULOS, SALVOS FIERI: ET AN CHRISTUS PRO OMNIBUS SIT MORTUUS? 354.

CONCLUSIO I. Deus, ſupposito etiam peccato Originali, voluntate beneplaciti, ſeria & antecedente, vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri; ita ut per ipſum non ſtet, quo minus omnes ſalvi fiant. 358.

CONCLUSIO II. Chriſtus pro omnibus omnino, & ſingulis hominibus mortuus eſt. 363.

CONCLUSIO III. Beneficium mortis Chriſti, ac ſeria & antecedens Dei voluntas ut omnes homines ſalvi fiant, extendit ſe etiam ad parvulos, ſive intra ſive extra uterum maternum ſine baptiſmo ex hac vita decedentes. 370.

CONTROVERSIA XIV.

AN CHRISTUS IN CRUCE DESPERAVERIT, ET AN POST MORTEM VERE AD INFEROS DESCENDERIT? 385.

CONCLUSIO I. Chriſtus in Cruce non deſperavit, nec pœnas damnatorum pertulit. 386.

CONCLUSIO II. Anima Chriſti, poſteaquam in morte ſeparata fuit a corpore, vere ad inferos deſcendit. 387.

THEOLOGIÆ
DOGMATICO - POLEMICÆ
TRACTATUS I.
DE
DEO, EJUSQUE CHRISTO.
ARTICULUS I.
DE DEO UNO, EJUSQUE PERFECTIONIBUS.

DEUM existere Ens perfectiſsimum, supremamque rerum omnium causam, naturæ vox est adeo clara & perspicua, ut ipse Marcus Tullius Lib. I. Quæst. Tuscul. scribere non formidaverit: *Firmiſſimum hoc afferri videtur, cur Deos eſse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava ſentiunt; id enim vitioſo more effici ſolet: omnes tamen eſse vim & naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus: omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt.* Nobis satius visum est ab hac veritate demonstranda omnino abstinere; quod Theologiæ Studiosis opusculum hoc sit inserviturum, qui in Philosophicis jam scholis

omni

omni argumentorum genere Atheorum tela contriverunt.

CONTROVERSIA I.

AN EXISTAT DEUS UNICUS IN NATURA?

CONTRA ETHNICOS, VALENTINUM, MARCIONEM, MANICHEOS.

Quinam dicantur Polythei?

1. Polythei vocantur ii, qui cæca ducti superstitione pro arbitrio suo plures colunt Deos, cultum divinum, atque omnino indebitum, creaturis deferentes. Primi idololatræ fuerunt Chami nepotes post diluvium, quos subsecuti sunt Ægyptii, aliæque gentes, atque has inter ipsi etiam Judæi sæpius, ac præcipue Romani, qui triginta Deorum millia adorasse dicuntur. De prodigiosa hac Deorum apud Romanos multitudine scribit Tertull. in Apologetico, Cap. X. *Nunc ergo per ſingulos decurram, tot ac tantos, novos, veteres, ſervos, barbaros, Græcos, Romanos, peregrinos, captivos, adoptivos, propríos, communes, maſculinos, fœminas, ruſticos, urbanos, nauticos, militares &c.* Et S. Leo M. Serm. I. in Nat. SS. Petri & Pauli: *Hæc autem Civitas - -* (Romana) *cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.*

Cauſæ Polytheiſmi.

2. Idololatriæ causas quod attinet, variæ aſsignantur. I^ma est generalis hominum corruptio ac perversitas, ex primæva labe contracta, unde veri Dei oblivio. II. Malitia dæmonis ob affectatam divinitatis similitudinem puniti. III. Infirmitas ac indigentia hominis, qui, cum multis prematur malis, patronos undique conquirit, eosque ut Deos colit, a quibus beneficia se putat accepiſse. IV. Quæsita ex Deorum exemplo in patrandis sceleribus securitas, & auctoritas: nullum autem tam immane crimen excogitari potest, cujus rei non fuerint Dii Gentilium, ut ipsis exprobrat Tertull. in Apologetico. V. Perperam intellecta sapientum doctrina, qui varia

Deo

Deo tribuebant nomina. VI. Ambitio Regum, & adulatio populorum. Hinc Romani Impp. post mortem paſsim inter Deos referebantur, erectis templis & constitutis Flaminibus. VII. Immodicus amor parentum erga liberos, & liberorum erga parentes.

3. Geminas in claſses dividuntur Polythei. Ima est eorum, qui turpi superstitione obcæcati, verique Dei cognitione destituti, plures colebant Deos. Ad IIdam pertinent illi, qui per baptismum Christo jam authorati Christianam fidem immani flagitio fœdabant, creaturas in consortium Divinitatis admittentes. Valentinus Ægyptius, Antonini Imperatoris temporibus, e Platonico Christianus, ac demum Episcopatus ambitione, cujus repulsam paſsus fuerat, ad hæresin confingendam impulsus, docuit plura eſse rerum principia, ac duos potiſsimum Deos, quorum unum vocavit *Profundum*, alterum *Silentium:* unum masculum, alterum fœminam, ex quibus triginta Deos, quos Æonas, sive sæcula nominavit, proceſsiſse dixit, ut referunt S. Irenæus Lib. I. adv. Hær. Cap. I. S. Epiphanius Hær. XXXI. Gnostici duce ac magistro Carpocrate Alexandrino, ut narrat August. Lib. de Hær. Cap. VI. duos Deos eſse putáverunt, unum bonum & alterum malum. Cerdo Hygini Pontificis Maximi tempore e Syria Romam profectus, aſseruit teste Eusebio, Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. X. Deum a Lege & Prophetis prædicatum, non eſse Patrem Domini nostri Jesu Christi; illum enim cognitum, hunc autem obscurum & ignotum: illum justum & severum, hunc bonum & benignum fuiſse. Eisdem temporibus Marcion Synopensis Ponticus, quem primogenitum diaboli appellabat S. Polycarpus Smyrnensium Episcopus, duos Deos admisit, unum bonum, alterum malum, cui mundi hujus aspectabilis creationem tribuit: unum visibilium, alterum invisibilium factorem: unum Deum Legis, alterum Deum Evangelii. Idcirco Cain, Esau, Dathan, Abirron, Sodomitas, ac nationes omnes, quibus Judæorum Deus ignotus fuit, a Domino salvatas docuit; Abel vero, Enoch, Abra-

Hæretici Polytheismi aſſertores.

Abraham, aliosque Patriarchas & Prophetas salutem consecutos non fuisse, quia Judæorum Deum agnoverunt, ejusque secuti sunt instituta, cum se potius alteri illi Deo, qui videri oculis nequit, addicere debuissent. Fanatici hujus Hæresiarchæ amentiam Tertullianus editis quinque libris castigavit. Sæculo III. eamdem fere crambem, Probo imperante, recoxit Manes, seu Manichæus, natione Persa, conditione servus, qui & Curbicus dicebatur. Admittebat hic duo rerum principia æterna, sibi invicem contraria, duasque naturas & substantias, unam boni, alteram mali: duas item terras conterminas, terram lucis, & terram tenebrarum: mundum vero istum non ex nihilo factum, sed ex permixtione boni & mali concretum: ipsum etiam hominem constare ex duobus principiis, ex bono quidem secundum animam, ex malo autem secundum corpus. Manichæis adhæserunt Priscillianus Hispanus Abulæ Episcopus, & Albigenses. Vide pereruditam Laurentii Alticotii Disertationem de antiquis novisque Manichæis.

Plures non dari Deos sana ratio docet.

4. Conclusio. Deus existit unicus in natura, & singularis, ita ut impossibile sit plures dari Deos. Demonstratur evidens hæc Conclusio I. Deus est Ens summum, perfectissimum, quod cæteris rebus omnibus anteponitur; hunc enim conceptum de Deo habuerunt, habentque nationes omnes; quique admitteret dari Deum, sed non esse Ens summum, perfectissimum, admitteret existentiam Dei, negaretque ejus essentiam: quod nil aliud foret, quam admittere simul, ac negare dari Deum. Ergo cæteris omnibus, a se natura distinctis imperat. P. C. Imperare cæteris, a se natura distinctis est magna perfectio, & melius quid quam non imperare. Ergo hæc perfectio Deo; utpote Enti summo ac perfectissimo, tribuenda est. P. A. Melius est non habere parem, & alia omnia infra se, quam habere parem, & juxta se. Ergo. Atqui si Deus cæteris omnibus a se natura distinctis imperat, illi qui obediunt, non sunt Dii. Ergo. Atque hoc argumento usus est Tertull. Lib. I. contra

contra Marcionem, Cap. III. *Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adæquabitur; & si adæquabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, & ut ita dicam lege, quæ summo magno nihil finit adæquari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum.*

5. Ostenditur II. Argumento Lactantii Instit. Div. Lib. I. Cap. III. Deus unus sibi & mundo sufficit; alias si existentiam non haberet a se ipso, & si solus mundum creare, gubernare, & conservare non posset, minime foret Ens perfectissimum, ideoque nec Deus. Ergo alii Dii sunt inutiles; quia virtutes & causæ multiplicari non debent, nisi ubi una impar agnoscitur producendis effectibus. Atqui si alii Dii sunt inutiles, tunc non sunt Dii; quia impossibile est, ut Ens summe perfectum sit inutile, cum ex natura sua sit Ens summe necessarium.

6. Ostenditur III. Si plures Dii mundum regerent, omnes essent liberi; est enim libertas magna perfectio Divinitatis. Quæro igitur, vel possent velle pugnantia, vel non possent? Si dicas, posse. Velit ergo unus solem moveri, & alter velit esse immobilem, uter in ea contentione prævalebit? Uterque prævalere non potest, quia pugnantia volunt: superest ergo, ut vel unus prævaleat, in qua suppositione apparet imbecillitas alterius: vel prævaleat neuter, in quo casu uterque est impotens, qui facere non possit quod velit. Si autem eos neges posse velle pugnantia, ajo omnino videri impossibile, quod voluntates perfecte liberæ ad idem volendum semper necessitentur. Confirmari id argumentum potest multiplici similitudine, quam Lactantius affert Lib. de Ira Dei, Cap. XI. *Non possunt in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi Domini, nec in una navi multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi Reges; sed nec in cœlo multi soles esse poterunt, sicut nec*

animæ plures in uno corpore: adeo in unitate naturæ universa consentit.

Argumenta contraria refutantur.

Neque Polytheismo patrocinatur præscriptio.

7. Objicitur I. a Gentilibus Antiquitas, Polytheismus est antiquissimus. Ergo præscripsit unitati Dei. R. I. Quamvis ille antiquus sit, longe tamen antiquiorem fuisse unius veri Dei cultum, qui ab Adamo usque ad Nemrodum viguit, per annos facile 1800. R. II. N. C. Mendacium veritati præscribere nequit, neque ulla ei temporis diuturnitas suffragatur.

Sensus communis.

8. Objic. II. Sensus communis. Polytheismus fuit omnium gentium opinio: atqui omnes fere gentes conspirare in errorem non possunt; secus natura humana pessime foret constituta. Ergo. R. D. M. Polytheismus interior & mentalis fuit omnium fere gentium opinio, N. M. Exterior & verbalis, subdist. Fuit opinio plurimarum gentium, C. M. Omnium aut fere omnium, N. M. Ab orbe condito ad ædificatam usque turrim Babylonicam unius veri Dei cultus constanter viguit: exorta vero linguarum confusione idololatria irrepsit, non tamen ita, ut omnes populi hac peste infecti fuerint. Semper enim multi extiterunt, qui publicum unius Numinis cultum sunt professi, prouti docent libri Hebræorum, & Sinensium Annales, qui per bis mille annos unum cœli Dominum fuisse adoratum memorant. Præterea ex ipsis etiam Gentilibus sapientiores, ut de Socrate, Cicerone &c. constat, risere pluralitatem Deorum; ideoque Ciceronis libri de natura Deorum, tamquam in Deos contumeliosi, Diocletiani temporibus cum aliis Christianorum libris combusti fuerunt. Immo Gentiles, teste Orosio, vi argumentorum quibus a Christianis stringebantur adacti, non semel declararunt, se non plures Deos colere, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari.

9. Objic.

9. Objic. III. Prodigia. Polytheismus multis confirmatus fuit prodigiis. Ergo. P. A. Deorum ſtatuæ oracula edebant & responsa: Prodigia a Vestalibus edita memorat Livius: Apollonii Thyanæi admiranda miracula recenset Philostratus in ejus Vita. R. N. A. Ad *probat.* R. nulla fuiſse miracula, sed fraudes & præstigias dæmonum, vimque totius naturæ creatæ non superaſse. Oracula & responsa Deorum vel ab ipsis Sacrificulis, vel certe a dæmonibus edebantur, plerumque obscura & ambigua, ut quamcunque in partem sors caderet, imperita ac stolida plebs deciperetur. Quæ fides adhibenda sit mendaciſsimo Philostrato Apollonii Magi laudatori, solide ostendit Eusebius Cæsariensis Lib. contra Hieroclem: Quæ vero a Vestalibus patrata sunt prodigia, vel dæmonum vires non superabant, vel in commendationem Virginitatis ab ipso Deo patrari potuerunt. Hoc enim vero maximum atque illustriſsimum fuit prodigium, quod universus propemodum orbis Christianam fidem. pravis animi cupiditatibus adeo adversantem, depulsa superstitione, cui quam diutiſsime aſsueverat, amplexus sit, Crucemque adoraverit, quæ Judæis erat scandalum, & Gentibus stultitia. *Prodigia.*

10. Objic. IV. Scriptura, in qua Dei appellatio pluribus tribuitur. Psal. LXXXI. v. 6. *Ego dixi: Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Exod. VII. v. 1. *Dixit Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* I. ad Cor. VIII. v. 5. *Sunt qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra, ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi.* R. D. A. Appellatio Dei in Scriptura pluribus tribuitur in sensu proprio, N. A. In sensu improprio, C. A. Prophetæ in Scripturis Dii vocantur propter futurorum notitiam ipsis a Deo revelatam: Judices propter auctoritatem vitæ & necis: Justi propter inhabitantem in ipsis Spiritum Sanctum, qui eos efficit divinæ consortes naturæ: Moyses Deus Pharaonis constituitur propter specialem potestatem ac virtutem, quam in Regem illum exercuit: Angelus aliquando in veteri testamento Deus vocatur, *Scripturarum auctoritas.*

quia nomine & auctoritate Dei loquebatur, ejusque personam sustinebat. Paulus non ex propria sententia, sed ex falsa Gentilium opinione loquitur; statim enim addit: *Nobis tamen unus Deus.*

Mysterium Trinitatis. 11. Objic. V. Mysterium Trinitatis. Ipsi Christiani admittere debent dari plures Deos. Ergo. P. A. In Trinitate quælibet persona est Deus. Ergo cum tres sint personæ, tres etiam erunt Dii. *Conf.* I. Unaquæque ex tribus personis est Summum magnum. Ergo tria dantur Summa magna. *Conf.* II. Personæ Divinæ a se invicem distinguuntur. Ergo si quælibet persona est Deus, dantur tres Dii. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Quælibet persona est idem Deus, quia in illis tribus personis unica est eademque natura divina. Igitur cum natura divina non multiplicetur, Deus, quod concretum naturæ est, multiplicari non poterit. Ad I. *confirmationem* C. A. N. C. Personæ Divinæ sunt unum summum magnum, quia ut paulo ante diximus, eadem est Personarum Divinarum natura & essentia. Ad II. D. A. Personæ Divinæ a se invicem distinguuntur personalitate, C. A. Substantia & natura, N. A. & C.

Aut allatæ a nobis rationis infirmitas. 12. Objic. VI. Infirmitas II. argumenti. Si secunda ratio a nobis in probatione assignata, robur aliquod haberet, sequeretur mundum non fuisse conditum a tribus personis divinis, sed tantum ab una. Atqui. Ergo. P. M. Vel una persona divina sufficiens fuit ad mundi productionem, vel non? Si sufficiens fuit, aliæ personæ sunt inutiles. Ergo non dantur: Si una persona non fuit sufficiens, quælibet persona non erit omnipotens. Ergo. R. N. M. Ad *probat.* N. suppositum, quod personæ divinæ produxerint mundum, quatenus personæ sunt; sed produxerunt hunc mundum, conservant & administrant, quatenus sunt natura divina, & unus Deus; ideoque Lateranense IV. Cap. *Firmiter*, dicit: *Natura Divina, quæ sola est universorum principium.*

Frustra Marcionitæ Script. 13. Objic. VII. a Marcionitis auctoritas Scripturæ. Deus creator ab initio jam severus erat, ut osten-

turarum auctoritatem.

ostenditur ex pœna Adami, Gigantum, & Sodomitarum. Ergo duo dantur Dii, bonus & malus. II. Amos III. dicitur: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Et Jsajæ XLV. *Ego Dominus creans malum.* III. Exodi XX. *Ego ſum Deus, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios.* IV. Multos cibos populo Judaico prohibuit, eumque oblationum & sacrificiorum onere prægravavit. V. II. ad Cor. IV. dicitur: *In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium.* Ergo præter Deum bonum datur Deus hujus sæculi, qui spiritalis cæcitatis, omniumque malorum est causa. VI. Matth. VII. proponitur duplex arbor, una bona, altera mala, quæ duplicem Deum repræsentat, unum bonum, alterum malum: bona autem arbor non facit fructus malos. Ergo Deus, qui facit fructus malos, non est bonus Deus. Sed Deus creator malos fructus facit; ipse enim se profitetur conditorem malorum. Ergo. R. D. A. Ab initio jam severus erat, ex causa & legitima ratione, quia delicto creaturæ provocatus, C. A. Absque causa & legitima ratione, N. A. & C. Egregie hanc Marcionis criminationem retundit Tertull. Lib. II. adversus illum: *Usque ad delictum hominis, Deus a primordio tantum bonus, exinde judex & ſeverus. - - - Ita prior bonitas Dei, ſecundum naturam; ſeveritas poſterior ſecundum cauſam: illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accomodata. - - Deus igitur ſævus non eſt, ſed juſtus. Juſtitiam malam nemo dixerit, quæ malo non favet, nemo non bonam, quæ bono proſpicit: omne quippe opus juſtitiæ, procuratio eſt bonitatis.* Præterea Dei severitas & in peccatores animadversio bonitatis ipsius consilia juvat, quia pœnarum timor homines a malo avertit. Ad II. R. sermonem ibi esse de malo pœnæ, quæ Deo tamquam auctori adscribitur, non vero de malo culpæ. Atqui sola culpa est malum absolute, vere ac proprie tale; non autem pœna, quæ justitiam Dei manifestat, & hominem sæpe ad saniora perducit, sicque rationem boni induit. Ad III. R. id locum habere

habere in eo tantum casu, quo filii parentum peccata imitantur. Ad IV. R. certos cibos Judaico populo interdictos fuisse tum ob mysticam significationem, tum ut abstinentiæ beneficio populus electus formaretur ad cæteras virtutes. Multitudinem Sacrificiorum & oblationum quod spectat, Deus illa imperavit, ut Judæos his observantiis illigatos ab idololatria in quam propensi erant avocaret. Ad V. Respondet S. Jrenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. VII. in hoc S. Pauli loco, ut in pluribus aliis, hyperbaton esse, seu vocis transpositionem, ita ut *το hujus sæculi* referendum sit ad hæc verba, *infidelium mentes;* huncque illius sententiæ sensum esse: *Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi.* Alii, quibus favere videtur S. Augustinus Lib. XXI. contra Faustum, Cap. IX. per Deum hujus sæculi non intelligunt Creatorem, sed diabolum, qui mentes infidelium malis suasionibus excæcat; Deusque vocatur, non quod talis revera sit, sed quia velut Deus ab infidelibus adoratur. Ad VI. R. Similitudinem geminæ arboris ad homines, non ad Deum pertinere, ut vel ex eo patet, quod arbor mala dicitur exscindenda, & in ignem mittenda, quod sane Deo convenire nequit. Quonam autem sensu Deus Creator se malorum conditorem profiteatur, superius diximus; nempe malorum pœnæ, quæ Judici congruunt, non malorum culpæ, quæ Deum dedecent.

Aut prævisionem peccati.

14. Objic. VIII. Prævisio ac permissio peccati. Deus creator prævidit lapsum primi hominis, illum que non impedivit. Ergo non est Deus natura sua bonus & clemens. Ergo præter illum datur alius. P. C. Dedecet divinam benignitatem ac potentiam illud malum non avertere, quod facillime impedire potest, & ex quo prænovit homines in miseriarum voraginem fore pertrahendos. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. A. Deus provisor est generalis, ad quem pertinent & boni productio, & permissio mali. Præterea ex permissione peccati plurima bona scit eruere, nempe manifestationem divinarum suarum

rum perfectionum sapientiæ, omnipotentiæ, justitiæ, misericordiæ, quæ certe omnes in Mysterio Jncarnationis, si umquam alias, sole meridiano clarius enituerunt; quin umquam homo culpam suæ defectionis in Deum conjicere jure posſit, cui plena a Deo libertas collata est bonum prosequendi, & malum fugiendi, simulque occasio subministrata eliciendi præstantisſimos virtutum actus, patientiæ, humilitatis, obedientiæ &c.

15. Dices. Homo est imago Dei, & ejus anima Dei Spiritus. Ergo si homo delicti capax est, Creator pariter capax erit defectionis, ideoque Deus malus. R. D. A. Homo est imago Dei perfecta, ejusque anima est portio substantiæ divinæ, N. A. Est imago imperfecta, & opus Creatoris, C. A. N. C. Ut enim eleganter observat Tertull. Lib. II. adv. Marcionem, Cap. IX. *In hoc erit imago minor veritate, & afflatus Spiritu inferior, habens illas utique lineas Dei, qua immortalis anima, qua libera & ſui arbitrii, qua præſcia plerumque, qua rationalis, capax intellectus & ſcientiæ: tamen & in his imago, & non uſque ad ipſam vim divinitatis: ſic nec usque ad integritatem a delicto; quia hoc ſoli Deo cedit, id eſt, veritati; & hoc ſolum imagini non licet. Sicut enim imago, cum omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipſa caret, non habens motum: ita & anima imago Spiritus, ſolam vim ejus exprimere non valuit, id eſt, non delinquendi felicitatem.* Vide Natalem Alexandrum Diſsert. XIX. adversus hæresin Marcionis, in Hist. Eccles. Sæculi II.

16. Objic. IX. a Manichæis veteris novæque Legis discordia. Testamentum Novum sæpe contradicit veteri. Ergo Deus Synagogæ non est Deus Evangelii. P. A. Vetus multa permisit, quæ nova Lex prohibet: Veteris Testamenti præcepta vocantur in nova Lege, *non bona, culpa non vacaſſe, infirma & egena elementa, & occaſionem peccato dediſſe.* Genes II. v. 18. *Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* *Fruſtra Manichæi Veteris Novæque Legis diſcordiam.*

At

At vero Paulus I. ad Cor. VII. v. 1. ait: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Ergo. R. N. A. Nulla ostendi potest contradictio vere talis, sed tantum apparens. Ad *probat.* R. Quod in veteri lege permittitur, in nova autem prohibetur, intelligi debet permissum aut prohibitum diversis temporibus, & sub diversis circumstantiis. Præcepta dicuntur non bona; non quod in se mala fuerint absolute, sed comparate duntaxat, id est, non ita bona ac præcepta Evangelica: tum etiam quia lex vetus ex sese gratiam non conferebat, & quia tunc temporis parcior erat gratia, sine qua, ut par est, præcepta non observantur. Paulus vocat ea egena & infirma elementa, quia virtute sua intrinseca gratiam non conferebant eo modo, quo Sacramenta novæ Legis: ait vetus testamentum culpa non vacasse, id est, non ita perfectum fuisse, sicut novum, & occasionem peccato dedisse; non ex se quidem, propriaque natura, sed per accidens tantum, propter infirmitatem & malitiam hominis qui in vetitum nititur. Neque locus Apostoli opponitur versiculo 18. Cap. II. Genesis; ibi enim Deus loquitur absolute de communi bono speciei humanæ per generationem tunc propagandæ, quod ab homine obtineri non poterat sine uxore: At vero apud D. Paulum sermo est de bono personali, quod homini Christiano ad perfectionem anhelanti magis convenit.

Aut effectuum diversitatem pro se allegant.

17. Objic. X. Diversitas effectuum. Tot sunt admittendæ summæ rerum causæ, quot sunt effectus, qui non possunt explicari sub una eademque summa rerum omnium causa. Atqui duo sunt effectus, qui non possunt explicari sub una eademque rerum omnium causa, nempe bonum & malum. Ergo duæ admittendæ sunt summæ rerum causæ, quarum una sit bona, altera sit mala. R. I. N. M. Origo mali neque explicatu necessaria est, neque possibilis. Non est necessaria; quia unitas Dei invictis rationibus demonstratur. Ergo ut tuto ac certo admittatur hæc unitas, necesse non est prius solvi difficultates omnes

nes quæ eam impugnant; non enim sunt neganda clara, quia non percipiuntur obscura. Neque hæc origo mali est explicatu possibilis. Ut enim distincte ac clare evolvatur quidquid spectat originem mali, deberet comprehendi ac evolvi totum Dei systema, id est, omnes divinæ intelligentiæ rationes, fines omnes, omnia media, & eorum relationes, proportiones & fines: atqui a nemine mortalium comprehendi & evolvi possunt hæc tam occulta, & tam immensa. Ergo origo mali clare & distincte explicari nequit. R. II. N. etiam min. Quamvis enim quæstiones omnes circa originem mali ita clare solvi nequeant, ut nihil obscuritatis remaneat; principiis tamen generalibus dirimi possunt quæstiones illæ, quantum sufficit ad rectam vitæ institutionem. Ima est: Creatura ex aliqua parte essentialiter deficit, quia finita est & limitata. II. Mundus præsens per partes sumi & considerari non debet, sed velut totum quoddam ex variis ac diversis partibus resultans; quia mundus hic totum quoddam efficit, cujus partes ad totum illud referri debent. Et sicut nemo artificem potest arguere, nisi non solum generalem totius machinæ finem, sed & singulas uniuscujusque partis destinationes & usus cognoverit: sic nec Deum perstringere licet, nisi non solum communem totius universi finem, sed fines etiam cuique parti proprios perspectos habuerimus. III. Causa infinita libera est, nec tenetur unum attributum manifestare potius aut magis, quam alterum. Cum enim prima illa causa sit a se, a nullo cogi aut necessitari potest in operibus ad extra, aut ad agendum hoc potius modo quam alio: neque ullum est attributum Dei etiam peculiare, quod exigat præ cæteris manifestari quantum potest, singulorum enim attributorum æqualia sunt jura, cum singula sint æqualiter infinita. IV. Causa unica, cum sit sapientissima, numquam agit nisi juxta strictos æquitatis & sapientiæ apices; sed cum sit infinita, ejus consilia, & operum ac motivorum ejus sapientiam creatura fi-

nita & limitata plene aſsequi nequit. Ens enim summe perfectum nec ignorantia decipi, nec cupiditate abripi, nec præcipitatione efferri potest. Nec mirum sane si creatura finita immensam intelligentiam comprehendere nequeat. Aptiſsima comparatione utitur hic S. Aug. Enarratione in Psalm. CXLVIII. *Si intrares forte in officinam fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem, neſcientem quid quare ſit, & omnia reprehendit. Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis, quid ſibi dicit? Non ſine cauſa folles hoc loco poſiti ſunt; artifex novit quare, etſi ego non novi.*

18. Dices I. Duo illi effectus, bonum & malum fluere non poſsunt ab eodem principio. Ergo nullo modo explicari poſsunt sub unica causa infinita. R. D. A. Non poſsunt fluere ab uno eodemque principio illos producente, C. A. Jllos producente, aut permittente, N. A. & C. Dum bonum & malum oriri dicimus sub uno eodemque summo rerum principio, non intelligimus utrumque ab illo principio produci, sed bonum ab eo produci, malum vero ab eo permitti. Neque malum formaliter sumptum veram habet efficientem causam, sed deficientem potius, cum sit mera rectitudinis privatio.

19. Dices II. Bonum & malum fluere nequeunt ab uno eodemque principio etiam permittente tantum. Ergo. P. A. Principium illud supponitur summe bonum. Atqui principium summe bonum excludit omne malum, quia quodcunque malum pugnat cum summa bonitate. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* D. m. Excludit omne malum a se, C. m. a creatura, N. m. Deus est summe & infinite bonus in se, & eo ipso excludit omne malum a se, cum ipse sit subjectum summæ illius bonitatis. At vero ex eo quod sit summe & infinite bonus in se, non inde sequitur, quod debeat excludere omne malum ab alio quocunque, & a creatura; Deus enim non est summe bonus creaturæ, id est, non communicat creaturæ infi-

nitos

nitos bonitatis suæ effectus. Patet id tum ex eo, quod Deus plura & plura semper addere posſit beneficiis creaturæ conceſsis: tum quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; creatura autem est eſsentialiter finita. Ergo non nisi finitos bonitatis effectus accipere potest, alias infinitos participando fieret infinita, quod repugnat.

20. Dices III. Malum præsentis vitæ, nempe malum naturæ, pœnæ, & culpæ, pugnat cum Dei bonitate, etiamsi non sit summe bonus nobis, & etiamsi illud tantum permittat. Ergo. R. N. A. Malum naturæ, seu defectus naturales non pugnant cum Dei bonitate, quia creatura est eſsentialiter finita, ac limitata, ac consequenter deficiens: & posito etiam illo malo, eſsentialibus suis gaudet proprietatibus, neque uberiorem ei perfectionem concedere tenetur Deus. Denique defectus illi quos arguimus, non amplius viderentur nobis defectus, si eorum relatio ad universum mundum, & ad integrum divinæ providentiæ systema cognosceretur. Mala pœnæ justitiam Dei declarant, industriam hominis excitant, patientiam exercent, peccati gravitatem ostendunt, sæpe hominem ad saniora perducunt, eique fastidium rerum terrenarum immittunt, ut cœlestia eo ardentius consectetur. Quin abstrahendo etiam a principiis Religionis Catholicæ, solo rationis lumine ostenditur, Deum non teneri hæc mala ab homine avertere: Deus enim, licet summe bonus, non tenetur naturam hominis, & nativam ejus conditionem immutare. Potest ergo, illæsa sua bonitate, relinquere in homine fundum & capacitatem ipsi nativam; nec, quia bonus est, tenetur perficere creaturam ultra ejus naturam. Porro mala naturæ, id est, dolores, morbi, mors &c. fluunt ex natura hominis. Ubi enim duæ uniuntur substantiæ, spiritualis & materialis, ibi opposita desideria, ibi pugna, ibi consequenter dolor. Ubi materia ac liquidorum commixtio, ibi alteratio, ac tandem destructio, ibi ergo morbi & mors. Præterea doloris sensationes, & cæ-

teræ miseriæ hominem cautiorem reddunt adversus pericula, & suæ conservationi magis attentum. Malum culpæ permittere Deus potest; quia ex bonitate sua non tenetur concedere homini infinitam in intellectu cognitionem, aut immutabilem in voluntate erga bonum constantiam; cum creatura sit essentialiter mutabilis, si mutabilitatis nomine potentiam & capacitatem, non ipsum actum intelligas.

21. Dices IV. Saltem principium illud conciperetur melius, quod a creaturis suis arceret malum quodcunque. Ergo principium summe bonum præstare id debet. R. I. Hoc argumentum evinceret, Deum debere omnia naturæ bona possibilia in creaturam profundere. R. II. D. A. Principium illud conciperetur melius ratione boni collati, id est, magis sensibilem redderet bonitatem suam, eamque magis manifestaret, C. A. Principium illud conciperetur melius ratione sui, N. A. Hoc argumentum nihil aliud evincit, nisi bonitatem Dei in hac saltem providentia non manifestari, quantum posset: at bonitatem non esse in Deo infinitam, minime probat. Nulla enim ratio postulat, ut præ cæteris attributis manifestetur Dei bonitas. Vide Gregorium Simon Tract. de Religione, Tom. I. Artic. II.

CONTROVERSIA II.

DE INFINITA DEI PERFECTIONE,

CONTRA SOCINUM ET SPINOSAM:

Status quæstionis. 22. Non quæritur hic, an Deus sit infinitus secundum molem, seu quantitatem physicam; hæc enim diceret compositionem partium, adeoque imperfectionem involveret: neque quæritur, an Deus infinitus sit secundum quantitatem discretam aut numerum; quia natura divina est unica, personæ vero tres tantummodo: sed an Deus in quantitate metaphysica, sive in perfectione sit infinitus, id est, an Essentia Dei per identitatem contineat omne genus

puræ

puræ perfectionis in gradu eminentissimo, seu infinito. Affirmant unanimi consensu Catholici omnes; negant Socinus, & Benedictus Spinosa, ex Judæo Amstelodamensi Christianus, ex Christiano Atheus, aut certe omnis revelatæ Religionis osor.

Inter perfectiones alia est simpliciter simplex, alia vero simplex secundum quid. *Simpliciter simplex* juxta S. Anselmum Monologii Cap. XV. est illa, quæ est melior ipsa quam non ipsa, id est, quæ est melior quam omnis perfectio cum ipsa incompossibilis, vel non identificabilis. Itaque duas conditiones exigit: prima est, ut in sua ratione formali ac specifica nullam includat imperfectionem: secunda, ut non sit incompossibilis cum alia perfectione majori, vel æquali. *Perfectio simplex*, seu secundum quid, ea dicitur, quæ nullam quidem in suo conceptu essentiali imperfectionem involvit; non tamen est melior quam aliæ perfectiones cum ipsa incompossibiles. Tales sunt relationes divinæ, v. g. Paternitas, & Filiatio: tum quia melius non est in Deo habere paternitatem, quam filiationem: tum quia incompossibiles sunt in eadem persona. Porro perfectiones duplici modo contineri possunt in Deo, formaliter nempe, & eminenter. *Formaliter* continentur illæ, quæ secundum suum proprium conceptum adæquatum sunt affirmabiles de Deo. Sic sapientia formaliter continetur in Deo, quia Deus est vere ac simpliciter sapiens, seu ipsa sapientia. *Eminenter* continentur illæ, quæ licet secundum conceptum suum adæquatum formalem non insint in Deo, insunt tamen nobiliori modo, demptis nimirum imperfectionibus Sic licet esse animal Deo non conveniat formaliter; hæc tamen perfectio continetur in ipso eminenter, quia quidquid perfectionis est in hoc prædicato, convenit Deo, etsi ei non competat, quod in hoc prædicato est imperfectum, v. g. esse materialem, mortalem &c.

23. Conclusio. Deus in omni genere perfectionis est infinite perfectus. Probatur Conclusio Catholica I. Auctoritate Scripturarum. Baruch. III. v. 25. *Ostenditur infinita Dei perfectio.*

v. 25. dicitur de Deo: *Magnus eſt, & non habet finem: excelſus & immenſus.* Psalm. CXLIV. v. 3. *Magnus Dominus & landabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis,* ergo cum juxta Scripturas infinita ſit Dei magnitudo, infinita est etiam illius perfectio, quia juxta regulam Augustinianam, *in iis, quæ mole carent, hoc eſt magnum, quod perfectum eſt,* cum de divina quantitate sermo eſse nequeat. Prob. II. Auctoritate Patrum, S. Augustini in Psalm. CXLIV. S. Hilarii in eumdem Psalm. S. Gregorii Nysseni Orat. XII. contra Eunomium, Auctoris Libri de Divin. Nominibus, Cap. IX. S. Joannis Damasceni Lib. I. de Fide Orthod. Cap. IX. Prob. III. Ratione. Deus est Ens a se. Ergo in omni genere perfectionis est infinite perfectus. P. C. Quidquid limitatum est in sua perfectione, est limitatum a sua causa, quæ vel non vult producere effectum perfectiorem, vel non potest. Sed Ens a se non est limitatum a sua causa, cum nullam habeat. Ergo Ens a se non est limitatum in perfectione. II^da ratio eſt. Ens a se non est limitatum quoad existentiam, sed hanc ipsam primam perfectionem habet a semet ipso. Ergo non est limitatum quoad reliquas perfectiones formaliter distinctas, sive quoad modum existendi. P. C. Sicut plus est dare existentiam simpliciter, quam existendi modum, sic plus est limitare quoad existentiam simpliciter quam quoad existentiæ modum. Ergo cum Ens a se limitari non poſsit quoad existentiam simpliciter, neque limitari potest quoad existendi modum. Ergo prima rerum omnium causa est infinita in omni genere perfectionum.

Conſectaria. 24. Ex his neceſsario sequitur I. quod Deus suas perfectiones formaliter contineat in gradu infinite excellenti, & modo infinite perfecto, per identitatem simpliciſsimam omnium perfectionum divinarum inter se. II. Quod has perfectiones contineat in infinitis locis & temporibus, ubique & semper, propter suam æternitatem & immensitatem. III. Quod omnes creaturæ, quamtumvis perfectæ, nihil omnino

sint,

sint, si cum Deo comparentur; quia quidquid perfectionis a Deo habent creaturæ, simpliciter finitum est, finiti autem ad infinitum nulla est proportio. IV. Quod solus Deus infinito amore sit dignissimus, quia præcipuum amoris objectum est perfectio. Atqui perfectio Dei est infinita. Ergo.

Argumenta contraria refutantur.

25. Objicitur I. Infirmitas argumenti ex Scripturis petiti. Quæ ex Scripturis attulimus, dicta sunt per metaphoram & exaggerationem quamdam; nec magnitudo Dei infinita dicitur in se, sed respectu nostri, solito more Scripturarum, quæ de filiis Ruben & Gad Numer. XXXII. v. 1. dicunt: *Filii autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erat illis in jumentis infinita substantia.* Et Paralipom. II. Cap. XIV. v. ult. *Tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum.* Ergo. R. N. A. Metaphoricæ quidem locutiones quandoque occurrunt in Scripturis quæ ex rebus creatis petuntur, & transferuntur ad Deum, v. g. quando Deus dicitur excelsior cœlo, profundior inferno &c. ut sub corporeis illis symbolis infinita divinæ naturæ, potentiæ ac sapientiæ perfectio adumbretur. Verum si omnia quæ in Divinis Scripturis de Deo affirmantur, ad metaphoram detorquere fas esset, posset etiam vera Dei æternitas negari; nam æternum quandoque in Scripturis dicitur quod diu durat. Quare certi in interpretandis Scripturis, ne aberremus, præfixi sunt limites, veneranda nimirum Patrum auctoritas, qui nullam hic metaphoram agnoscunt, eaque verba in sensu proprio ac stricto accipiunt. Quæ Sociniani ex Scripturis proferunt de filiis Ruben & Gad &c. nihil evincunt; perspicuum est enim ibi a Scripturis infinitum dici numerum pro maximo; cum nemo tam hebes sit, qui pecora illa infinita fuisse, aut esse potuisse sibi persuadeat. At vero Deum in omni genere perfectionis infinite perfectum esse, communissima

Doctrinæ huic non obest Scriptura.

ma est hominum de Deo recte sentientium persuasio, cui rationis lumen manifeste suffragatur. Ergo si Scriptura citatis locis metaphora uteretur, homines in errore suo confirmaret, quod absonum omnino est, & Divinæ Scripturarum auctoritati, & rationi repugnans.

Sequela. 26. Objic. II. Sequela. Si Deus foret infinite perfectus, tunc quælibet creatura infinite distaret a perfectione Dei. Hoc est falsum. Ergo. P. m. Si hoc verum esset, tunc omnes creaturæ æqualiter a Deo distarent; nam distantia infinita non potest esse inæqualis. Ergo omnes creaturæ essent æqualis perfectionis. Atqui. Ergo. R. D. M. Distaret a Deo infinite, distantia improportionis, C. M. Distantia dissimilitudinis, N. M. Quælibet creatura infinita distat a Deo distantia improportionis, quia creatura ex essentia sua finita est; finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Atque in hac distantia improportionis omnes creaturæ sunt æquales, quia omnes infinite distant a Deo. Dissimilitudo vero creaturarum a Deo non est infinita; quia quælibet aliquo modo, quamvis imperfecte, est similis Deo, ut colligitur ex illo Genesis Cap. I. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ideoque una potest magis esse similis Deo quam alia.

27. Dices. Si creatura est similis Deo, tunc etiam Deus dici poterit similis creaturæ. Atqui id videtur dici non posse. Ergo. R. N. M. Mutua similitudo recipitur tantum in iis, quæ unius sunt ordinis. Atque hac de causa dicimus, quod imago sit similis homini, non autem homo imagini.

Aut ratio. 28. Objic. III. Ratio. Deus non est infinite bonus, alias nullum daretur malum. Ergo non est infinite perfectus. R. N. A. & rationem additam. Deus cum sit Ens liberrimum & sapientissimum, sciatque bonum ex malo elicere, potuit homini conferre libertatem faciendi bonum & malum: Neque ad infinitam Dei bonitatem pertinet malum excludere a creatura rationali, sed tantum a semetipso. Quod si dicas:

dicas: si calor esset infinitus, excluderet omne frigus etiam ab alio. Ergo si bonitas Dei foret infinita, excluderet malum etiam a creaturis. R. N. C. Calor infinitus namque est agens necessarium; Deus vero infinite bonus est agens liberrimum.

29. Objic. IV. Deus est hoc determinatum Ens, distinctum a perfectionibus aliorum Entium. Ergo hoc ipso est Ens limitatum. P. C. Si Deus esset in uno loco, & non in alio, non esset immensus. Ergo etiam si Deus est hoc Ens, ut non sit aliud Ens, non est infinitus quoad essentiam & perfectionem. R. D. A. Deus est hoc Ens determinatum, ita tamen ut eminenter contineat perfectiones omnium aliorum Entium, C. A. Ut illas non contineat, N. A. & D. C. Ergo est Ens limitatum in ratione perfectionis, N. C. In ratione numeri, C. C. Verum hæc limitatio in ratione numeri summam dicit perfectionem, quia excludit omne Ens æquale, & excellentiam super omnia inducit. Ad *probat.* C. A. N. C. Esse immensum dicit in suo conceptu existentiam in omni loco: esse vero infinitum quoad perfectionem, dicit tantum perfectionem in se illimitatam, nullisque terminis circumscriptam.

30. Objic. V. Complexum ex Deo & creaturis est quid majus quam solus Deus. Ergo Deus non est infinite perfectus. P. A. Complexum illud est totum aliquod, cujus partes sunt Deus & creaturæ. Sed implicat, quod totum illud non sit majus singulis partibus. Ergo implicat, quod complexum ex Deo & creaturis non sit majus quam solus Deus. R. D. A. Est quid majus extensive, id est, essent plures res, C. A. Est quid majus intensive, sive est quid perfectius, N. A. & C. Complexum ex Deo & creatura non est quid melius aut perfectius, quam solus Deus; crescere enim non potest ex additione creaturæ divina perfectio, cum sit infinita, & infinitum augeri nequeat. Atque hac de causa scribit Augustinus Lib. VI. de Trinitate, Cap. VIII. *In ipso Deo cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut*

Spiritus Sanctus Patri & Filio æqualis, non fit major Deus quam singuli eorum; quia non est quo crescat illa perfectio. Ad *probat.* D. M. Complexum illud est totum aliquod, quantum ad numerum & multitudinem, C. M. Quantum ad perfectionem, N. M. & D. m. Implicat, quod totum non sit majus singulis partibus, in ea ratione, in qua est totum, C. m. In alia ratione, N. m. Complexum ex Deo & creaturis, quantum ad perfectionem, non est totum; sed tantum quoad numerum & multitudinem; quia perfectiones creaturarum nihil superaddunt perfectioni divinæ, cum omnes perfectiones creaturarum contineantur in Deo vel formaliter vel eminenter, modo infinite perfecto.

CONTROVERSIA III.

DE SPIRITUALITATE DEI.

CONTRA ANTROPOMORPHITAS.

Errores. 31. Deum purum esse spiritum inficiati sunt, quotquot turpi & carnali cognitione finxerunt, Deum verum habere corpus, & constare materia ac forma. Tales fuere omnes idololatræ, qui statuas & vana simulacra pro Diis habuerunt. Tales etiam fuere inter Judæos Sadducæi, qui nullam pure spiritualem substantiam admittebant: inter Christianos ad finem Sæculi IV. Monachi quidam Ægyptii, qui formam hominis Deo affingebant, Antropomorphitæ idcirco dicti. His posterioribus temporibus adhæserunt, sæculo VII. Mahometus spurcissimus Saracenorum legislator, sæculo XIII. David quidam de Dinanto, & priori sæculo Benedictus Spinosa.

Deus Spiritus est. 32. Conclusio Dogmatica. Deus non est corporeus, sed purissimus Spiritus. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Joan. IV. ait Christus ad Samaritanam: *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ubi vox *Spiritus* stricte atque in rigore accipitur pro substantia pure spirituali; quia ex eo, quod Deus sit substantia

tia spiritualis, materiæ omnino expers, infert Christus, verum cultum & adorationem Dei non alligari certo loco, certisque cæremoniis, ut falso opinabantur Samaritani, & crafsiores Judæi. II. Ad Cor. III. ait Apostolus: *Dominus autem Spiritus eſt.* Prob. II. Auctoritate Patrum, qui Deum purifsimum eſse Spiritum affirmant. Pauca eorum in re tam explorata exhibemus testimonia. Origenes Lib. I. Periarchon, Cap. I. *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore eſſe putandus eſt Deus, ſed intellectualis natura ſimplex, nihil omnino in ſe adjunctionis admittens.* S. Irenæus Lib. II. adv. Hær. Cap. XVI. *Multum diſtat omnium Pater ab iis, quæ proveniunt hominibus, affectionibus & paſſionibus; eſt ſimplex & non compoſitus, cum ſit totus Spiritus, & totus ratio.* S. Gregor. Naz. Orat. XXXIV. *An corpus eum* (Deum) *dices? Quonam ergo modo immenſus, infinitus, figuræ expers eſt, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An hæc quoque in corpora cadunt &c.?* S. Aug. Lib. XII. de Trinit. Cap. VII. *Cogitatio quippe turpiter vana eſt, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumſcribi atque finiri.* Theodoretus Quæst. XX. in Genesin: *Samaritanæ Dominus dixit, Deus Spiritus eſt. - - - Si autem Deus ſpiritus eſt, ſimplex igitur, incompoſitus, & figuram non recipiens.*, S. Joan. Damasc. Lib. I. de Fide Orthod. Cap. IV. *Quo etenim modo corpus eſse queat, quod infinitum & interminatum eſt, quod figura caret, quodque nec tangi, nec oculis cerni poteſt; quod denique ſimplex eſt, nec compoſitum?* Prob. III. ex Lateranensi IV. sub Innocentio III. Cap. Firmiter: *Una eſt Dei eſsentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino.* Prob. IV. Ratione. Omnis perfectio simpliciter simplex competit Deo neceſsario. Sed carere corpore, & eſse purifsimum spiritum, est perfectio simpliciter simplex. Ergo. Major est evidens, quia Deus est in omni genere perfectionis infinite perfectus. Minor prob. Omne corpus est spiritu ac mente multo deterius, & ignobilius. Ergo eſse spi-

ritum est perfectio simpliciter simplex, quia nulla res simul potest esse spiritus, & constare materia.

Argumenta contraria refutantur.

Frustra opponitur nobis Scriptura.

33. Objic. I. Auctoritas Scripturæ. Scriptura tribuit Deo dimensionem corporibus propriam, partes & membra corporis, item situm & sessionem. v. g. Psalm. XXXIII. *Oculi Domini super justos: & aures ejus in preces eorum.* Exodi VI. *Redimam in brachio excelso.* Job. X. *Manus tuæ fecerunt me.* Jsajæ VI. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum &c.* II. Tribuit Deo affectiones animi nostris persimiles, dolorem, iram, pœnitentiam. Sic Gen. VI. dicitur: *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ.* Et paulo ante dicitur de Deo: *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.* Psalm. VI. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* III. Tribuit Deo animam ad Hebr. X. v. 38. *Justus meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Sed anima est forma corporis. Ergo Deus habet corpus. R. D. A. Scriptura tribuit hæc Deo in sensu proprio, N. A. In sensu metaphorico, C. A. Christus dicitur etiam in Scripturis Leo de Tribu Juda, Agnus, vitis, lapis angularis, &c. quæ certe ab omnibus metaphorice sumenda sunt. Hæ itaque metaphoricæ locutiones imbecillitati humanæ mentis accomodatæ sunt, ut auctoritas Patrum, & sana ratio dictant. Per celsitudinem intelligitur essentiæ divinæ excellentia, per profunditatem incomprehensibilitas, per longitudinem duratio, per latitudinem affectus dilectionis divinæ, per brachium virtus exequendi omnia, per manus vis operandi, per dexteram vis protegendi, per oculos virtus cognoscendi omnia, per iram voluntas puniendi injurias, per tristitiam displicentia de malis Deo contrariis: Stare dicitur ob fortitudinem, sedere ob auctoritatem. Atque ita citatos Scripturæ textus interpretantur SS. PP.

PP. Theodoretus Quæst. XX. in Genesin. S. Augustinus Epist. CXLVIII. alias CXI. ad Fortunatianum, &c. Ad II. Resp. metaphorice pariter Deo tribui affectiones animi, nostris persimiles. In Deo enim dari non potest pœnitentia quoad affectum, & interiorem animi motum, cum nihil eidem accidere possit, quod antea non præviderit; sed datur tantum quoad effectum, quia idem facit Deus creaturæ subinsensus, quod agere solent homines; cum opera sua destruunt, quæ fecisse illos pœnitet. Illa loquendi ratio, *tactus dolore cordis intrinsecus*, significat dumtaxat offensæ nostræ magnitudinem, & pœnæ vindicis severitatem, ut Ambrosius interpretatur Lib. de Arca & Noë, Cap. IV. Ira & furor voluntatem denotant commissa scelera puniendi. Ad III. Resp. animam ibi accipi pro voluntate Dei.

34. Dices. Gen. I. v. 26. dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ergo cum homo sit imago Dei, habeatque corpus & membra, Deus pariter erit corporeus. R. C. A. N. C. Homo non secundum corpus, sed secundum animam factus est ad imaginem Dei. *Invisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur*, ait S. Ambrosius in Psalm. CXVIII. & passim alii PP. S. Gregorius Nyssenus Orat. I. in ea verba, *Faciamus hominem &c.* S. Augustinus Lib. I. de Doctr. Christ. &c. S. Chrysostomus Hom. VIII. in Gen. docet imaginem Dei esse in homine ratione dominii & Principatus, quem habet per participationem in animantia; quia sacer textus illico subjungit: *Ut præsit piscibus maris & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* Unde ut homo sit imago Dei, sufficere ait, quod dominium habeat in cæteras creaturas, non per se quidem, sed per participationem.

35. Objic. II. Auctoritas Patrum, Melitonis, Tertulliani, & S. Epiphanii. R. I. Etsi hi Patres Antropomorphitis faverent, inconcussa tamen maneret sententia hæc catholica. R. II. Melito Sardensis Episcopus *Patrum auctoritas.*

scopus a Gennadio quidem Antropomorphitis accensetur, ab Eusebio tamen Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. XXV. atque a D. Hieronymo Lib. de Scriptor. Ecclesiast. maximopere commendatur propter egregia in Christianam rempublicam merita: neque ullus ex antiquis scriptoribus, præter Gennadium, hujus erroris arguit Melitonem. Liber, quem ille conscripsit, non agebat de Deo corporeo, ut refert Origenes apud Theodoretum, Quæst. XX. in Genes. sed de Deo corporato, sive de Incarnatione Verbi. Tertullianus accusatur a S. Fulgentio Lib. III. de Veritate prædestinationis, Cap. XXI. atque a S. Thoma Lib. I. contra Gentes, Cap. XX.; sed defenditur a S. Augustino præcipue Lib. de Hæresibus, Cap. LXXXVI. aliisque, juxta quos Tertullianus corpus sumpsit latisime, prouti opponitur inani, & nihilo; agit enim ibi contra Praxeam, qui contendebat Verbum Divinum non esse rem, nec personam, sed meram vocem ac sonum. Hunc itaque errorem ut refutaret Tertullianus, dixit Deum esse corporeum, hoc est, aliquid reale & subsistens. Plura vide apud Natalem Alexandrum, Disertatione IX. Artic. II. in Histor. Eccles. Sæculi II. Et apud Tournely in Prælect. Theol. de Deo, Quæstione V. S. Epiphanium quod attinet, certum omnino est, eum perperam hujus erroris postulatum fuisse a Theophilo Alexandrino, & Joanne Jerosolymitano; siquidem errorem Antropomorphitarum Hæresi LXX. quæ est Audianorum, ex instituto ac data opera refutavit, & S. Hieronymus Epist. ad Pammachium de erroribus Joannis Jerosolymit. testatur, Epiphanium in publica concione, quam Jerosolymis habuit coram ipsomet Joanne, fidem suam aperte circa istud dogma declarasse, & ab omni suspicione vindicasse.

Ratio. 36. Objic. III. Ratio. Deus est causa omnium rerum corporearum. Ergo in se habet corpus. II. Deus homo factus est. Ergo habet verum & humanum corpus, nostro persimile. Ergo vere est compositus

positus ex anima & corpore. R. C. A. D. C. Ergo in se habet corpus formaliter, N. C. Habet eminenter, id est, eminentiſsimam habet hæc omnia faciendi virtutem, ab omni imperfectione depuratam, C. C. Sic sol etiam est causa plantarum ac segetum, quamvis sol nec planta, nec seges sit. Ad II. D. A. Deus homo factus est per unionem hypostaticam cum humana natura, C. A. Per compositionem, quasi humanitas sit pars Dei, N. A. Verbum aſsumpſit naturam humanam per unionem personalem; sed non est compositum ex ea, aut cum ea, tamquam pars cum parte; sed ad eam se habet ut perficiens, ac supplens subsistentiam humanitatis.

CONTROVERSIA IV.

DE DEO SUMMO BONO NOSTRO.

CONTRA EPICUREOS, MAHOMETANOS &c.

37. *Beatitudo*, juxta Severinum Boetium Lib. III. de Consolat. Philosophiæ, est status omnium bonorum aggregatione perfectus, sive quod idem est, status perfecte ac stabiliter satians appetitum rationalem, cum exclusione omnis miseriæ & indigentiæ. Nullus mortalium tam miser est, qui beatitudinem non appetat. Ut enim S. Aug. scribit Enarratione I. in Psalm. CXVIII. *Beatum - - eſse tam magnum eſt bonum, ut hoc & boni velint, & mali. Nec mirum eſt, quod boni propterea ſunt boni; ſed illud eſt mirum, quod etiam mali propterea ſunt mali, ut ſint beati.* At vero in aſsignanda beatitudine tanta fuit Gentilium Philosophorum opinandi libido, & sententiarum varietas, ut S. Augustinus Lib. XIX. de Civit. Dei, Cap. I. numeret ex M. Varrone 288. opiniones. Epicurus Philosophus censuit beatitudinem hominis consistere in voluptate animi; quia tamen Aristippus Epicuri Discipulus beatitudinem constituit in voluptate corporis, plures crediderunt, eum hunc errorem ab Epicuro magistro suo hausiſse. *Quid ſit beatitudo?* *Errores.*

Cerin-

Cerinthus, nequissimus homo, Simonis Magi discipulus, docuit hominis felicitatem esse prorsus sensibilem ac carnalem, concupiscentiis & libidinibus ita subjectam, ut non possit in aliquo alio actu reperiri. Cum Cerintho sentiunt Mahometani; quin & falsi quidam nostrorum temporum Christiani, quorum Deus venter est.

Deus beatitudo nostra.

38. Conclusio Dogmatica. Beatitudo Creaturæ rationalis non consistit in voluptatibus carnis, nec in ullo bono creato, nec in cumulo omnium rerum creatarum; sed in solo Deo. Prob. Conclusio I. Auctoritate Scripturarum. Ecclesiastis II. v. 1. *Dixi ego in corde meo: vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas.* I. Joan. II. v. 25. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. . . Quoniam omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus.* Psalm. CXLIII. v. 15. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt; Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Genes. XV. dicit Deus Abrahamo: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

39. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Aug. Lib. XIX. de Civitate Dei, Cap. XXVI. ait: *Ut vita carnis anima est, ita vita beati hominis Deus est.* Lib. I. Confess. Cap. I. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Lib. V. Confess. Cap. IV. *Infelix homo, qui scit illa omnia,* (bona creata) *te autem nescit; beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat: qui vero & te & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.* Lib. de Moribus Ecclesiæ, Cap. VIII. *Bonorum summa Deus nobis est; Deus est nobis summum bonum, neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est.* S. Gregorius Nyssenus Lib. de Beatitud. Orat. I. *Beatitudo est illa immortalis & incorrupta vita, ineffabile pariter, & inanimadvertibile, atque inexcogitabile bonum.*

40.

40. Prob. III. Ratione. Beatitudo debet esse felicitas tam perfecta, ut possidentem plene possit satiare: talis felicitas non est ullum bonum creatum, sed solus Deus. Ergo. P. m. Appetitus rationalis capax est boni infiniti & increati, per cognitionem & amorem possidendi. Ergo non potest ullo bono finito & creato satiari; præcipue cum bona creata evidenter nos ducant in cognitionem boni perfectioris & increati, ac desiderium in nobis excitent istud possidendi.

41. Idem alio argumento ostenditur. Ad beatitudinem quinque requiruntur conditiones. I. Ut sit bonum summum & optimum, bonum videlicet pulcherrimum, cujus aspectu & consideratione intellectus pascatur; & jucundissimum, cujus amore voluntas satietur. II. Ut sit ultimum, in cujus possessione acquiescere possit appetitus. III. Ut sit sufficiens ad excludendam omnem miseriam, secus non plene satiaret. IV. Ut sit possibile & obtinibile; secus appetitus noster in vanum tenderet. V. Ut sit stabile; alioquin relinqueret anxietatem & metum jacturæ: sed hæ quinque conditiones non inveniuntur in voluptatibus carnis, aut in bono creato, sed in solo Deo. Ergo solus Deus est beatitudo nostra objectiva.

Argumenta contraria refutantur.

42. Objic. I. Natura Beatitudinis. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ergo consistit in rebus creatis, cum Deus non sit aggregatum ex pluribus. *Confirm.* Omnes creaturæ possibiles continent bonitatem infinitam. Ergo possunt esse beatitudo hominis. R. D. A. Hoc est, complectitur omnia bona eminenter, C. A. Formaliter, N. A. Deus eminenter continet omnem bonitatem creaturarum, & præter hanc beatitudinem essentialem fruuntur beati felicitate accidentali, consistente in consortio Christi & Sanctorum, in dotibus corporis

Cui non adversatur natura beatitudinis.

gloriosi, & honestis sensuum delectationibus. Ad *confirm.* D. A. Continent bonitatem simpliciter infinitam, eamque actu existentem, N. A. Jnfinitam secundum quid, & quæ actu non existit, C. A. N. C. Beatitudo debet actu existere, & perfecte satiare; si enim quoad majorem sui partem (uti contingit in creaturis possibilibus) actu non existat, numquam dabitur plena satietas.

Infirmitas creaturæ.

43. Objic. II. Jnfirmitas creaturæ. Ut creatura rationalis plene satietur, non requiritur bonum infinitum. Ergo. P. A. Creatura habet capacitatem finitam. Ergo non exigit bonum infinitum, ut perfecte satietur. R. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Licet capacitas creaturæ quoad se sit finita, potest tamen tendere in objectum infinitum tamquam in terminum & objectum: sicut potentia intellectiva hominis, quamvis quoad suam entitatem sit finita, ferri potest in objectum infinitum. Licet vero creatura rationalis exigat bonum infinitum, non tamen idcirco exigit possessionem illius infinitam: nam cognitio infinite clara, & amor infinite intensus est impossibilis.

Perfectio Dei.

44. Objic. III. Perfectio Dei. Deus non potest possideri ab homine, quia nullius potestati subjicitur: neque ordinari potest ad hominem; quia esset maxima inordinatio, quod Ens perfectissimum ordinetur ad vilissimam creaturam. Ergo. R. ad I. D. A. Deus non potest possideri ab homine possessione juridica vel civili, qualem habet Dominus respectu rei suæ, C. A. Possessione vitali, qua intellectus & voluntas feruntur in suum bonum, N. A. Ad. II. N. A. Deus non ex indigentia, sed ex perfectionis abundantia ordinatur ad hominem beatificandum, ita tamen, ut homo una cum sua felicitate referatur ultimato ad ipsum Deum glorificandum, tamquam finem cui excellentiæ simpliciter ultimum.

Aut desiderium creaturæ.

45. Objic. IV. Desiderium creaturæ. Solus Deus non explet desiderium beati. Ergo solus Deus non est beatitudo. P. A. Beati in cœlo præter Deum multa appetunt, v. g. resurrectionem & gloriam corporum,

porum, procurant salutem aliorum hominum &c. Ergo. R. N. A. Ad *prob.* D. A. Appetunt hæc secundario, & sine anxietate, C. A. Primario, & cum molestia aliqua vel anxietate, N. A. & C. Beati appetunt hæc cum plenissima subordinatione ad voluntatem Dei: desiderant gloriam suorum corporum, & conversionem peccatorum, quia Deus vult, ut eam desiderent, & ut magis glorificetur Deus.

46. Dices I. Beatus in cœlo potest affligi ob gradus gloriæ propria culpa amissos. Ergo solus Deus non est perfecta beatitudo. P. A Jactura boni summe æstimabilis, quod potuit obtineri, est materia justæ tristitiæ. Sed quilibet gradus gloriæ est bonum summe æstimabile. Ergo. R. N. A. Ad *prob.* D. M. Jactura boni summe æstimabilis est materia justæ tristitiæ in via, C. M. Jn termino, & patria, subdist. Si esset jactura boni summe æstimabilis etiam in comparatione illius boni, quod possidetur actu, Trans. Si sit jactura boni exigui respectu gaudii substantialis, quod in quolibet beato datur, N. M. Adde, quod beati perfectissime acquiescant voluntati Dei.

47. Dices II. Anima Christi in horto fruebatur visione beatifica, & tamen tristis erat. Ergo solus Deus non est perfecta beatitudo. R. C. A. N. C. Quamvis Christus etiam in horto habuerit visionem beatificam, ut contra Melchiorem Canum communissima & certa Theologorum defendit, per miraculum tamen Christus impediit, ne effectus beatitudinis se in animam diffunderent, alias non fuisset tædii & tristitiæ capax. Vide Cæsaris Calino *Trattenimento Storico sopra i Santi Vangeli*, Lib. VIII. Cap. X. qui addit, Christum toto vitæ suæ tempore semper impediviſse, ne effectus beatitudinis in corpus se diffunderent, præterquam in monte Thabor, ubi ostendendo gloriam suam suspendit hoc miraculum. Rationem hujus assignat pereruditus Auctor; quia si non impediviſset effectum beatitudinis effundentem se in corpus, homines majestate sua terruisset, sicque

ministerium Christi, prædicatio & mors impedita fuisent.

ARTICULUS II.

DE DEO TRINO.

CONTROVERSIA I.

AN DEUS EXISTAT UNUS IN NATURA, ET TRINUS IN PERSONIS?

CONTRA SABELLIANOS, SAMOSATENUM, ARIANOS, SOCINIANOS, TRITHEITAS, &c.

Errores Antitrinitariorum.

48. Præter Judæos, heretici complures insurrexerunt adversus adorandum hoc Mysterium. Simon Magus Samarita docuit se omnem esse Trinitatis personam, qui Judæis quasi Filius apparuit, in Samaria autem quasi Pater descendit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus Sanctus adventavit, ut refert S. Irenæus Lib. I. adv. Hær. Cap. XXIII. alias XX. Sæculo II. Valentinus circa A. 145. inter infinita alia errorum figmenta & deliria totam Trinitatem passam fuisse docuit, teste S. Athanasio Lib. II. contra Apollinarium. Circa annum 196. Praxeas Asiaticus Montanista primum, dein Montani hostis infensissimus, Romæ errorem hunc propugnavit, de quo Tertull. scribit Lib. de Præscriptionibus, Cap. ult. *Praxeas hæresin introduxit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit & mortuum: præterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam.* Et Lib. contra Praxeam, Cap. I. *Paracletum fugavit*, (quia nempe in causa fuit, ut Montanus, qui se Paracletum dicebat, detectis fraudibus a Zephyrino Pontifice damnaretur,) *& Patrem crucifixit.* Sæculo III. Noetus Ephesius, vel juxta alios Smyrnæus, circa A. 245. eamdem hæresin vehementius propugnavit, quam antea Praxeas præformaverat. Asserebat ille Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non natura solum, sed etiam persona unum

& sin-

& singularem esse Deum, iis Scripturæ fretus testimoniis, quæ plures Deos plane rejiciunt; ipsumque adeo Patrem passum esse contendebat. Sed & majori quadam arrogantia ac vecordia elatus, sese Moysen, fratrem vero suum Aaronem esse dixit, ut refert S. Epiphanius Hær. LVII. Circa A. 257. celebriorem hanc hæresin reddidit Sabellius Ptolemaide in Lybia natus, ut scribunt S. Epiphanius Hær. LXXII. & S. Dionysius Alexandrinus Epist. II. de Baptismate ad Xystum Pont. Romanum, quam refert Eusebius Lib. VII. Hist. Eccl. Cap. VIII. Suum errorem explicabat Solis similitudine, in quo triplex est energia, nimirum illuminandi vis, calefaciendi, & rotunda figura sive corpus ipsum solare, quod discum vocant. Ac vim quidem illam calefaciendi, hoc est, calorem atque æstum respondere Spiritui Sancto, illuminandi vim Filio, Patrem denique totius hypostasis veluti quamdam esse formam. Filium proinde radii instar certo emissum tempore, peractis omnibus quæ ad Evangelii & humanæ salutis procurationem pertinerent, in cœlum rediisse, sicut radius a sole diffusus in eumdem refunditur: Spiritum vero Sanctum identidem in fidelium illabi pectora, ut ea suo fervore succendat, in iisque spiritualem vitam instauret. Atque hi omnes hæretici *Patropassiani* dicti sunt, quia Patrem Passum esse profitebantur. Horum errorem amplexi sunt ex parte Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus, Arianj, & Photinus Sirmii in Pannonia Episcopus, unicam tantum in Divinitate personam admittentes, nimirum Patris. Pestem hanc ab inferis revocarunt posteriorum temporum hæretici aliqui, Michaël nempe Servetus Hispanus Tarraconensis, qui editis libris VII. de erroribus Trinitatis, omne genus blasphemiæ & impietatis in adorandum hoc mysterium evomuit, idcirco a Senatu Genevensi die XXVII. Octobris A. 1553. adnitente præcipue Calvino, vivus comburi jussus; Lælius & Faustus Socinus Senenses, eorumque Socii Antitrinitarii, Joannes Paulus Alciatus, Bernardinus

dinus Ochinus, Matthæus Gribaldus, Franciscus David, & Georgius Blandrata Pedemontanus, qui Symbolum S. Athanasii, in quo dicitur unum esse Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate, *Satanasium* symbolum vocabat homo perditissimus.

Et Tritheitarum. 49. Præter Carpocratem, Marcionem, Cerdonem, Manichæum, qui plura rerum principia, pluresque Deos statuerunt, in oppositum errorem lapsi sunt Tritheitæ, qui ad finem Sæculi VI. Joannem Grammaticum, cognomento Philoponum secta Eutychianum secuti, tres Personas Divinas tres dixere Deos, quod tres in Sacrosancta Trinitate dari naturas divinas contenderent, Tritheitæ idcirco dicti, ut refert Leontius Byzantinus Lib. de Sectis, Actione V. Hanc hæresin renovavit Sæculo XVI. Valentinus Gentilis Calaber, docens tres dari naturas divinas; eminentiorem tamen esse essentiam Patris essentia Filii. Hic dum A. 1566. a Bernatibus ad capitale supplicium duceretur, inepte gloriari auditus est, se omnium primum pro gloria Dei Patris martyrium subire, reliquos autem Martyres pro sola Filii Dei gloria passos fuisse. Vide Joannem Sianda in Lexico Polemico Edit. Romanæ, Tom. II. pag. 223.

Deum trinum esse in personis ostendunt Scripturæ. 50. Conclusio Dogmatica. Existit Deus unus in natura, trinus in personis. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Matth. XXVIII. v. 19. Christus Apostolos suos alloquens ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi cum dicatur *in nomine*, & non *in nominibus*, significatur una esse auctoritas, virtus & natura: & cum distincte appellentur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, indicatur trium personarum, quibus in Baptismo obsequium spondemus, distinctio in unitate naturæ. Atque hoc argumentum ex Baptismi forma petitum ad probandam in Deo personarum pluralitatem urgent Tertull. Lib. contra Praxeam, Cap. XXVI. S. Athanas. Lib. contra Sabellii gregales, S. Hilar. Lib. II. de Trinitate &c. I. Joan. V. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo; Pa-*

ter,

ter, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Jd est, una substantia & natura. Plures Scripturarum textus exhibebimus, ubi ex instituto agemus de Divinitate Filii, & Spiritus Sancti.

51. Prob. II. Auctoritate Patrum. Catholicam de Trinitate Personarum, ac naturæ unitate doctrinam tradiderunt Sæculo I. S. Clemens Romanus in sua ad Corinthios Epistola. Sæculo II. S. Justinus Apologia II. pro Christianis. S. Polycarpus in oratione quam ad Deum fudit, Martyrio jam coronandus. Athenagoras Legatione pro Christianis. Sæculo III. S. Jrenæus passim in libris suis adv. hæreses. Tertull. Lib. adversus Praxeam. S. Gregor. Thaumaturgus in sua fidei Expositione. S. Dionysius Alexandr. in Epist. adversus Paulum Samosatenum. S. Dionysius Rom. Pontifex in Epistola contra Sabellianos, quam refert. S. Athanas. Lib. de Nicænæ Synodi decretis. Et hi quidem omnes absque controversia Antenicæni sunt. Post Concilii Nicæni tempora vix unus e tanto Patrum numero invenitur, qui fidem suam circa hoc mysterium dilucide non exprimat. S. Athanas. Lib. de Synodis, de decretis Nicænæ Synodi, in Orat. contra Arianos &c. S. Hilar. in libris de Trinitate, in Psalmos, in Matthæum &c. S. Basil. Lib. de Spiritu Sancto. Lib. contra Eunomium. Lib. contra Sabellianos, Arianos, Anomæos. S. Gregor. Nazianz. Orat. in Eunomianos. S. Gregor. Nyssen. in libris circa Trinitatis Mysterium. S. Ambros. Lib. de Spiritu Sancto, & Lib. de fide. S. Aug. Libris de Trinitate, & contra Maximinum &c. S. Cyril. Alexandr. Libris contra Julianum Apostatam, in Thesauro &c. *Patres.*

52. Prob. III. Auctoritate Conciliorum & Symbolorum. S. Dionysius Alexandrinus in Synodo Alexandriæ congregata errorem Sabellianorum, Antiochena I. Synodus A. 264. sub Dionysio Papa, & II. A. 270. impiam Pauli Samosateni doctrinam proscripsit; Nicæna vero Synodus Oecumenica A. 325. *Concilia & Symbola.*

Arii

Arii blasphemiam profligavit illis Symboli verbis: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, - - & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, genitum, non factum, consubstantialem Patri, - - & in Spiritum Sanctum Dominum ac vivificantem.* Doctrinam Nicæni ratam habuere Concilia Sardicense A. 347. Constantinopolitanum I. A. 381. aliaque præcipue Oecumenica. Lateranense IV. Cap. *Firmiter* de Summa Trinitate A. 1215. *Firmiter credimus, & simpliciter profitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.* In Symbolo *Quicunque*, quod maximæ est auctoritatis, etiamsi D. Athanasium auctorem non habuerit, dicitur: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas neque substantiam separantes; alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed Patris & Filii & Spiritus Sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.*

Ac constans Ecclesiæ traditio.

53. Prob. IV. Ex constanti ac perpetua Ecclesiæ traditione. Nam. I. qui negarunt Trinitatem personarum, Divinitatem Filii aut Spiritus Sancti, vel unitatem naturæ divinæ, statim in Ecclesia habiti sunt pro hæreticis. Sic Praxeas sub finem Sæculi II. cum Romam venisset sub Zephyrino, & Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum rem trinominem tantum esse palam diceret, impiam hanc novitatem ejurare coactus fuit, ut refert Tertull. Lib. contra Praxeam, Cap. I. Sic Ebioni, Artemoni, Paulo Samosateno universa Christianorum repugnavit Ecclesia, ut scribit Alexander Episcopus Alexandriæ ad Alexandrum Constantinopolitanum, apud Theodoretum Lib. I. Hist. Eccles. Cap. IV. Ergo Ecclesia hanc doctrinam prioribus etiam sæculis professa est. Ut enim Patres Antiocheni adversus Paulum Samosatenum ajunt: *Decrevimus fidem scripto edere & exponere, quam a prin-*

a principio accepimus, & habemus traditam ac ſervatam in Catholica Eccleſia uſque in hodiernum diem a Beatis Apoſtolis. II. Baptismus semper collatus fuit, adhibita expreſsa invocatione Sanctiſsimæ Trinitatis, quæ publica est profeſsio fidei in tres personas divinas, & eſsentiæ unitatem. III. Ubique terrarum publicus adorationis cultus a Christianis semper impendebatur Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui Sancto, ut scribit S. Justinus M. Apologia II. pro Christianis: *Patrem, & qui ab eo venit - - Filium, & Spiritum Sanctum Propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate adorantes.*

Argumenta contraria refutantur.

54. Objic. I. a Socinianis infirmitas argumenti, quod petitur ex Cap. XXVIII. S. Matth. v. 19. Verba illa, *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* non arguunt Divinitatem Filii & Spiritus Sancti; sed tantum significant nos recipere baptismum Filii & Spiritus Sancti, *nomenque* sumitur pro baptismo: ex eo autem, quod baptizemur baptismo Christi, non sequitur Christum eſse verum Deum, aut subsistentem personam: quemadmodum ex eo, quod Jsraelitæ dicantur I. ad Cor. X. *in Moyſe baptizati*, & in eum credidiſse, non sequitur Moysen verum Deum fuiſse. II. Phrasis *Baptizari* in Spiritu Sancto, designat qualitatem quamdam, non personam, quia Persona Divina non abluimur. III. Jn Spiritu Sancto baptizari dicimur hoc sensu, quod baptizemur in doctrinam Spiritus Sancti. Ergo non infertur legitime Spiritum Sanctum eſse veram personam. R. N. A. Eodem ſensu ac modo baptizamur in nomine Filii & Spiritus Sancti, quo in nomine Patris. Sed baptizamur in nomine Patris non tantum quia recipimus baptismum Patris; sed etiam quia infinita est Patris potestas, in cujus nomine baptizamur. Scriptura non dicit, Jsraelitas fuiſse in nomine Moysis Baptizatos, sed tantum in Moyse, quod sane diversum est; Paulus

Inanes Sociniano-rum exceptiones.

enim I. ad Cor. I. v. 13. ait neminem baptizari in nomine cujuscunque creaturæ, quia illi, in cujus nomine baptizamur, fidem, obedientiam, adorationem, ac salutem nostram debemus. Israelitæ igitur dicuntur in Moyze baptizati, hoc est, in doctrinam Moysis, quia in confirmationem Mosaicæ doctrinæ illud in transitu maris rubri celeberrimum prodigium Deus patravit. Atque hoc sensu Moyses in Scripturis non raro usurpatur pro ejus doctrina, ut v. g. Lucæ XVI. v. 29. *Habent Moyſen & Prophetas: audiant illos.* Ad II. & III. N. A. Quia eodem modo abluimur in Spiritu Sancto, quo modo in Patre, & Filio. Ergo sicut Pater & Filius sunt vera ac subsistens persona, ita etiam Spiritus Sanctus.

Cum genuina ſit ea Epiſt. I. S. Joan. lectio.

55. Objic. II. Jnfirmitas alterius argumenti, quod petitur ex I. Joan. V. versu 7. Verba illa: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt*, spuria sunt & adulterina, quia in antiquis Codicibus manuscriptis non inveniuntur, aut certe a margine, ubi primitus interpretationis ergo scripta erant, in contextum postea a temerariis librariis translata fuerunt. Ergo solidum argumentum ex illis instrui nequit. R. N. A. Verba illa, quamvis in aliquibus Codicibus desiderentur, in multo pluribus tamen sunt deprehensa. Exstant in Codice Britannico, cujus, ob vetustatem, tanta erat apud Erasmum Roterodamum, ambigue non numquam de Divinitate Christi loquentem, auctoritas, ut versum hunc in præcedentibus suis duabus novi Testamenti editionibus omiſsum, in tertia & quarta editione suo loco restituerit. Legebantur in Codicibus, quibus usi fuere auctores Editionis Complutensis A. 1517. in Codicibus Laurentii Vallæ, Roberti Stephani, ac Theologorum Lovaniensium, qui A. 1580. vulgatam Scripturæ editionem magno manuscriptorum numero adjuti recognoverunt. Exstabant olim in Codicibus, quibus usi fuerunt Patres antiquiſsimi: Laudant enim citata verba S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiæ non multo post initium,

tium, & in Epist. ad Jubajanum. Auctor librorum de Trinitate, qui Vigilio Tapsensi passim adscribuntur Lib. I. sub finem, & Lib. VII. Victor Vitensis Lib. II. Persecut. Africanæ. S. Fulgentius Lib. de Trinit. Cap. IV. Lib. de Fide, & Lib. II. contra Arianorum responsiones. S. Hieronymus, aut quiscunque sit auctor Prologi in VII. Canonicas Epistolas. Eugenius Carthaginensis ad finem Sæculi V. A. 484. in professione fidei, quam a CCCC. facile Africæ Episcopis subsignatam obtulit Hunnerico Vandalorum Regi Ariano: Cassiodorus in libro, cui titulus est: *Cassiodori Senatoris complexiones in Epistolas & Acta Apostolorum*, quem e tenebris & pulvere Bibliothecæ Capituli Veronensis eduxit, præloque subjecit A. 1721. eruditissimus Vir, Marchio Scipio Maffejus. Ubi notandum est, Cassiodorum, ut patet ex Cap. VIII. libri I. Jnstitutionum Divinarum, summa cura magnisque sumptibus undequaque sacros collegisse Codices, labore improbo cum aliis contulisse, & emendasse; nec alia versione usum fuisse, quam veteri Jtalica, quæ ante Hieronymi tempora in usu erat. Ergo pariter in antiquioribus Jtalicæ versionis exemplaribus versiculus ille septimus legebatur. Cur vero in aliquibus vetustis codicibus ea verba desiderentur, gemina assignari potest causa. I. est, imperitorum Amanuensium oscitantia, qui cum scripsissent has primas septimi versiculi voces: *Tres sunt, qui testimonium dant*, oculorum lapsu, ut fit, reliquam versiculi partem prætergressi, transilierunt ad versum proxime sequentem, ubi eædem voces recurrebant. Frequentissime enim inter scribendum excidit istud mendi genus: præsertim cum duo versus & periodi iisdem terminantur & inchoantur vocibus. IIdam assignat Auctor Prologi in VII. Epist. Canonicas. De prima enim S. Joan. Epistola scribit: *In qua ab infidelibus translatoribus multum erratum esse fidei veritate comperimus: trium tantum vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis, & Spiritus, in sua editione ponentibus, & Patris,*

Verbique ac Spiritus Sancti teſtimonium omittentibus; in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una Divinitatis ſubſtantia comprobatnr. Quibus verbis haud obscure notantur Ariani, qui data opera versiculum hunc ex illis codicibus expunxere, quos conquirere poterant; illo enim potiſsimum testimonio causam suam premi intelligebant. Similem perfidiam exprobravit S. Ambrosius Lib. III. de Spiritu Sancto, Cap. X. Arianis, qui verba illa Joan. III. v. 6. *Quoniam Deus Spiritus eſt* e codicibus Scripturarum abraserant: *Quem locum ita expreße, Ariani, teſtificamini eße de Spiritu, ut eum de veſtris codicibus auferatis: atque utinam de veſtris, & non etiam de Eccleſiæ codicibus tolleretis.* Vide Tournely de Trinitate, Quæst. IV. Artic. I. Bartholom. Germon de veteribus hæreticis Ecclesiastic. Codicum corruptoribus, Lib. I. Parte I. Cap. XIII. & Parte II. Cap. III. Bernard de Rubeis in Diſsertat. adversus Samuelem Crellium, de tribus in cœlo testibus.

56. Dices I. Unitas, de qua versiculo VII. est sermo, est dumtaxat voluntatis & consensus, non vero eſsentiæ ac naturæ. Ergo quamvis genuinus foret versiculus, ex eo tamen nihil evincitur. P. A. Christus Joan. XVII. eam a Patre pro discipulis suis postulabat unitatem, quam ipse habebat cum Patre: *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Atqui unitatem essentiæ ac naturæ pro discipulis suis non postulavit Christus, sed tantum unitatem consensus, charitatis & concordiæ. Ergo ista dumtaxat unitate Christus unus est cum Patre. R. N. A. Ad *probat.* N. M. Christus non postulavit pro suis discipulis unitatem naturæ, sed tantum unitatem charitatis & concordiæ, cujus solummodo capaces erant. Neque particula *Sicut* omnimodam semper æqualitatem dicit, sed qualemcunque similitudinem, ut patet ex illo Matth. V. v. 48. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter in cœlis perfectus eſt.*

57. Di-

57. Dices II. Unitas illa est tantum testimonii, similis illi, de qua mox dicitur v. 8. *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt.* Id est, unum non essentia, sed testimonio; quia de Christo pariter testantur, quod sit veritas. Ergo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus unum dicuntur, quia conspirant in unum & idem de Christo testimonium. R. N. A. Græcus textus 8vi versiculi habet: *Et hi tres in unum sunt*, id est, in unum testimonium conveniunt: At vero de Patre, Verbo, & Spiritu Sancto dicitur: *Et hi tres unum sunt.* Sensus itaque versiculi 7. & 8. genuinus hic assignatur. Sex sunt, qui testimonium dant Christo, quod sit Filius Dei, verusque Messias: tres in cœlo, & tres in terra. In cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; atque hi tres intellectu, essentia, & testificatione sunt unum. Tres in terra, nimirum aqua baptismalis abluens peccata, sanguis in passione Christi profusus, redimens mundum, & Spiritus Sancti charismata tam profuse fidelibus in nova Lege communicata; & hi tres testes unum quid sunt concordia testandi.

58. Objic. III. Auctoritas Scripturarum. Jsajæ XLIV. Deus de se ipso loquitur: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Atqui non extendisset cœlos solus, si tres in Deo essent personæ. Ergo. II. Joan. XVII. ait Christus: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Ergo solus Pater Christi est verus Deus, adeoque unica est in Deo persona. III. I. ad Cor. VIII. ait Apostolus: *Nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt Dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et ad Ephes. IV. *Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Ergo una est in Deo per-

Frustra objiciuntur nobis Scripturæ.

persona, nempe Pater. IV. Nullus alius Deus est, quam qui dictus fuit in Scripturis Deus Abraham, Jsaac, & Jacob. Atqui hic nullus est alius præter Patrem. Ergo. P. min. Actuum III. Deus ille discernitur a Jesu Christo: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum.* V. Jsajæ XLV. juxta versionem των LXX. *Tu es Deus, & nesciebamus: & tibi servierunt, & ibunt post te vincti manicis, & in te orabunt: quoniam in te Deus est, & non est Deus præter te.* VI. Jsajæ XLIV. *Ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Atqui non esset primus & novissimus, si tres essent in Deo personæ. R. ad I. N. m. Dictio exclusiva *Solus* consortium ibi creaturarum excludit, non consortium & societatem Divinarum Personarum. Atque ita respondet Tertul. Lib. contra Praxeam, Cap. XIX. Ad II. N. C. Solus Deus verus nominatur Pater, non ut aliæ Personæ Divinæ removeantur; sed ut ii tantummodo, qui ejusdem non sunt naturæ, & falso ab hominibus putabantur Dii, excludantur. Atque ita hunc locum explicant S. Athan. Orat. IV. contra Arianos, & S. Epiphan. Hær. LXII. Alii PP. ut S. Gregor. Nazianz. Orat. XXXVI. S. Cyrillus Alexandr. Lib. II. in Joannem, Cap. V. S. Ambr. Lib. V. de Fide, Cap. I. S. Aug. Lib. II. contra Maximinum, & Tract. CV. in Joan. respondent, has voces, *solum verum Deum*, ad Christum æque pertinere, ac ad Patrem, ut sensus sit: *Ut cognoscant, te & quem misisti Jesum Christum, solum esse verum Deum.* Ad III. N. C. Unus enim Deus asseritur ab Apostolo, ut Deos gentium excludat, non ut Filium removeat, & Spiritum Sanctum. Sicut enim Pater non excluditur ab appellatione unius Domini, quamvis Filius *Unus Dominus* nuncupetur: ita Filius non removetur ab appellatione *Unius Dei*, quamvis Pater dicatur unus Deus. Jta respondet S. Epiphan. Hær. LVII. Ad IV. D. m. Hic nullus alius est Deus præter Patrem, C. m. Filius enim & Spiritus Sanctus non sunt alius

Deus

Deus a Patre. Hic nulla alia persona est præter Patrem, N. m. Deus Abraham, Jsaac, & Jacob tota Trinitas est, sed non distincte expreſseque per omnes cognita Personas vulgo Judæorum, sed eximiis dumtaxat & insignibus quibusdam ex illo populo viris, ut Patriarchis & Prophetis. Perfectior enim & explicita Sanctiſsimæ Trinitatis notitia Christianis temporibus servabatur; cujus rationem S. Gregor. Nazianz. Orat. XXXVII. repetit ex divinæ providentiæ suavitate, quæ hominum captui sese accommodavit, & per gradus quosdam ac mutationes, illos ad Evangelium sensim perduxit. Theodoretus Lib. II. de Curatione Græcarum affectionum, aliam rationem affert: *Cum Judæi in Ægypto diutiſſime verſati eſſent, multorumque ibi Deorum cultum ritu Ægyptiaco didiciſſent, Sapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſte omnia Trinitatis myſteria tradidit, ne multitudinis Deorum occaſionem ſumerent, ad impietatem propendentes. Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in poſterum penitus occultavit, perfectioris Theologiæ quaſi ſemina quædam diſpergens.* Ad V. N. C. Excluditur namque his verbis multitudo Numinum, sed non removetur, immo potius intelligitur pluralitas Personarum, ut ostendit S. Epiphan. Hær. LVII. ubi expendens hæc verba, *Quoniam in te Deus eſt*, ait: *In quo vero alio, quam in Paterno Verbo Deum ineſſe dicemus? Vere quippe Deus Verbum Filius eſt; in eoque cognoſcitur Pater, quemadmodum ipſe teſtatur; qui vidit me, vidit & Patrem.* Ad VI. N. m. His enim verbis plures Dii non vero plures Personæ excluduntur. Jta S. Epiphanius Hær. LXII.

59. Objic. IV. Auctoritas Patrum. I. Plures ex Patribus docuerunt unicam in Deo dari hypostasin. Ergo in Deo docuerunt unicam dari personam. II. S. Greg. Nyss. Tract. ad Ablavium scribit, quod tres Personæ Divinæ respectu Divinitatis se habeant, sicuti Petrus, Paulus, & Joannes respectu naturæ humanæ. Ergo sicut hi tres sunt tantum unus homo secundum rationem, reipsa tamen plures homi- *Patres.*

nes:

nes: ita etiam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres Dii sunt, si tres personæ sint reipsa distinctæ. III. S. Hilarius Lib. de Synodis, Num. XXVI. Unitatem illam numericam, seu naturæ singularitatem vocat *Unionis hæresin.* Et Num. XXIX. non improbat, quod ab Episcopis XCVII. in Concilio Antiocheno dictum fuerat, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tria esse secundum substantiam, unum vero per consonantiam. IV. S. Aug. Lib. VII. de Trinitate, Cap. IV. agnovit tres esse in Deo res absolutas; seu substantias. Et Tract. XXIX. in Joan. Sabellianismi accusat eum, qui negat tria in Deo esse. V. Julianus Toletanus librum scripsit de tribus substantiis, qui a Sergio I. Romano Pontifice, atque ab ipsa Toletana Synodo XV. A. 688. approbatus fuit. R. Ad I. C. A. N. C. Patres illi per *hypostasin* intelligebant naturam seu essentiam; hypostasis enim ab antiquis modo pro natura, modo pro persona ac supposito usurpata est, sicut *Ousia* promiscue pro supposito ac natura a Patribus accipiebatur: unde ex aliis vocibus additis, atque ex contextu significatio harum vocum determinanda est. A pluribus autem sæculis usus jam invaluit, ut *Ousia* solam naturam ac substantiam, *hypostasis* vero solam personam significet. Ad II. N. C. Similitudo illa minus accurata est, ideoque quoad aliqua, non quoad omnia instituitur. Paritas autem habetur in hoc, quod, sicut tres homines sunt tres personæ, & habent eamdem specie naturam, ita tres Personæ Divinæ habeant eamdem numero naturam divinam. Cæterum ipsa Epistolæ S. Gregorii Nysseni inscriptio satis ostendit eum Catholice omnino sensisse. Hunc siquidem titulum præfert: *Quod non sunt tres Dii.* Ad III. D. A. Unitatem numericam ad sensum Sabellii, qui personas confundebat, & unam dumtaxat personam, sicut & unam naturam admittebat, vocat unionis hæresin, C. A. Unitatem numericam in sensu Catholico, id est, unitatem essentiæ in tribus personis distinctis vocat Unionis hæresin, N. A. Quod vero ab Antiochenis Patribus dictum fuerat,

rat, non improbavit S. Hilarius, quia ut ipse scribit l. c. *Idcirco tres substantias esse dixerunt, subsistentium personas per substantias edocentes, non substantiam Patris & Filii diversitate dissimilis essentiæ separantes.* Addit etiam Antiochenos Patres non adversus Arianos, sed contra Sabellianos egisse- *Non adversus hæresin, quæ dissimilis substantiæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum ausa est prædicare, in Antiochia fuit conventum; sed adversus eum, quæ post Sanctam Synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adscribere.* Ad IV. Mentem suam satis explicat ipse S. Aug. l. c. *Quod de personis secundum nostram, hoc de substantiis secundum Græcorum consuetudinem, ea quæ diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres personas, unam essentiam vel substantiam.* Tractatu vero XXIX. in Joannem, Sabellium refellit, qui negabat tria esse in Deo supposita, seu tres personas distinctas. Ad V. R. Julianum Toletanum de tribus substantiis in Christo agere, nempe de anima, corpore, ac Divinitate Christi, non vero de tribus in Deo seu in Trinitate substantiis.

Silentium Gentilium.

6o. Objic. V. Silentium Gentilium. Si primis tribus sæculis pervulgatum fuisset dogma de Trinitatis mysterio, Gentiles procul dubio objecissent Christianis, plures Deos ab ipsis quoque agnosci atque adorari. Atqui tantum abfuit, ut id Christianis objicerent, ut etiam eisdem crimini verterent, quod omnem Dei cultum sacrilege aversarentur. Ergo. R. I. N. M. Ex silentio Gentilium solidum argumentum formari nequit adversus sacrosancta fidei nostræ mysteria; constat enim veteres Christianos augustiora fidei nostræ arcana perquam diligenter Gentilium oculis & cognitioni subduxisse, ne eorum ludibrio exponerentur; nolebant enim illi Sanctum dare canibus, & projicere margaritas ante porcos. Quin ne Neophytis quidem nostris omnia statim pandebantur Mysteria, quorum illi nondum erant capaces. R. II. N. m. S. Justinus M. in Apologia pro Christianis ad

Antoninum scribit, Christianos a Gentilibus pro insanis fuisse habitos, quod Deum Filium in crucem actum adorarent; quæ accusatio duas saltem in Deo personas esse supponebat. Praxeas apud Tertullianum totus in eo est, ut ex pluralitate personarum plures quoque Deos inferat. Celsus apud Origenem objiciebat Christianis, immerito ab illis plurium Deorum cultum improbari, quandoquidem & ipsi Christiani Christum etiam ut verum Deum colerent, pluresque admitterent in Deitate personas. Hoc ipsum Martyribus objectum fuisse a Tyrannis, constat ex genuinis Martyrum Actis. Profecto si illi cum Socinianis sensissent, respondere facile potuissent, se neutiquam Filium & Spiritum Sanctum pro vero Deo habere1 sed Filium quidem ut excellentem creaturam se venerari, Spiritum Sanctum vero ut Dei virtutem & efficaciam. Atqui longe abest, ut tale quid reposuerint; immo potius crudelissima inter tormenta intrepide contestabantur, se credere tres esse in Deo distinctas personas, unamque numero singularem naturam ac substantiam.

Humana ratio. 61. Objic. VI. Ratio. Ubi tres sunt personæ realiter distinctæ, ibi tres sunt Dii. Ergo vel neganda erit unitas divinæ naturæ, vel Trinitas personarum. R. N. A. Quamvis tres sint personæ, non tamen idcirco tres sunt Dii, sed unicus; tum quia una est numerica, singularis & individua in tribus personis essentia, non multiplex, non divisa: tum quia unum est principium seu fons totius Divinitatis, Pater scilicet, qui idcirco dicitur Deus a se, quia nullo procedit, & a quo procedunt Filius per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem; & ita nihilominus procedunt, ut in eo maneant, juxta illud Joan. X. *Pater in me est, & ego in Patre.*

62. Dices I. Si tres Personæ Divinæ sunt unus Deus, valebit hæc argumentatio: *Pater est Deus. Filius est Deus. Ergo Pater est Filius.* Atqui hæc argumentatio ab ipsis Catholicis non habetur pro legitima. Ergo. P. M. Juxta receptum axioma, quæ sunt

eadem

eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Ergo cum Pater & Filius identificentur cum natura & essentia divina, identificantur etiam inter se. R. N. M. Argumentatio illa est illegitima, quia medius terminus *Deus* in præmissis numquam distribuitur: cum neque Pater, neque Filius sit omne id quod est Deus. Quare similis omnino est huic argumentationi: *Petrus est homo. Paulus est homo. Ergo Petrus est Paulus:* cujus absurditas in omnium oculos illico incurrit. Ad *prob.* R. I. axioma illud non valere in Divinis, sicuti consentientibus etiam Socinianis non valet alterum æque certum in creatis: *Ex nihilo nihil fit.* R. II. D. A. Quæ sunt eadem uni tertio, identitate perfecta, & depurata ab omni distinctione virtuali, sunt eadem inter se, C. A. Secus, N. A. & C. Pater & Filius identificantur cum essentia divina: ita tamen ut inter personalitates divinas & essentiam detur distinctio virtualis, id est, capacitas suscipiendi prædicata contradictoria.

63. Dices II. Valet hæc argumentatio: *Pater est Persona Divina, Filius est Persona Divina, Spiritus Sanctus est Persona Divina. Ergo sunt tres Personæ Divinæ.* Ergo etiam legitima est hæc argumentatio priori omnino similis: *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Ergo sunt tres Dii.* P. C. Dei nomine intelligitur persona. Ergo si personæ multiplicantur, multiplicatur etiam Divinitas pro numero personarum. P. C. In creatis forma multiplicatur pro numero personarum; tot enim dantur numero plures ac distinctæ humanitates, quod dantur homines. Ergo etiam forma multiplicatur in divinis. R. C. A. N. C. Prior argumentatio legitima est, quia multiplicatur in Deo ratio communis personalitatis: at vero posterior omnino illegitima est, quia essentia divina non multiplicatur, sed una est numero in tribus personis. Ad *prob.* N. A. Quia nomina concreta distincte formam ipsam exprimunt, confuse vero subjectum formæ, idcirco concretum *Deus* clare ac distincte naturam sive essentiam ac substantiam

divinam designat, confuse vero unam vel multiplicem personalitatem. Ad hujus *probationem*, C. A. N. C. Natura creata finita est ac limitata, ideoque pro numero personarum multiplicatur. At vero natura divina infinita est in omni genere perfectionis, ideoque unica, quia infinitum in unoquoque genere est unicum.

64. Dices III. Tali modo eadem res esset communicabilis, & non esset communicabilis; nam Essentia Divina juxta nos communicatur tribus personis, personalitas vero eadem, quæ identificatur cum Essentia, non communicaretur pluribus. Pari modo veræ essent hæ propositiones contradictoriæ: *Deus est genitus*, nempe Filius: *Deus non est genitus*, nempe Pater. Atqui hoc implicat, quia nulla res potest simul esse, & non esse. Ergo. R. D. M. Eadem res esset communicabilis, & non esset communicabilis sub eadem ratione, N. M. Sub diversa ratione, C. M. Et sic distincta minore, N. C. Essentia Divina sub ratione essentiæ est communicabilis pluribus; personalitas vero eadem sub ratione personalitatis, v. g. Patris, non est communicabilis pluribus, quia inter essentiam divinam & personalitates datur distinctio virtualis, seu capacitas suscipiendi prædicata contradictoria. Ad alterum R. propositionem hanc, *Deus est genitus*, verissimam esse, quia fide divina certum est Filium esse genitum a Patre: At vero posterior, *Deus non est genitus*, falsa est, quia est negativa, facitque hunc sensum: *Nulla persona, quæ Deus est, est genita.* Si dicatur: *Deus est ingenitus*, vera erit propositio; sed non erit contradictoria alterius, *Deus est genitus*, eoquod ambæ sint particulares, & prior restringatur ad Patrem, posterior ad Filium.

65. Dices IV. Si dantur tres in Deo personæ; sequitur quamlibet personam divinam trinam fore in personis. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. M. Deus ille unus & summus, trinus est in personis: sed quælibet persona divina est Deus ille unus & summus. Ergo quælibet persona divina est trina in personis. R. N. M. Ad *probat.* R. argumentationem hanc vitiosam

sam esse ac sophisticam: nam in majori *Deus ille unus & summus* vel sumitur universaliter ac distributive pro eo omni, quod est Deus ille unus & summus; & tunc propositio est manifeste falsa, quia v. g. Pater non est trinus in personis: vel sumitur particulariter; & tunc quia utraque propositio, major æque ac minor, est particularis, syllogismus erit vitiosus, quia ex meris particularibus nihil sequitur.

66. Dices V. Non possunt esse plures formæ ejusdem rei, v. g. plures existentiæ. Ergo neque plures personæ ejusdem numero substantiæ. P. A. Per formam quælibet res est id quod est, eaque detracta, non amplius manet talis, qualis fuerat. Ergo ejusdem rei non possunt dari plures formæ, v. g. plures rationalitates ejusdem hominis. R. D. A. Non possunt dari plures formæ adæquatæ & ejusdem rationis, seu ejusdem officii & muneris, C. A. Formæ inadæquatæ, nec ejusdem omnino muneris & officii, N. A. Plures existentiæ inutiles forent, cum una id omnino efficiat quod efficeret altera. At vero Divinarum Personalitatum non una est ratio, cum diversum sit illarum officium; nam subsistentia Patris Patrem constituit, ac distinguit a Filio &c. Ad *prob.* D. A. Per formam adæquatam res est id quod est, C. A. Per formam inadæquatam, N. A. & D. C. Unius rei non possunt dari plures formæ adæquatæ, & ejusdem omnino rationis, C. C. Inadæquatæ, & non ejusdem omnino rationis, N. C. Quævis persona seorsim sumpta non determinat essentiam divinam sub omni ratione; sed subsistentia Patris illam contrahit ad solum Patrem, subsistentia Filii ad solum Filium; ideoque hæ formæ non sunt ejusdem omnino rationis & muneris, sicut forent plures existentiæ ejusdem rei, aut plures rationalitates ejusdem hominis.

67. Dices VI. Quælibet Persona Divina vel est finita, vel infinita: si finita, ergo non est Deus: si infinita, ergo unica datur persona, quia unicum datur infinitum, ut ipsi adstruimus contra Marcionem. Resp. quamlibet personam divinam esse infinitam in-

finitate eſsentiæ, a qua omnis emanat perfectio, & quacum identificatur. Neque propterea plura dantur infinita; quamvis enim personæ inter se distinguantur, quia relative sibi invicem opponuntur; non tamen distinguuntur ab eſsentia divina, a qua omnis perfectio emanat, ideoque nulla est in aliqua persona perfectio, quæ non sit in alia.

68. Dices VII. Si tres darentur in Deo personæ, sequeretur I. quod detur in Deo compositio realis. II. Non omnes personas eſse ejusdem perfectionis. Nam generare est summa perfectio in vivente: hanc autem perfectionom Pater habet, Filius & Spiritus Sanctus non habent. III. Si tres personæ unum essent in eſsentia, Quaternitas in Deo foret admittenda. Cum enim eſsentia, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus quatuor nomina sint, nequaquam synonima, res plane quatuor significant. Resp. ad I. N. A. Compositio est unio realiter distinctorum. Ergo cum Personæ Divinæ non uniantur ad invicem, sed identificentur cum natura divina, in Deo nulla datur compositio realis. Ad II. N. illatum. Ad *prob.* D. A. Generare est perfectio summa in Deo, ita tamen ut hæc perfectio tota sit ab eſsentia, quæ una est in tribus personis, C. Ut sit a personalitate, N. A. Personalitates Divinæ, ut virtualiter ab eſsentia distinctæ, in suo conceptu formali non involvunt specialem aliquam perfectionem relativam; sed sunt prædicata neutra, quæ nec dicunt imperfectionem, nec realem perfectionem, suntque bonæ bonitate eſsentiæ &c. Ad III. N. iterum illatum. Quamvis enim illa non sint synonima, non tamen res quatuor significant, sed rem unam absolutam, & tres relativas, quæ cum ab absoluta illa indistinctæ sint, non quaternitas, sed Trinitas adoratur. Ut enim Lateranense IV. Cap. II. definit: *Ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas: quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt.*

69. Di-

69. Dices VIII. Trinitas Personarum sanæ rationi adversatur. Ergo ad fabulas amandanda est. R. N. A. Equidem ineffabile atque adorandum hoc mysterium humanum superat ingenium, supraque rationem est; at neutiquam illi adversatur. Cum enim idem sit & rationis & fidei nostræ parens, fieri nequit ut Deus fide divina nobis credenda proposuerit, quæ sanæ rationis lumen spernenda esse dictat. Quare vehementer errant Socinìani, qui humana decempeda Deum, quæque ad illum pertinent, metiuntur, religionemque humanæ penitus subdunt rationi, ut nihil amplius apud eos credatur, quod angustæ rationis captum superat. Profecto sana ratio dictat, captivandum esse intellectum in obsequium fidei: nobilissimam hominis portionem, intellectum, inquam, quo a Brutis discernimur, Deo, sapientiæ omnis & veritatis inexhausto fonti, immolandum esse: in Religionis negotio Scriptura & Traditione standum esse, quamvis in sublimissima illa fidei nostræ mysteria, resque sacratissimas nec cogitationis aciem intendere, nec per sensus nostros illuc liceat pervenire. Et sane quam multa naturæ phœnomena, & rerum causæ, externis etiam atque intimis sensibus subjectæ, obtusam ingenii nostri aciem quotidie non effugiunt? Aut quod fidei genus hoc esse dicam priscis omnibus incognitum, Divinam Omnipotentiam arctissimis humani ingenii limitibus circumscribere: Deum sibi fabricari, qui plura non possit quam homines velint: cujus sapientiam ac veracitatem in jus nobis liceat vocare: cujus auctoritas neque tantam a nobis fidem exigere queat, quam sensus nostri, a quibus tamen nos aut deceptos aut desertos tam sæpe conquerimur?

CONTROVERSIA II.

AN SPIRITUS SANCTUS SIT VERUS DEUS, PATRI AC FILIO CONSUBSTANTIALIS?

CONTRA ARIANOS, MACEDONIANOS, SOCINIANOS.

Errores. 70. Arius, aliique hæretici, qui Filium esse creaturam asserebant, Divinitatem quoque Spiritus Sancti negarunt; nullus enim hæreticorum Spiritum Sanctum Filio umquam anteposuit. Apertius tamen Divino Spiritui bellum indixerunt Eunomius Cyzicenus, & Macedonius, in sedem Pauli CPolitani ab Arianis intrusus, ac paulo post A. 359. jussu Constantii Jmperatoris in ordinem redactus, quod se inconsulto, & magna populi multitudine reluctante, corpus Constantini M. ex Apostolorum templo in aliud transferendo multarum cædium occasio fuerit. Episcopatu itaque dejectus pestiferum errorem latius cœpit proseminare, asserens Spiritum Sanctum non ejusdem cum Patre & Filio honoris participem, sed utriusque ministrum esse ac creaturam. Hinc qui ejus hæresin sectati sunt, a Græcis *Pnevmatomachi*, id est, Spiritus Sancti impugnatores dicti sunt. Horum impietatem nostris temporibus æmulantur Sociniani, qui docent, Spiritum Sanctum veram non esse personam subsistentem, sed Dei dumtaxat virtutem & efficaciam.

Spiritus Sancti Divinitas ex Scripturis. 71. Conclusio Dogmatica. Spiritus Sanctus est verus Deus, ideoque Patri ac Filio consubstantialis. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Matth. ult. Christus ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ergo Divinitatem illius evincit forma baptismi, in qua Deo Patri ac Filio tertius adjungitur Spiritus Sanctus; utique non adjungendus in unum cum illis dignitatis & honoris consortium, nisi Deus esset: neque in Sacramento fidei nominandus, nisi fidei nostræ esset objectum, quod creaturæ non convenit. Act. V. S. Petrus Ananiam ita alloquitur: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare*

de

de pretio agri? - - Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Ubi Spiritus Sanctus aperte & absolute dicitur Deus, & opponitur creaturis. Urgent hunc locum S. Basil. Lib. V. contra Eunomium, & Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XVI. S. Greg. Nazianz. Orat. XXXVII. S. Cyril. Alexandr. in Thes. Aſsertione XXXIV. S. Ambros. Lib. I. de Spiritu Sancto, Cap. IV. S. Epiphan. Hær. LXXIV. S. Aug. Lib. II. contra Maximinum, Cap. XXI. &c. Quod Jsajæ VI. Dominus Deus exercituum locutus eſse dicitur: *Audite audientes. & nolite intelligere &c.* Paulus Apostolus Act. XXVIII. a Spiritu Sancto pronuntiatum eſse aſserit: *Quia bene Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſajam Prophetam ad Patres noſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis &c.* Ergo idem est Dominus exercituum, ac Spiritus Sanctus. Ergo Spiritus Sanctus est verus natura ac substantia Deus. P. C. Qui in veteri Testamento Jehovah, & Dominus exercituum appellatur, is ipse est, qui in novo Testamento Spiritus Sanctus dicitur. Sed qui in veteri Testamento Jehovah, & Dominus exercituum appellatur, est verus natura ac substantia Deus. Ergo Spiritus Sanctus est verus natura ac substantia Deus. Jdem evincitur ex iis Scripturæ locis, quibus Spiritui Sancto attributa divina, aliaque opera, quæ solus Deus edere potest, tribuuntur. Sap. I. v. 7. tribuitur illi immensitas. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* I. ad Cor. II. Omniscientia. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Ubi scrutari idem est, ac clare comprehendere, cum de ipso Deo dicatur Psal. VII. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Psalm. XXXII. Omnipotentia. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* I. ad Cor. VI. v. 11. Sanctificatio & Justificatio. *Juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* I. ad Cor. XII. Operatio miraculorum, linguarum &c. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem Sermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu:*

alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult. Ergo Spiritus Sanctus est verus Deus, veraque persona subsistens, utpote cui donorum cœlestium distributio, aliæque hujuscemodi operationes adscribuntur, quæ personarum sunt.

72. Exstabat olim primis quatuor sæculis, in plurimis saltem Ecclesiæ codicibus, insignis locus Divinitatem Spiritus Sancti adstruens, nempe Joan. III. v. 6. *Quoniam Deus Spiritus eſt*, quem ab Arianis sublatum fuiſse non modo primum affirmant Hincmarus in Tract. de non trina Deitate, & Fulbertus Carnotensis Epist. I. ad Adeodatum, sed S. Ambros. Lib. III. de Spiritu Sancto, Cap. X. *Nec ſolum hoc loco evidenter Sancti Spiritus Θεοτητα, hoc eſt Deitatem Scriptura teſtatur; ſed etiam ipſe Dominus dixit in Evangelio: Quoniam Deus Spiritus eſt. Quem locum ita expreße, Ariani, teſtificamini eße de Spiritu, ut de veſtris codicibus auferatis: atque utinam de veſtris, & non etiam de Eccleſiæ codicibus tolleretis.* Tempus dein assignat Ambrosius, quo fraus detecta est: *Eo enim tempore, quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanenſem Eccleſiam armis exercituque occupaverat, vel a Valente atque Urſacio, nutantibus Sacerdotibus ſuis, incurſabatur Eccleſia Sirmienſis, falſum hoc, & ſacrilegium veſtrum in Eccleſiaſticis codicibus deprehenſum eſt, & fortaße hoc etiam in Oriente feciſtis.* Ergo id factum fuit non ante A. 357. fortaſse aliquot post annis. Locum illum Joan. III. v. 6. citat Tertull. Lib. de Carne Christi, Cap. XVIII. In Concilio Carthagine congregato A. 256. in causa Rebaptizantium, inter Opera Cypriani Editionis Oxoniensis, pag. 231. Nemesianus a Thuburnis sic loquens inducitur: *In Evangelio Dominus dicit, quod natum eſt de carne, caro eſt: & quod natum eſt de Spiritu, Spiritus eſt; quia Deus Spiritus eſt, & de Deo natus eſt.* Quin Vigilius Tapsensis sub finem

finem V. Sæculi hunc locum Scripturæ citat in Dialogis illis, ubi inducit Athanasium cum Ario disputantem coram Probo judice, & qui habentur ad calcem Operum Athanasii. Si quæras, cur hæc verba e Capite tertio ab Arianis expuncta sint, cum eadem Capite IV. versu 24. integra perseverent? Resp. rationem satis indicari ab Ambrosio loco cit. videlicet, quod verba Capitis IV. ad Patrem detorqueri posse putarent Ariani, non autem ita verba Capitis III. quæ de Spiritu Sancto accipienda sunt, cujus tamen Divinitatem inficiabantur. Cæterum in Vulgata editione verba illa Capitis III. ab Arianis erasa, non amplius leguntur, neque Ecclesia locum illum restituit. Quamvis enim certum sit verba illa extitisse in codicibus Africanis, iisque, quos Romæ Tertullianus, Sirmii ac Mediolani legerat Ambrosius; certum tamen non est atque exploratum, ea extitisse in antiquissimis & primigeniis Evangelii exemplaribus. Vide Bartholomæum Germon de veteribus hæreticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus, Lib. I. Parte I. Cap. XIII.

73. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Justinus M. Apologia II. pro Christianis ait: *Patrem, & qui ab eo venit -- Filium, & Spiritum Sanctum Propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate adorantes.* Athenagoras in Legatione pro Christian. *Spiritum Sanctum agentem in illis, qui propheticos sermones fundunt, ita a Deo emanare, & ad ipsum reflecti dicimus, ut emissi a Sole radii reciprocant. Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum.* S. Irenæus Lib. V. adv. Hær. Cap. VIII. ait, *per manus Patris, id est, per Filium & Spiritum, factum esse hominem secundum similitudinem Dei.* Tertull. Lib. adv. Praxeam, Cap. XIII. *Duos definimus & Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu Sancto. -- Duos tamen Deos & duos Dominos numquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque &c.* S. Cypr. Epist. LXXIII. ad Jubajanum: *Cum tres unum* *Patribus.*

sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est? S. Dionysius Alexandr. in Responsione ad propositiones Pauli Samosateni ait: *Nisi enim esset Christus Deus Verbum, non potuisset non esse peccato obnoxius. Nullus enim non obnoxius est peccato, nisi unus Christus, ut & Pater Christi, & Sanctus Spiritus.* Atque hi omnes Antenicæni sunt. Post damnatam Nicææ Arii impietatem calamum adversus impugnatores Spiritus Sancti strinxere S. Athan. Epist. ad Serapionem. Didymus Lib. de Spiritu Sancto. S. Hilarius in Libris de Trinitate. S. Basil. in Libris contra Eunomium, & de Spiritu Sancto. S. Greg. Nazianz. Orat. XXXVII. S. Ambr. in Libris de Spiritu Sancto. Theodoretus Lib. V. contra Hær. Cap. de Spiritu Sancto. S. Epiph. in Panario, Hær. LXXIV. S. Greg. Nyss. in Lib. contra Eunomium. S. Aug. in Libris de Trinitate & contra Maximinum Arianum. S. Cyrill. Alexandr. in Thesauro. S. Cyrill. Jerosol. Catech. XVI. & XVII.

Conciliis. 74. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Arianam blasphemiam confixit Nicæna Synodus in Symbolo: *Credimus in Spiritum Sanctum.* Macedonianam vero Synodus Alexandrina A. 362. post reditum S. Athanasii celebrata, tum Illyriciana A. 367. ac Romana A. 379. sub S. Damaso, qui Epistolam dedit Synodicam ad Episcopos Illyrici, apud Theodoretum Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XI. *Et quia post Concilium Niccenum hic error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere, Spiritum Sanctum factum esse per Filium, anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum cum Patre & Filio unius potestatis esse atque substantiæ. Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili Filium & Spiritum Sanctum asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutavere, sed nomen. - - Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius de Divi-*

na

na Substantia, & Deum verum, anathema sit. -- Si quis tres personas non dixerit veras, Patrem & Filium ac Spiritum Sanctum, -- anathema sit. -- Si quis non dixerit Spiritum Sanctum adorandum ab omni creatura, sicut Filium & Patrem, anathema sit. Accessit A. 381. CPolitanum I. quod verbis illis Symboli Nicæni, *Credimus in Spiritum Sanctum*, ad confodiendum Macedonii errorem addidit: *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum; qui locutus est per Sanctos Prophetas.* Quamvis autem hæc Synodus ratione convocationis Oecumenica non fuerit, cum soli Episcopi Orientales, a Theodosio Jmperatore acciti, conventum illum celebrarint absque Legatorum Damasi præsentia; merito tamen in Synodorum Generalium numerum relata est, quia Macedonii damnationem ratam habuerunt Damasus Papa, & Occidentales Episcopi, qui eodem ferme tempore, quo Græci CPoli, ipsi Romæ in Synodo erant congregati.

75. Prob. IV. Argumento præscriptionis. Sæculo IV. Ecclesia credidit Spiritum Sanctum esse verum Deum, Patri ac Filio Consubstantialem. Ergo etiam prioribus sæculis eadem semper fuit fides Ecclesiæ circa Divinitatem Spiritus Sancti. Dici enim & ostendi non potest, quo tempore, ubi, a quo, quibus præsidiis, quibus obsistentibus, mutata fuerit antiqua, atque ab Apostolis accepta doctrina de Spiritu Sancto; cum tamen hæc omnia in tam gravi mutatione religionis assignari possint ac debeant. P. A. tum ex Patribus, quorum nomina paulo ante recitavimus, tum ex Ecclesiastica Historia illorum temporum. Qui enim sæculo IV. Divinitatem Spiritus Sancti negarunt, ab Ecclesia tamquam hæretici proscripti sunt, nec alia via veniam & pacem consecuti sunt, quam ejurata hæresi. Sic in Concilio Alexandrino A. 362. ab hæreticis ad Ecclesiam Catholicam redeuntibus postulabatur, ut execrarentur Arianam impietatem, atque etiam illos, qui dicebant Spiritum Sanctum non esse Deum. S. Basilius Eustathium Sebastenum in commu-

Ex argumento præscriptionis ostenditur.

munionem suam prius non adscivit, quam Divinitati Spiritus Sancti subscripsisset. Adde antiquissimam illam ac celebrem glorificationem, qua Ecclesiæ hymni ubique obsignabantur, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, aut *cum*, vel *in Spiritu Sancto*, quam Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXIX. indiscriminatim usurpatam fuisse scribit a S. Irenæo, Clemente Romano, Dionysio Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, Origene &c.

Argumenta contraria refutantur.

Putidæ Socinianorum exceptiones.

76. Objic. I. Jnfirmitas argumenti a Scripturarum auctoritate petiti. Scriptura iis etiam rebus operationes tribuit, quæ omnium judicio non sunt veræ personæ. Ergo quamvis Scriptura tribuat Spiritui Sancto operationes quasdam, non evincitur illum esse veram personam. P. A. Apostolus I. ad Cor. XIII. dicit de charitate, quæ tamen virtus est, non persona: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa &c.* Lex dicitur in Scripturis loqui, sanguis Abel clamare &c. Ergo. R. D. A. Aliquando, C. A. Semper, N. A. & C., alias si legitima foret hæc Socinianorum exceptio, sequeretur etiam quod Christus non sit persona, sed sapientia ac virtus Patris. Ad *prob.* C. A. N. C. Cuilibet, etiam rudissimo, notum est, charitatem, non sumendam hic esse abstractive, sed concretive pro homine habente charitatem; abstracta quippe non operatur, sed concreta: neque ullus tam obesæ naris est, qui non illico intelligat, in proprio sensu solum Legislatorem loqui, non legem &c. At vero Spiritus Sanctus constanter & ubique in Divinis Scripturis describitur tamquam vera persona; tribuunturque illi actiones, quæ a solis personis elici possunt; dicitur enim docere, revelare futura, scrutari profunda Dei &c. Actuum XIII. dicitur: *Dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Act. X. *Petro autem*

autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, descende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos. Matth. III. *Et ecce aperti sunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.*

77. Dices I. Primi Christiani nequidem sciverunt dari Spiritum Sanctum, ut dicitur Act. XIX. *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus.* Ergo Scriptura per Spiritum Sanctum non intelligit veram personam. *Confirm.* Spiritus Sanctus in Scripturis dicitur donum Dei, & in die Pentecostes effusus: atqui hæc de vera persona dici nequeunt. Ergo. R. N. A. Qui Act. XIX. ignorasse dicuntur Spiritum Sanctum, pauci erant numero, baptizati baptismo Joannis, ideoque nondum Christiani; atque hinc præmissa a Paulo instructione baptizati fuere baptismo Christi. Ad *confirm.* Resp. Spiritus Sanctus in Scripturis *Donum Dei* dicitur, non accidentale, sed personale & subsistens, eo modo quo ipse Christus Joan. III. v. 16. *Donum Dei* dicitur. Spiritus Sanctus in die Pentecostes effusus fuisse dicitur, non quod ipsa Spiritus Sancti persona, quæ est simplicissima, fuerit divisa, sed quod ejusdem dona fuerint Apostolis distributa. Atque hoc etiam sensu Spiritus Sanctus augeri vel minui dicitur, quoad dona nimirum, non quoad ipsam Spiritus Sancti personam aut substantiam.

78. Dices II. Jn Græco textu Actuum V. non dicitur, quod Ananias mentitus sit Spiritui Sancto, sed quod Spiritum Sanctum fefellerit: & per Spiritum Sanctum intelligendi sunt Apostoli, in quibus habitabat Spiritus Sanctus. Ergo ex illo loco non evincitur Divinitas Spiritus Sancti. R. T. I^{mnm} membr. Ant. vox enim illa æque significat fallere, ac mentiri, eademque est omnino significatio vocum mentiri & fallere; ideo enim mentitus est Ananias, quia Apostolos fallere voluit. Et N. II^{dum} membrum Antecedentis. Textus satis clare distinguit Deum ab hominibus. Aut ubinam Sociniani legunt Apostolos in Scripturis Spiritus Sancti nomine aliquando fuisse dona-

donatos? Dicentne forsitan, cum baptizantur in nomine Spiritus Sancti, baptizari nos in nomine Apostolorum?

Et argumentis ex Scripturis.

79. Objic. II. Auctoritas Scripturarum. In Scripturis multa Spiritui Sancto tribuuntur, quæ Deo non conveniunt. Ergo non est Deus. P. A. I. Amos IV. juxta versionem τῶν LXX. dicitur creatus. *Format tonitru, & creat Spiritum.* II. Joan. I. a Filio factus: *Per quem omnia facta sunt.* III. Ad Rom. VIII. orans & gemens: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* IV. Joan. XV. mittendus a Christo: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis.* V. Quod nihil a se loquatur, quod scientiam a Filio accipiat. Joan. XVI. *Non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* VI. Denique Joan. VII. dicitur: *Nondum erat Spiritus datus quia nondum erat Jesus glorificatus.* Ergo. R. N. A. Ad I. R. non esse ibi sermonem de Persona Divina, sed de vento. Hinc in Vulgata nostra legitur: *Formans montes, & creans ventum.* Ad II. R. omnia, quæ facta sunt, per Verbum fuisse facta, ut ipse S. Joanes ait. Cap. I. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* At vero Spiritus Sanctus nec factus, nec creatus, nec genitus est; sed procedit tantum a Patre & Filio. Ergo juxta S. Joannem non est factus a Filio. Ad III. R. Spiritum Sanctum postulare non in sensu formali, sed causali, quia per interiorem gratiam facit nos postulantes gemitibus, qui enarrari nequeunt. Qui loquendi modus similis est illi II. ad Cor. II. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu*, id est, qui semper nos facit triumphare per gratiam ex meritis Christi datam. Neque dicas: Si postulat Spiritus Sanctus pro nobis, quia postulare nos facit: igitur & Pater pro nobis postulat, siquidem & ille postulare nos facit. Respondeo enim N. illatum. Sicut enim Pater non dicitur mitti, (licet ea operatio ad quam Persona

aliqua

aliqua Divina mittitur, v. g. sanctificatio hominis, sit toti Trinitati communis,) propterea quod necesse sit personam, quæ mittitur, a mittente procedere, a qua videlicet cum operatione simul accipit & naturam: ita de hac postulatione dicendum, quæ quamvis significet effectum in hominibus, quem etiam Pater, immo tota Trinitas operatur, non tamen tota Trinitas postulare recte dicitur: sed ea tantum persona, quæ accipit ab alia ut faciat homines postulantes. Ad IV. R. Spiritum Sanctum mitti per processionem, non per imperium, quatenus nempe a Patre & Filio procedit, & incipit novo modo esse in creatura per effectum, qui ei per appropriationem tribuitur. *Missio* enim in Divinis nihil aliud est, quam personæ ab alia procedentis præsentia in creatura per effectum aliquem temporaneum. Ad. V. R. Spiritum Sanctum non loqui a semetipso, id est, sine Patris & Filii communicatione, & ab iisdem accipere scientiam, sed absque ulla dependentia; non discendo, sed procedendo, ex essentiali & infrustrabili exigentia accipiendo per processionem naturam divinam, quæ per se ipsam est rerum omnium cognoscibilium cognitio. Fateor mysterium hoc esse incomprehensibile, quod scrutari temeritas, credere pietas est. Ad VI. Resp. sensum citati textus esse, quod Spiritus Sanctus ante ascensionem Christi nondum fuerit datus cum tanta cœlestium donorum ubertate, qua datus fuit die Pentecostes.

80. Dices I. Scriptura apertis verbis rejicit Spiritum Sanctum a consortio Divinitatis. Ergo. P. A. Joan. XVII. dicitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* I. ad Timoth. V. nulla Spiritus Sancti facta mentione, scribit Apostolus: *Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio.* Matth. Cap. XI. dicitur: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ergo Spiritus Sanctus ignorat Patrem & Filium. Ergo non est Deus R. N. A.

quod manifeste falsum esse evincunt ea Scripturæ testimonia, quæ in prima probatione adduximus. Ad *prob.* N. C. Scriptura loquitur modo de una tantum, modo de duabus, modo de tribus personis simul, pro data occasione, nimirum prouti conveniens erat alicujus personæ Divinitatem specialiter inculcari. Quemadmodum igitur ex eo, quod sæpe solius Christi meminerit, v. gr. ad Galat. III. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* aut solius Spiritus Sancti, v. g. Sap. I. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* I. ad Cor. XII. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult,* minime sequitur, nos in Baptismo Patrem non induere, aut Patrem & Filium immensos non esse, aut non operari, quæ Spiritus Sanctus dicitur operari: ita etiam ex eo quod expressa Spiritus Sancti mentio alicubi non fiat, minime sequitur ibi excludi a Scripturis Spiritum Sanctum. Jta quoad rem Ambros. Lib. I. de Spiritu Sancto, Cap. III. Matthæi locum quod attinet, *Nemo novit Filium, nisi Pater &c.* certum est ibi excludi personas creatas, Angelos & homines, non autem Personas Divinas; secus Scriptura sibi ipsi contradiceret, quia de Spiritu Sancto scribit Apostolus I. ad Cor. II. v. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur.* Et v. 11. *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

81. Dices II. Spiritus Sanctus in Scriptura sæpe vocatur *Spiritus Dei.* Sed Spiritus Dei non est persona ab homine distincta, cui Spiritum Sanctum comparat Apostolus I. ad Cor. Cap. II. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ergo. R. C. M. D. m. Non est persona, si Spiritus accipiatur pro essentia, C. m. Si accipiatur relative aut notionaliter, N. m. Cum autem Spiritus Sanctus a Deo Patre & Filio procedat, necesse est, ut ab iis personalitate ac hypostasi distinguatur. Ergo Spiritus Dei relative ac notionaliter accipien-

piendus est pro Divina Persona subsistente. Ad rationem additam R. Spiritus hominis est pars hominis, non persona; Spiritus vero Dei non est pars Dei, sed vera persona. Quare Apostolus paritatem instituit tantum inter modum cognoscendi, non vero quoad modum subsistendi. Nimirum sicut secretos animi motus nemo scit præter hominem, seu Spiritum hominis: sic nemo cognoscit, quæ Dei sunt, nisi Spiritus Dei, qui in Deo est.

Patribus.

82. Objic. III. Auctoritas Patrum & Ecclesiæ. I. S. Dionysius Alexandr. negavit Divinitatem Spiritus Sancti, ut fatetur S. Basilius Epist. XLI. II. S. Hilarius in duodecim libris de Trinitate Spiritum Sanctum numquam diserte Deum nominavit, ut observat Erasmus præfatione in Hilarium. III. S. Basilius cum de Spiritu Sancto loqueretur, œconomia & dispensatione quadam Dei nomen suppresit, quod non fecisset, si dogma fidei existimasset assertionem Divinitatis Spiritus Sancti. Hanc autem Magni Basilii œconomiam laudat S. Greg. Nazianz. Orat. XX. IV. Primis sæculis in Ecclesia valde usitata fuit hæc formula glorificationis: *Gloria Patri & Filio in Spiritu Sancto.* Ergo Christiani discrimen faciebant inter Spiritum Sanctum, & primas duas personas. R. ad I. Quando S. Basilius Epistolam XLI. scripsit, non legerat Apologeticum a S. Dionysio Alexandrino exaratum; unde illius mentem non satis perspectam habuit. Certe Catholicam de Spiritu Sancto doctrinam suam dilucide explicavit in Responsione ad interrogationes Pauli Samosateni, (Vide locum illum in II. probatione a nobis adductum,) & Dionysium ab omni hæresis suspicione purgavit S. Athanasius. Ad II. R. Spiritum Sanctum sæpius ab Hilario implicite saltem ac æquivalenter vocari Deum. Lib. XII. de Trinitate Patrem alloquens scribit: *Profunda tua Spiritus Sanctus tuus, secundum Apostolum, scrutatur, & novit: & interpellator pro me tuus inenarrabilia a me tibi loquitur: & ego naturæ suæ ex te per Unigenitum tuum manantis, potentiam creationis*

nomine non modo non eloquar, ſed etiam infamabo? (dicendo Spiritum Sanctum eſse creaturam) *Nulla te niſi res tua penetrat: nec profundum immenſæ majeſtatis tuæ peregrinæ atque alienæ a te virtutis cauſa metitur. Tuum eſt, quidquid te init; neque alienum a te eſt, quidquid virtutis ſcrutantis ineſt.* Ad III. R. S. Basil. palam in scriptis suis declaravit, unam & eamdem eſse Spiritus Sancti cum Patre & Filio substantiam: eum inter creaturas numerandum non eſse: nos in nomine Spiritus Sancti, perinde ac Patris & Filii baptizari; quod certe idem est, ac si Spiritum Sanctum expreſſe Deum appellaſset. Jpse S. Greg. Nazianz. Orat. XX. de illo testatur, eum sæpe in concionibus publicis, quando nullum Ecclesiæ periculum imminebat, Spiritum Sanctum Deum appellaſse, & in privatis colloquiis interrogantibus de Divinitate Spiritus Sancti expreſsis verbis semper respondiſse, illum eſse Deum. Quare ex prudenti tantum œconomia quandoque Spiritum Sanctum expreſsis verbis Deum non appellavit, ne Episcopatu suo ab Arianis & Macedonianis pelleretur, sibique hæreticus Episcopus substitueretur, qui Cæsariensem Ecclesiam hæresi dein inficeret. Quandoque autem Spiritum Sanctum Deum eſse diserte profeſsus est, ut Epistola CXLI. *Confitendum eſt, Deum eſſe Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum; quemadmodum Divinæ Scripturæ, & qui ſublimiora contemplati ſunt, docuerunt.* Ad IV. R. N. C. S. Basil. Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXV. & XXVI. ex Veterum auctoritate ostendit, particulam *in* eamdem omnino energiam ac significationem habere, quam præpositio *cum*, *per*, aut conjunctio *Et*.

Et ratione petita. §3. Objic. IV. Ratio. Jlla persona non est Deus, quæ neque est genita, nec ingenita. Atqui talis est Spiritus Sanctus. Ergo. P. m. Spiritus Sanctus non est genitus, alias Spiritus Sanctus foret Filius: Neque est ingenitus, quia ingenitus in Deo non significat meram negationem, sed aliquid positivum, adeoque idem denotat, ac eſse principium & fontem omnium sine alio principio, quod soli Patri convenit.

nit. Ergo. II. Spiritus Sanctus est tertius ordine. Ergo etiam natura. Ergo non est Deus. R. N. M. Inter genitum & ingenitum datur medium, scilicet processio per aliam viam, quam per generationem. Si quæras, quæ sit hæc processio? R. cum S. Greg. Nazianz. Orat. XXXVII. *Dic tu, quæ Patris ingenitura sit, & ego Filii generationem, & Spiritus processionem explicare aggrediar, ut ambo mentis vesania præcipites agamur, in Dei mysteria oculos injicientes; idque qui tandem? Nempe qui ne ea quidem, quæ ante pedes sunt, scire, nec arenam maris, aut pluviæ guttas, & dies sæculi enumerare possumus, nedum in Dei profunda penetrare, naturæque adeo arcanæ, atque omnem orationis facultatem superantis rationes reddere.* Ad II. N. C. Tertius est enim, non ordine aliquo secundum gradus inæquales essentiæ; sed secundum originem in eadem essentia.

CONTROVERSIA III.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO.

CONTRA GRÆCOS SCHISMATICOS.

84. Per *processionem* in Divinis intelligitur quædam emanatio, seu origo unius personæ ab alia, quam Theologi ita explicare solent. Pater ab æterno se perfectissime cognoscendo producit in se Verbum, seu imaginem sui infinite perfectam, adeoque ejusdem secum perfectionis & substantiæ. Præterea Pater Verbumque se invicem amando producunt amorem infinite perfectum, adeoque ejusdem iterum perfectionis ac substantiæ, nempe Spiritum Sanctum. Dantur itaque in divinis duæ processiones veræ ac reales, una per intellectum, qua Verbum, seu Filius a Patre: altera per voluntatem, qua Spiritus Sanctus a Patre & Filio simul procedit. *Quid sit processio in Divinis?*

85. Sæculo IV. Ariani & Macedoniani asserebant Filium & Spiritum Sanctum esse meras creaturas Fi- *Errores.*

lium-

lìumque a solo Patre, Spiritum Sanctum vero a solo Filio factum esse: quem errorem ut confoderet CPolinum I. addidit Nicæno Symbolo: *Qui ex Patre procedit.* Sæculo VIII. A. 767. in Concilio Gentiliacensi prope Parisios disputatum est inter Episcopos Franciæ & Græciæ, Constantini Copronymi Jmperatoris legatos, an Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio. Sæculo IX. recruduit controversia Græcos inter & Latinos; Photius enim CPolitanæ Sedis invasor, ejecto Jgnatio legitimo Patriarcha, a Romana Ecclesia schismatica temeritate se separavit, illud inter alia crimini Latinis vertens, quod Spiritum Sanctum a Filio etiam procedere docerent. Sæculo XI. Michael Cerularius Patriarcha CPolitanus redintegratam concordiam disolvit, aserens Latinos omnes excommunicatos esse, quod CPolitano Symbolo particulam *Filioque* addidissent, Ephesino I. graviter id vetante. Sæculo XIII. in Lugdunensi II. A. 1274. sub Gregorio X. adnitente Michaële Paleologo Orientis Jmperatore, pax iterum coaluit Græcos inter & Latinos, Symbolumque addita voce *Filioque* inter Missarum solemnia publice decantatum est. Græcis ad ingenium redeuntibus sancita fuit iterum concordia in Concilio Florentino, præsentibus Joanne Palæologo Jmperatore, multisque Græcorum Episcopis, quos inter præcipui erant Josephus Patriarcha CPolitanus, ipsius Concilii tempore Florentiæ defunctus A. 1439. Bessario Nicænus, Jsidorus Ruthenus, Josephus Methonensis, Georgius Scholarius, Gregorius Protosyncellus &c. Consentientibus Græcis definitum est, Spiritum Sanctum a Patre & Filio tamquam ab uno principio procedere, rectèque additam fuisse Symbolo CPolitano vocem *Filioque.* Verum paulo post leves Græculi, Marci Ephesini opera, Latinis infensissimi, in antiquum errorem relapsi, perfidiæ pœnas Deo dederunt, capta A. 1453. a Mahomete II. Turcarum Tyranno CPoli, excisoque Orientis imperio, quod a Constantino M. ad Constantinum usque Palæologum ulti-

ultimum Orientis Jmperatorem Christianum, undecim sæculis perduravit.

Spiritum Sanctum a Patre procedere Græci omnes unanimi voce fatentur; diserte enim id clarisque verbis in Scriptura affirmatur, Joan. XV. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Et CPolitana I. Synodus Nicæno Symbolo contra Macedonianos addidit, *Qui a Patre procedit.* *Spiritus Sanctus a Patre procedit.*

86. Conclusio Dogmatica. Spiritus Sanctus non a Patre tantum, sed etiam a Filio procedit. *Et a Filio ut ostendunt Scripturæ.*

Prob. I. Auctoritate Scripturarum, quæ multiplex argumentum suppeditant. Nam I. Spiritus Sanctus mittitur a Filio. Joan. XV. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis.* Joan. XVI. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo procedit a Filio. P. C. Misio in Divinis supponit processionem personæ quæ mittitur, ab illa quæ mittit; alias si misio denotaret imperium, sequeretur, quod ipsi etiam Græci non admittunt, Spiritum Sanctum non esse verum Deum. Ergo. II. Spiritus Sanctus a Filio accipit, & a seipso non loquitur. Joan. XVI. *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. - - - Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Atqui in Divinis una persona aliter non accipit ab alia, quam via originis & processionis. Ergo etiam Spiritus Sanctus hac ratione accipit a Filio. P. m. Filius a Patre accipit, & ea quæ loquitur, audivit, quia a Patre per æternam generationem procedit. Ergo etiam Spiritus Sanctus per procesionem a Filio accipit scientiam cum essentia divina, quia scientia non distinguitur a natura divina. III. Christus ait Joan. XVI. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ergo Filius omnia habet quæ Pater, excepta relatione Paternitatis. Atqui Pater, ut ipsi Græci fatentur, habet vim spirandi Spiritum Sanctum. Ergo vim illam habet & Filius; in hac enim Patri non opponitur, estque com-

posi-

posibilis cum Filiatione. IV. Spiritus Sanctus sæpe in scripturis vocatur Spiritus Patris, vel Dei, quia a Patre procedit. Ergo etiam procedit a Filio, quia sæpe in scripturis Spiritus Christi vocatur, v. g. Act. XVI. v. 7. *Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu.* Ad Rom. VIII. v. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ad Galat. IV. v. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Atque hæc præcipua sunt argumenta ex scripturis petita, quæ Græcis objecerunt S. Anselmus Cantuariensis in Bariensi Synodo A. 1098. & Joannes Lombardus Ord. Præd. in Florentina A. 1439.

Patres Græci. 87. Prob. II. Auctoritate PP. Græcorum. S. Athanas. Epist. ad Serapionem ait: *Quod si Filius, quoniam ex Deo est, proprius est substantiæ ipsius, necesse est & Spiritum, qui ex Deo dicitur, proprium esse Filii secundum substantiam.* Er Orat. IV. adv. Arianos: *Neque vero Spiritus Verbum cum Patre copulat, sed potius Spiritus a Verbo accipit. - - - Ipse enim ut dictum est, Spiritum dat; & quæcunque habet Spiritus, hæc habet a Verbo.* S. Basilius Lib. III. contra Eunomium: *Quid enim necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, tertium ipsum esse natura? Nam dignitate secundum esse a Filio, ut qui ab illo esse habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ex illa causa pendeat, pietatis sermo tradit: verum tertiam usurpare naturam, neque a sacris litteris edocti sumus; neque ex supradictis consequenter potest colligi.* Hic locus cum in Florentino Concilio adduceretur a Joanne Theologo Lombardiæ Provinciali, Marcus Ephesinus interpolatos fuisse Codices exclamavit, ex quibus locus hic depromebatur. Respondit Joannes Codicem illum antiquissimum esse, 600. facile annis ante Florentinam Synodum exaratum, a Nicolao Cusano Cardinale CPoli advectum: quin potius a Græcis post schisma corruptos fuisse Basilii Codices. Et sane citatum locum eodem prorsus modo, ac Joannes Theologus, reddiderant

derant ducentis ferme annis, antequam Florentina Synodus haberetur, Joannes Veccus Patriarcha CPolitanus, & Manuel Calecas, qui Lib. I. de Erroribus Græcorum scribit: *Hoc autem si quis non esse Basilii contendat, adjectumque exemplaribus dicat, penitus delirat. Quippe in vetustissimis codicibus ita scriptum invenitur: quos quidem codices pro antiquitate sua, antequam schisma oriretur, conscriptos esse nullus ambigere omnino possit: quorum obliterati non nulli cernuntur: quibusdam hoc illius Viri dictum quasi adulteratum suscipere nolentibus, ac ferro contra mutos apices impie utentibus.* S. Greg. Nyssen. Lib. I. contra Eunomium: *Porro idem nobis & de Spiritu Sancto dicendum est; cujus in solo ordine differentia constituta est. Nam ut Patri conjunctus est Filius, & cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit: sic etiam Spiritus Sanctus proxime hæret Filio, qui sola cogitatione secundum rationem principii, prius consideratur productione Spiritus, Nam temporum intervalla in illa vita, quæ sæculum omne præcedit, locum non habent: adeo ut detracta principii ratione, nulla re Sancta Trinitas a se ipsa dissideat.* S. Epiph. Hær. LXXIV. *Vita totus est Deus. Ergo vita est e vita Filius: Ego enim sum, inquit, veritas & vita. At Spiritus Sanctus ab ambobus oritur.* Et in Anchorato, Num. VIII. *Inter Patrem & Filium medius est, ex Patre Filioque procedens, & appellatione tertius.* Didymus Lib. II. de Spiritu Sancto exponens illa verba Christi, *Non enim loquetur a semetipso*, scribit: *Non ex se, sed ex Patre, & ex me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, a Patre & me illi est.* S. Cyrill. Alexandr. Lib. de Recta Fide ad Reginas: *Procedit autem per ambos*, (Patrem & Filium,) *& vivificans Spiritus.* Idem in Responsione ad Orientalium objectiones ad Anathematismum IX. *Omnia existens quæcunque est Pater, excepto eo solo quod Pater est: & proprium habens, qui ex ipso est, & substantialiter inest ei, Spiritum Sanctum, divina miracula faciebat.* Et in Epistola ad Nestorium: *Quamvis enim Spiritus in substantia propria sit, quatenus*

Spiritus eſt, & non Filius; eſt tamen ab ipſo non alienus. Profunditur autem ab ipſo, non minus profecto quam ex Deo Patre. S. Maximus Martyr in Tract. de Candelabro Zachariæ Prophetæ: *Nam Spiritus Sanctus, quemadmodum natura Dei eſt, ac Patris ſecundum ſubſtantiam: ſic eſt Filii ſecundum ſubſtantiam; tanquam qui ex Patre ſubſtantialiter per Filium genitum inexplicabili modo procedat.* S. Joan. Damasc. Lib. I. de Fide Orthod. Cap. XVIII. *Imago Patris eſt Filius, & Filii Spiritus; per quem Chriſtus habitans in homine, dat ipſi ut ad imaginem ſit.* Filius autem imago dicitur Patris, quia a Patre procedit. Ergo juxta Damascenum etiam Spiritus Sanctus procedit a Filio, quia est imago Filii.

Ac Latini. 88. Prob. III. Auctoritate PP. Latinorum. S. Hilar. Lib. II. de Trinit. ait: *Loqui de eo* (Spiritu Sancto) *non neceſſe eſt, quia de Patre & Filio auctoribus confitendus eſt.* S. Aug. Lib. XV. de Trinit. Cap. XVII. *Ideo autem addidi, principaliter* (procedere Spiritum Sanctum a Patre,) *quia & de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam exiſtenti & nondum habenti: ſed quidquid Unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, & Spiritus Sanctus Spiritus eſſet amborum.* S. Leo M. Serm. II. de Pentec. *Quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius.* S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XI. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, eumdem Spiritum Sanctum, qui Patris & Filii unus eſt Spiritus, de Patre & Filio procedere.* S. Greg. M. Hom. XXVI. in Evangelia: *Spiritus Sancti miſſio ipſa proceſſio eſt, qua de Patre procedit & Filio.*

Et Synodalia decreta 89. Prob. IV. Auctoritate Conciliorum, Toletani I. III. IV. VIII. XI. XII. & XIII. in quibus aſseritur Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Aquisgranensis sub Carolo Magno A. 809, Bariensis sub Urbano II. A. 1098. Lateranensis IV. Oecumenici A. 1215. Lugdunensis II. A. 1274.

in

in quo hæc sententia promulgata est Græcis Latinisque litteris inscripta: *Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi. Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit.* Et Florentini A. 1439. subscribentibus Græcis omnibus, præter Marcum Ephesinum, in Decreto fidei. *In nomine Sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti*, (inquit Eugenius IV.) *hoc Sacro universali approbante Concilio Florentino, definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & ex Filio, & ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedit. - - Definimus insuper explicationem verborum illorum, FILIOQUE, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Adde, quod Generalia Concilia in Oriente habita, Ephesinum, Chalcedonense, CPolitanum II. III. & IV. approbarint Epistolam S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, in qua expresse dicitur, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere. Locum hunc adduximus in IIda probatione.

Quo tempore facta sit additio Filioques

90. Quæres I. Quid de tempore sentiendum sit, quo Symbolo CPolitano facta fuit additio vocis *Filioque?* R. Jn Hispaniis primum facta fuisse legitur in Toletano III. A. 589. dein in Toletano IV. A. 633. in VI. A. 638. Cap. I. & in VIII. A. 653. sub Recesvinto Rege. JIlam Galli quoque & Germani admisere VIII. sæculo, forsan in Concilio Gentiliacensi sub Pipino A. 767. in quo Latinos inter & Græcos de Spiritus Sancti processione fuit disputatum. Hæc additio vires accepit A. 809. in Concilio Aquisgranensi, in quo de Processione Spiritus Sancti a Filio rursus actum. Ex hac Synodo legatio decreta est ad Leonem III. Romanum Pontificem, cujus munus

Bernario Wormatiensium, Jesse Ambianensium Episcopis, & Adalardo Corbejensi Abbati impositum est, ut de additione illa, deque cantandi Symboli instituto cum eo conferrent. Decretum Synodi de Sancti Spiritus a Filio processione probavit Pontifex: additionem vero istorum verborum *Filioque* Symbolo CPolitano factam probare noluit, asserens necesse non esse, ut omnia fidei dogmata Symbolo inserantur; jussitque verba illa *Filioque* ex Symbolo CPolitano expungi, cui inserta a Gallis fuerant, & paulatim morem illum cantandi additionem *Filioque* remitti, ut Galli sic Romanæ accomodarent se Ecclesiæ, additionem illam tunc non decantanti. Atque hæc constant ex Actis collationis Legatorum illorum cum Leone III. a Smaragdo Abbate descriptis, insertis a Sirmondo Tomo II. Conciliorum Galliæ. Quin Leo III. Symbolum CPolitanum sine additione illa *Filioque* in tabula argentea describi jussit, & Romæ super altare S. Pauli collocari, tum ut hujus Symboli, quale fuerat a CPolitana Synodo conditum, memoria honorifice conservaretur: tum ne Græcis daretur occasio existimandi, Symbolum hoc a Latinis contemni. Ex quo patet eos, qui volunt additionem hanc factam fuisse jam sæculo IV. a S. Damaso Papa, vel sæculo VIII. a Nicæna II. Synodo, solido destitui fundamento. Multo itaque probabilius est, additionem hanc in Romana Ecclesia factam esse sæculo IX. circa tempora S. Nicolai I.; Photius enim in Encyclica ad Orientales Sedes primarias contra Nicolaum I. Epistola scribit: *Præter illa, quæ commemoravimus absurda, Sacrum etiam & Sanctum Symbolum, cui Synodica omnia & Oecumenica suffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis sermonibus, non sine incredibili audacia falsare aggressi sunt. O mali dæmonis machinamenta! Spiritum Sanctum non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere, vanissime prædicantes.* Equidem Epistola hæc in Codice Collegii, quod Græci Romæ habent, adscribitur Sisinnio Patriarchæ CPolitano, qui ab A. 995. ad A. 999. sedit; sed unus Codex

aliorum

aliorum omnium fidem non evertit. Quin etiam Ratramnus Corbejensis Monachus in libro II. pro Romana Ecclesia contra Græcos, quem circa A. 868. scripsit Photii tempore, illud ipsum tamquam ab illis objectum corrupti Symboli crimen diluit. Scripsit autem Ratramnus Opus illud, post acceptam Nicolai Encyclicam, quam ad Hincmarum & alios Episcopos in regno Caroli Calvi constitutos miserat A. 867. ut eos hortaretur ad refellendas Græcorum calumnias adversus Romanam Ecclesiam objectas a Michaële Jmperatore in epistola quadam ad se scripta. S. Antoninus in Chronico, Parte III. Tit. XXII. Cap. XIII. refert, Photium in illa Synodo latrocinali, quam contra Nicolaum subornavit, inter cætera crimina istud posuisse, quod apposuerit ad Symbolum Spiritum Sanctum a Filio procedere: qua de causa ex Concilii tertii, id est Ephesini decreto, excommunicatum esse eumdem statuit. Cui & Petrus Pythæus subscribit in erudito illo opusculo, quod de processione Sancti Spiritus elucubravit. Vide Dionysium Petavium Lib. VII. de Trinitate, Cap. II. & Natalem Alexandrum Dissertat. XXXVII. Artic. III. ad Histor. Eccles. Sæc. IV.

91. Quæres II. Cur processio Spiritus Sancti a Patre & Filio non sit generatio? R. Præstat hac de re silere, & Mysterium venerari, quam multa dicendo nihil dicere. Processionem illam non esse generationem fides docet: causam si quæris, Patres ingenue fatentur se ignorare, damnantque noxium atque inutilem hunc tam alta mysteria scrutandi pruritum, humano intellectui prorsus impervia. Operæ pretium erit ipsos Patres audire. S. Greg. Nazianz. Orat. XXIX. ait: *Audis generationem? modum ne curiosius inquiras. Audis Spiritum ex Patre procedere? id quomodo fiat, ne anxio studio perscruteris. Quod si in Filii generatione, & Spiritus processione pervestigandæ curiosum te præbes, ego quoque pari curiositate animæ corporisque conjunctionem & temperamentum inquiram. - - Si nihil horum intellectu percepisti, o homo! - - Si te ipsum non nosti, quis* *Cur processio illa non sit generatio?*

quisquis es, qui de his rebus disputas; si hæc nondum intellectu comprehendisti, quorum sensus ipse testis est, quo tandem modo, quid & quatenus sit Deus te certo tenere ac scire arbitraris? S. Chrysost. Orat. I. de incomprehensibili Dei natura: *Scio ipsum genuisse Filium; quomodo autem, ignoro. Novi Spiritum ex ipso esse; quomodo autem ex ipso sit, nescio. Cibos comedo; quo pacto autem dividantur in pituitam, sanguinem, humorem & bilem, ignoro, Hæc quæ quotidie comedentes videmus, ignoramus tamen: & Dei substantiam curiose scrutamur?* S. Aug. Lib. II. contra Maximinum, Cap. XIV. *Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Et Tract. XCIX. in Joan. *Quid interest inter procedere & nasci, & longum est quærendo disserere, & temerarium cum disseruerit definire.* S. Joan. Damasc. Lib. I. de Fide Orthod. Cap. VIII. *Et quidem generationem inter & processionem discrimen intercedere edocti sumus: cæterum quis sit hujus distinctionis modus, prorsus nescimus.*

Argumenta contraria refutantur.

Græcis non suffragatur silentium Scripturæ.

92. Objic. I. Silentium Scripturæ. Scriptura docet Spiritum Sanctum procedere a Patre, nulla facta mentione Filii. Joan. XV. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Ergo. R. I. Quamvis Scriptura sileret, Traditio tamen apertissime favet Catholicæ sententiæ: neque opus est, ut omnia fidei dogmata in Scripturis explicite contineantur, ut ipsi Græci fatentur, qui Traditionis Divinæ necessitatem ultro admittunt. R. II. D. A. Nulla facta mentione Filii expressa, C. A. Jmplicita, N. A. Hoc ipso quod Scripturæ dicant, Spiritum Sanctum a semetipso non loqui, accipere scientiam, mitti a Filio, Spiritum esse Filii, implicite & æquivalenter docent Spiritum Sanctum procedere etiam a Filio. Vide primam probationem.

93.

93. Objic. II. Silentium Conciliorum. CPolitanum I. definivit Spiritum Sanctum procedere a Patre, nulla omnino facta mentione Filii. Ergo non credidit illum procedere etiam a Filio, alias & istud definivisset. II. Jn Ephesino Concilio Charisius Presbyter prælegit Patribus Symbolum ab Anastasio & Photio Nestorianis compositum, in quo aperte asserebatur, Spiritum Sanctum non fuisse per Filium substantiam sortitum: neque tamen idcirco Concilii Patres doctrinam illam damnarunt, licet alia reprehenderint in eo Symbolo contenta, quæ erant reprehensione digna. III. Theodoretus S. Cyrilli Capitula XII. reprehendens, propositionem, quæ ex Filio aut per Filium Spiritum Sanctum existentiam habere asserit, ut blasphemam & impiam rejecit: neque tamen Cyrillus huic objectioni quidquam respondit. Ergo S. Cyrillus, qui anima erat quodammodo Concilii Ephesini, Theodoreti sententiam, quod in aliis sibi objectis non fecit, silentio suo approbare visus est. *Aut Conciliorum.*

R. ad I. C. A. N. C. Eo tempore, quo CPolitanum I. habitum est, nullus in dubium vocavit processionem Spiritus Sancti a Filio; sed Macedonius cum Eunomio negabat tantum illum procedere etiam a Patre. Quare CPolitanum I. definivit Spiritum Sanctum a Patre procedere; non solent enim Concilia definitiones condere, nisi ex occasione subnascentium errorum. Ad II. N. C. Ephesinæ Synodi Patres non omnes Nestorii errores examinarunt, ac damnarunt; sed eos tantum, quos in Mysterium Jncarnationis evomuerat, parum solliciti, siquid non satis caute de Trinitate affirmasset. Quæ quamvis postea Theodoretus in pejorem sensum traxerit; attamen S. Synodus, & S. Cyrillus, ne Ecclesiæ Christi novam inferre controversiam viderentur, in præcipuum & manifestum errorem subvertendum toti incubuere; quæ vero in rectum sensum trahi posse videbantur, neglexere. Verba porro Symboli, quod a Charisio Presbytero lectum est, sensum Catholicum patiebantur: scilicet Spiritum Sanctum existentiam per Filium non habere,

id

id est, non fuisse factum, nec creatum a Deo per Filium, cum reliquis omnibus creaturis. Atque ideo hæc propositio non fuit ab Ephesino reprobata. Adde, quod Ephesinum implicite damnaverit errorem processionis Spiritus Sancti a solo Patre, quando approbavit Catholicam S. Cyrilli Epistolam ad Nestorium, in qua expresse dicitur Spiritum Sanctum ab utroque procedere. Ad III. R. Theodoreti mentem non usque adeo perspicuam esse. Erroris eum hac in re accusant Hugo Etherianus, Bellarminus, Petavius, Allatius, Garnerius &c. Excusare illum nititur Tournely. Verum quidquid de Theodoreto dicatur, N. Ildum. m. Antec. Theodoreti objectionem confutavit S. Cyrillus in Responsione ad IX. Anathematismum: *Procedit enim ex Deo & Patre Spiritus Sanctus, secundum Salvatoris vocem: sed non est alienus a Filio: omnia enim habet cum Patre: & hoc ipse edocuit de Spiritu Sancto. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Sed demus etiam Cyrillum non respondisse. Quis ex eo legitime inferat, illum silentio suo errorem Theodoreti approbasse?

Vel auctoritas Patrum.

94. Objic. III. Auctoritas Patrum. Author Libri de Div. Nom. Cap. II. ait: *Solus fons supersubstantialis Deitatis est Pater.* II. S. Athanas. in Quæstione, *Quid est Deus?* scribit: *Deus Pater solus est causa duobus.* III. S. Basil. Ep. XLIII. ait: *Filius vero, qui ex Patre progredientem Spiritum per seipsum, & in se ipso notum facit, solus unigenito modo, ex ingenita luce resplendens, nullam secundum proprietatem notionum, communionem habet cum Patre aut Spiritu Sancto.* IV. S. Greg. Nazianz. Orat. ad Episc. Ægypti: *Omnia, quæ habet Pater, Filii sunt, præter principium.* V. S. Joan. Damasc. Spiritum Sanctum sic per Filium a Patre procedere ait, ut eum a Filio vel ex Filio procedere diserte neget. Lib. I. de Fide Orthod. Cap. XI. scribit: *Scire oportet, nos non dicere Patrem esse ex aliquo, sed ipsum dicimus Patrem esse Filii:*

lii: Filium vero non dicimus Principium, neque Patrem. Sed eum dicimus & ex Patre eſse, & Filium Patris. Porro Spiritum Sanctum tam ex Patre eſse profitemur, quam Patris appellamus Spiritum. Ex Filio autem Spiritum non dicimus: ſed eum Filii Spiritum nominamus. Et Cap. XIII. *Sed & Filii Spiritus eſt; non tamquam ex ipſo: ſed quod per ipſum ex Patre procedat. Solus enim Pater principium eſt.* VI. S. Maximus Martyr Epistola ad Marinum Cypri Presbyterum agens de Latinorum Synodica Constantinopolim miſsa, in qua dicebatur Spiritum Sanctum ex Filio etiam procedere, illos ita excusat, ut neget eos affirmare, Filium eſse Spiritus Sancti causam vel principium: *Unam quippe Filii & Spiritus Sancti cauſam agnoſcunt Patrem; illius quidem ſecundum generationem; hujus ſecundum proceſſionem. Sed ut oſtendant per Filium procedere Spiritum Sanctum; & ita ſubſtantiæ cognationem omnis expertem differentiæ demonſtrent.* R. ad I. Solum Patrem dici fontem Deitatis, quia aliæ personæ ab ipso procedunt, & ipse non procedit ab alia. Sicque Pater principium est sine principio; Filius principium de principio. Ad II. R. S. Athanasium, si quidem is legitimus sit illius fœtus, de quo nunc disputare non vacat, indicare, quod Pater solus principium sit duarum personarum; quod neutiquam a Catholicis negatur, quando aſserunt Filium eſse principium Spiritus Sancti de principio. Ad III. R. S. Basilius l. c. docet Filium aliam ac diversam a Patre & Spiritu Sancto habere proprietatem relativam ac notionalem, qua ipsius persona constituitur, atque ab aliis discriminatur, cum Filiatio neque Patri, neque Spiritui Sancto poſsit competere: At vero vis spirandi Spiritum Sanctum non est proprietas Patris hypostasin constituens, sicut v. g. Paternitas; sed est proprietas & notio Patri ac Filio communis, quia uterque tamquam unum principium spirat Spiritum Sanctum. Ad IV. R. Nazianzenum id tantum velle, quod Filius non sit primus fons seu principium sine principio, sicuti Pater est; Græci enim nomine principii intel-

ligunt primum fontem, qui a nullo alio procedit. Ad V. R. S. Damascenum ideo negare Spiritum Sanctum ex Filio procedere, quia apud Græcos particula *Ex* principalem causam significat, hoc est, eam, quæ ab altera producendi vim non accipit, sed habet a se ipsa. Ejusmodi autem non est Filius, qui quæ habet, a Patre accepit omnia, & unum est atque idem cum Patre principium Spiritus Sancti. Cæterum præpositio *Per* æque significat actionem principii, ac præpositio *Ex*, ut patet ex illo Joan. I. *Per quem omnia facta sunt;* & Græcorum testimonio, qui in Florentino Concilio fassi sunt, eamdem apud Græcos præpositionem *Per* notionem habere, quam apud Latinos το *Ex*. Vide hac de re plura apud Petavium Lib. VII. de Trinit. Cap. XVII. Ad VI. R. S. Maximum nomine Principii intelligere more Græcorum primum fontem, qui solus est Pater. Quo sensu optime ac verissime dicit S. Martyr negari a Latinis, quod Filius principium sit Spiritus Sancti.

Aut ratio. 95. Objic. IV. Ratio. Si Spiritus Sanctus procederet a Patre & Filio, tunc duo haberet principia. Hoc dici nequit. Ergo a solo Patre procedit. P. M. Principium *quod* processionis est persona. Ergo cum Pater & Filius duæ sint personæ, duo pariter assignantur principia. R. N. M. Spiritus Sanctus procedit a Patre & Filio tamquam ab unico principio, & unica spiratione seu actione productiva, per unam eamdemque spirandi virtutem, ut expresse definitum est in Lugdunensi II. & Florentino. Ad *prob.* D. A. Principium *quod* processionis est persona, ut simul involvens formam seu actionem spirativam, C. A. Sola persona absque virtute & actione spirativa, N. A. & C. Cum unica detur in Patre & Filio vis spirandi, & actio spirativa, unicum idcirco datur Spiritus Sancti principium: sicut unicus datur Creator mundi, quia in tribus personis unica est vis & actio creativa mundi. Cæterum apud Theologos principium *quod* est suppositum, cui actio tribuitur: principium *quo* est virtus, per quam agit principium quod.

96. Di-

96. Dices I. Si Pater & Filius sunt unum principium, tunc ideo, quia una datur in utroque natura. Atqui hoc dici nequit, quia cum Spiritus Sanctus eamdem cum Patre & Filio habeat naturam divinam, sequeretur eum a se ipso etiam procedere. R. N. M. Pater & Filius unum sunt principium, non ob unitatem naturæ, sed quia simul eamdem habent proprietatem spirationis activæ, quæ cum Spiritui Sancto non conveniat, ille a semetipso non procedit. Quod si inferas: Ergo una erit Patris & Filii persona, si spiratio Spiritus Sancti sit utrique communis, cum personæ proprietatibus distinguantur. R. N. illatum, quia spiratio activa non est proprietas constitutiva Patris & Filii, sive proprietas hypostatica, sed notionalis. Distinguuntur autem a se Pater & Filius ob proprietates hypostaticas Paternitatis, & Filiationis.

97. Dices II. Pater & Filius sunt duo spirantes. Ergo etiam duo spiratores. Ergo duo sunt principia. R. I. Retorquendo. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ creantes. Ergo tres sunt creatores. Ergo tria dantur rerum principia. R. II. C. A. N. C. Ad multiplicationem adjectivorum sufficit multiplicatio suppositi: ad multiplicationem vero substantivi requiritur etiam multiplicatio formæ, ut ostendit retorsio. Cum igitur unica sit in Patre & Filio spirandi virtus, non dantur duo spiratores, quamvis duo dentur spirantes: Sicut tres non dantur creatores, quamvis tres sint creantes.

98. Dices III. Pater est sufficiens principium, a quo Spiritus Sanctus perfecte procedit. Ergo procedit a solo Patre. R. C. A. N. C. Quod Spiritus Sanctus etiam a Filio procedat, id non ex eo oritur, quod solus Pater non sufficeret; sed quia & Pater & Filius unam eamdemque habent virtutem spirandi. Sic licet vis creativa Patris sufficiat ad creandum mundum; non tamen potuit illum creare sine Filio & Spiritu Sancto, quia vis creativa in qualibet Sacratissimæ Trinitatis persona est indivisa.

Nec neque addita fuit Symbolo partic: Filioque.

99. Objic. V. Additio facta Symbolo. Saltem particula *Filioque* addi non debuit Symbolo Constantinopolitano. Ergo. P. A. Ephesina Synodus Actione VI. severe prohibuit, ne Symbolo quidquam addatur. Cum enim Charisius Philadelphiæ Presbyter Nestorianam quamdam Fidei expositionem ad Ephesinos Patres detulisset, ea perlecta & diris devota, sancivere, *alteram fidem nemini licere proferre, vel conscribere ac componere, præter eam quæ definita est a SS. Patribus Nicææ congregatis cum Sancto Spiritu. Qui autem ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre convertí volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex Judaismo, sive ex quacunque hæresi: hos quidem, si sunt Episcopi aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos a Clericatu decrevit: si vero laici fuerint, anathemati subjici.* Eadem repetit Synodus Chalcedonensis Actione II. *Expositionem alteram nullus facit. Neque tentamus, neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, & in scriptis custodiuntur quæ ab eis sunt exposita, & citra ea dicere non possumus. - - Ista omnes dicimus: Sufficiunt, quæ exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri.* Et Nicæna II. Act. VII. *Nos leges Patrum custodimus. Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.* Ipse S. Cyrillus Epist. ad Joannem Antiochenum scribit: *Nullo autem modo patimur, ut ab aliquo fides illa, sive Fidei Symbolum concutiatur, quod a Sanctis quondam Patribus Nicænis editum est. Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam præterire permittimus.* Ergo cum Latini addiderint aliquid Symbolo anathema incurrerunt. R. N. A. Ad *probat.* R. Ephesinam Synodum diversam fidem, hoc est, repugnantem pristinæ & Catholicæ professioni, qualem Charisius recitaverat, proferri conscribique prohibuisse: non eam, quæ tametsi novi aliquid ad explicandum adhibet, nihil tamen continet priori ac Catholicæ non consentaneum. Maxime vero licere tum illud existimandum est ad usitatam

Fi-

Fidei formulam aliquid addere, cum id publica auctoritate fit non solum Generalis & Oecumenici Concilii, sed etiam Romani Pontificis, & Ecclesiarum complurium certis de causis in illud conspirantium. Cujusmodi justissimas fuisse, cum Romæ, ac toto Occidente in usum recepta est additio, pervagatus tunc temporis Græcorum error ostendit, cui publica fidei professione a Latina Ecclesia obex ponendus erat. Rem hanc præ cæteris omnibus docte accurateque pertractavit Julianus Card. Cæsarinus in Actione undecima Ferrariensis, sive Florentini Concilii. Cujus solida & erudita disputatione fracti, qui in illa erant Synodo, Græci causa cesserunt, quemadmodum testatur Bessario in libro quem de Synodi Florentinæ successu, deque processione Spiritus Sancti Græce Latineque conscripsit ad Alexium Lascharim Philantropinum. Et profecto quod urgente necessitate liceat aliquid Symbolo addere, quo fidei nostræ dogmata adversus hæreticos explicantur, non uno tantum exemplo comprobari potest. Numquid enim Nicænum Concilium Symbolo Apostolico, Constantinopolitanum I. Nicæno non pauca addidit ad confodiendos novatorum Sæculi IV. errores opportuna? Numquid Chalcedonensis Synodus loco ejus, quod in Nicæno habetur, *Natum ex Patre*, dixit: *Consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem*, contra hæresin Eutychetis? Quis adeo rudis est, qui nesciat, ab iis, qui ab hæresi aliqua ad Catholicam Ecclesiam redire cuperent, non veterem tantum, & ante ortum hæresis ejus, a qua ille recedebat, editam fidei formulam exigi consuevisse, ut puta Nicænam, aut aliam usu detritam: sed ampliorem aliam, in qua nominatim novam hæresin anathemate damnaret? Mos iste perpetuus in Ecclesia fuit, innumeris vetustatis exemplis ac Synodorum auctoritate constitutus. Sic enim Canone octavo Nicæna Synodus Novatianos jussit sub ea confessione recipi, non quæ nihil præter Symbolum Apostolorum, aut aliud usu jam celebre contineret: sed

quæ

quæ contraria insuper ei, unde resipiscebant, Novatianæ sectæ profiteretur. Præterea numquid additionem illam *Filioque* communi Latinorum ac Græcorum, qui aderant, Patrum consensu ratam habuere Concilia Generalia & Oecumenica Lugdunense II. & Florentinum? An minorem illa habuerunt auctoritatem, ac Ephesinum, vel Nicænum? Certe prohibere illa non voluerunt, nec potuerunt, ne Symbolo Constantinopolitano, si subsequentibus temporibus aliter Ecclesiæ justis de causis visum fuerit, aliquid addatur, quo Nicæna fides magis explicetur. Quod si dicas, id inconsultis Græcis fieri non debuisse. R. Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram nulla lege teneri ad exquirendum Græcorum consensum. Adde quod Sæculo IX. quo hæc additio a Romana Ecclesia adoptata est, plerique Græcorum negaverint Spiritum Sanctum a Filio procedere: ideoque supervacaneum fuisset ab illis petere, ut additionem consensu suo ratam habeant, qui circa ipsum dogma a Latinis disentiebant.

100. Dices. Ephesina Synodus vocem *Deipara* inserere noluit Symbolo Constantinopolitano, quamvis vox illa maxime opportuna fuisset confodiendo Nestorii errori. Ergo omnem additionem, non modo contrariam, sed etiam conformem Symbolo penitus rejecit. II. S. Leo III. initio Seculi IX. auctoritate sua ratam habere noluit additionem illam. Ergo. R. C. A. N. C. Beatissimam Virginem vere Deiparam esse sufficienter constabat ex Constantinopolitano I. profitente, Christum esse verum Deum, natum ex Maria Virgine. Si tamen expedire judicasset, potuisset procul dubio vocem *Deipara* inserere Symbolo Nicæno vel Constantinopolitano, sicut Nicæni Patres Apostolorum Symbolo vocem *Consubstantialis* inseruerunt, ut voce illa Arii hæresin jugularent. Ad II. R. N. C. Initio Sæculi IX. additio illa non videbatur Leoni III. necessaria: at vero post annos circiter quinquaginta disseminato jam latius Græcorum errore,

visa

visa fuit S. Nicolao I. neceſsaria, ideoque toti Latinæ Ecclesiæ fuit præscripta.

ARTICULUS III.

DE CHRISTO.

CONTROVERSIA I.

AN CHRISTUS QUA VERBUM PER AETERNAM GENERATIONEM PROCESSERIT A PATRE DEO?

CONTRA SAMOSATENUM, ARIUM, PHOTINUM, SOCINIANOS.

Errores Cerinthi, Ebionis, Theodoti &c.

101. Cerinthus ipso Apostolorum ævo Judæorum blasphemiam adoptavit, docens Christum Josephi ac Mariæ verum ac naturalem filium fuiſse, via ordinaria progenitum. Hujus impietatem æmulati sunt Ebion, Carpocrates, Theodotus Byzantinus arte coriarius, atque alius Theodotus argentarius. S. Hier. Lib. de Script. Eccles. & S. Jrenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XI. testantur, S. Joannem Apostolum Evangelium suum contra Cerinthum scripsiſse, atque idcirco Divinitatem Verbi reliquis Evangelistis copiosius demonstraſse.

Pauli Samoſateni.

102. Sæculo III. Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus, homo perditis moribus, in gratiam Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ, quæ Judæis impensius favebat, docuit Christum non semper fuiſse, nec ante Mariam Virginem: Verbum tamen & sapientiam in eo inhabitare, sed quæ tunc primum hypostasin habere cœperint ab æterno Patre distinctam, cum in utero Virginis Christus formatus est. Hac enim temporali miſsione, & externa prolatione Verbum evaſiſse Filium. Cæterum licet recens eſset, novellusque Deus, prædestinatione æternum fuiſse. Jta errorem Samosateni referunt S. Athanasius Lib. de salutari adventu Filii Dei. S. Dionysius Alexandr. in Epistola contra Paulum Samosat. PP. Antiochenæ II. Synodi in Epist. Synodica &c. Duo adversus illum

illum celebrata fuere Antiochiæ Concilia. Primum A. 264. alterum A. 270. quo impietatis & hæreseos convictus est, anathemate percussus, & Episcopatu abdicatus, suffecto ejus in locum Domno. Cumque is e domo Episcopali egredi nollet, Aurelianus Imperator, Ethnicus licet, a Catholicis Episcopis interpellatus, iis domum tradi jussit, quibus Itali Christianæ Religionis Antistites, & Episcopus Romanus scriberent concedendam. Ita Eusebius Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XXIII. & XXIV. Theodoretus Lib. II. Hæretic. Fabularum, Cap. VIII.

Impia Arii doctrina. 103. Sæculo IV. Arius ex Lybia, quæ Ægypto vicina est, oriundus, schismaticus prius Meletii Lycopolitani sectator quam hæresiarcha, & parochiali dein Ecclesiæ Alexandriæ præfectus, ægre ferens, se contempto Alexandrum Episcopum Alexandrinum fuisse electum, circa A. 317. Divinitatem Verbi palam impugnavit, asserens Filium esse creaturam Dei perfectam, non tamen Patri consubstantialem, voluntate Dei ante tempora conditum: non esse coæternum Patri, neque Patris naturam, ut in se est, cognoscere, nec suam ipsius: alienum externumque esse a Patre, quantum ad substantiam: ex non extantibus factum esse. Fuisse tempus, quando non erat Filius: Verbum mutabilitati obnoxium esse, ac in libero ejus arbitrio fuisse, quamdiu vellet, bonum permanere. Deum porro, cum præcognosceret eum bonum futurum, anticipando illi hanc gloriam dedisse, quam homo postmodum ex virtute mereretur: ipsum proinde participatu gratiæ Deum fieri: ut reliquos omnes, sic & ipsum titulo tenus Deum vocari. Atque hæ Arii blasphemiæ decerptæ sunt ex ejus Taleia, molli & impuro carmine, ad infundendum hæreseos suæ virus in hominum & muliercularum ad voluptates proclivium animos conscripto, cujus fragmentum refert S. Athanasius in Epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ. Damnatus paulo post fuit Arius, atque anathemate percussus ab Alexandro Episcopo in Alexandrina I. Synodo A. 320. tum in altera Alexandri-

na

na A. 324. cui Osius præfuit ad componendos illos tumultus Alexandriam missus, ac denique A. 325. a tota Ecclesia in Nicæno I. Concilio congregata. Sed versipellis hæreticus toties jam anathemate perstrictus, fraudibus & dolis, quibus plurimum valebat, atque amicorum opera, præcipue Eusebii Nicomediensis, id tandem evicit, ut A. 335. in Synodo Jerosolymitana, ad quam frequentes convenerant Episcopi, Templum Constantini Jmperatoris munificentia excitatum consecraturi, in Ecclesiam cum sociis suis admitteretur, quasi per invidiam olim anathemate damnatus. Quin A. 336. jussu Constantini, cujus credulitate impie abutebantur Ariani Episcopi, in ipsa Urbe regia ab Alexandro Constantinopolitano Nicænæ fidei propugnatore acerrimo in communionem recipiendus erat Arius, nisi a Deo invisibiliter percussus, animam simul cum visceribus & sanguine in latrinis effudisset, vespere Sabbathi, quod Dominicam præcessit, qua Eusebius Nicomediensis, aliique Arii fautores, illum se in Ecclesiam, invito S. Alexandro, introducturos gloriati fuerant.

Nicæa & Sardicæ damnata.

104. Duabus præcipue in Synodis Generalibus Arianorum hæresis protrita est. Prima habita fuit Nicææ Bithyniæ urbe A. 325. cui ab Jmperatore Constantino, consentiente Sylvestro Papa, convocati ex toto Oriente interfuerunt Episcopi trecenti & octodecim, inter quos insigni complures sanctitate præditi erant: quidam superioribus Diocletiani, Maximini ac Licinii persecutionibus nobilitati. Eminebant inter eos Alexander Episcopus Alexandrinus cum suo Diacono Athanasio, Eustathius Antiochenus, Macarius Jerosolymitanus, Nicolaus Myrensis, Jacobus Nisibenus, Paphnutius Thebaidos, Potamion Heracleensis in Ægypto, Spiridion Tremithuntis in Cypro, Paulus Neocæsariensis, Leontius Cæsariensis in Cappadocia, Hypatius Gangrensis &c. Præsides Concilii fuerunt Osius Cordubensis Episcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri nomine S. Sylvestri, cujus Legati erant, præsente Constantino Jmperatore; qui infra Episco-

pos, non nisi ipsis annuentibus, sedit. Lectis ibi Arii in Filium Dei blasphemiis, Arius cum sua hæresi & asseclis ab universo Episcoporum cœtu damnatus est: tum vindicata Filii Divinitas, conscriptumque ab Osio Nicænum Symbolum, quo Dei Filius asseritur *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus, ὁμοούσιος, seu Consubstantialis Patri.* Ad finem Symboli, ut referunt Socrates Lib. I. Hist. Eccles. Cap. V. Theodoretus Lib. I. Cap. XII. & Rufinus Lib. I. Cap. VI. additum est anathema in Arianos his verbis: *Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat; & quia ex iis, quæ non sunt, factus est; aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* Altera Synodus Generalis & Oecumenica, quæ tamen ut Nicænæ appendix consideratur, habita est Sardicæ, quæ urbs confinis est Illyrici, Mœsiæ, & Thraciæ. Ad hanc A. 347. imperantibus Constante & Constantio, præter Episcopos Arianos, qui paulo post Philippopolim Thraciæ urbem recessere, convenerunt Episcopi ex Oriente & Occidente facile CCC. Præfuerunt Sardicensi Osius Episcopus Cordubensis, Archidamus, & Philoxenus Presbyteri, Julii Papæ Legati. Confirmata fuit ibi Nicæna fides, quamvis nulla alia formula fuerit edita, & absoluti S. Athanasius Alexandrinus Arianorum malleus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, & alii ab Eusebianis inique damnati.

Ariani in tres factiones divisi.

105. Ariana secta progressu temporis in tres factiones divisa est. Prima fuit Anomæorum, qui aperte Filium creaturam esse dicebant, nec ulla re Patri similem, nedum parem & æqualem. Quæ ipsissima fuit Arii hæresis. Hanc amplexi sunt Anomæorum signiferi Aëtius, Eunomius, Georgius Alexandrinus, Euzoius & Eudoxius Antiochenus, Uranus Tyrius, Valens Mursæ, Ursacius Singiduni, Germinius Sirmii, Auxentius Mediolanensis, Cajus & Demophilus,

lus, quibus revera aſsentiebatur Acacius Cæsareæ in Palæstina Episcopus. Altera fuit Semiarianorum, qui vocem ὁμοούσιον rejiciebant, & Filium Patri minime consubstantialem vocandum esse, sed per omnia similem, hoc est, ὁμοιούσιον Patri dicebant, quod edita fidei formula in Ancyrana Synodo A. 358. profeſsi sunt. Hujus factionis Principes extiterunt Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Silvanus Tarsensis, Sophronius Pompejopolitanus, Eleusius Cyzicenus, Macedonius Constantinopolitanus, Marcus Arethusius, Cyrillus Hierosolymitanus, Eusebius Samosatensis, Meletius Antiochenus. Tertia, inter ambas interjecta, non nullorum fuit qui duce Acacio Cæsareæ Metropolita, Filium neque Patri consubstantialem dicebant, neque creaturam unam ex creaturis: ac præterea similem esse Patri, non tamen substantia, vel οὐσίᾳ, quod illi sic interprebantur; ut quemadmodum statuarii effigies hominum ac simulacra vivorum ad similitudinem exprimunt, quæ natura substantiaque diversa ac disimilia, exteriori sola specie ac lineamentis similia sunt: sic Pater similem sibi filium procrearit, non tamen Divinitate, vel æternitate, vel ulla naturæ proprietate parem ac æqualem. Proinde ὁμοούσιος, *Consubstantialis*, & ὁμοιούσιος *Similis* substantiæ vocabula, tamquam peregrina, neque Scripturis usitata rejiciebant; ἀνόμοιον vero anathemate damnabant. In quo verbotenus ab Anomæis disidentes, reipsa consentiebant.

Plures ex Semiarianis non videntur fuisse hæretici.

106. Primam ac tertiam factionem, Anomæorum nempe & Acacianorum, aperte hæreticam fuisse nemo Catholicorum dubitat. At vero non idem est omnium de Semiarianis judicium. Macedonianos, qui Divinitatem Sancti Spiritus negabant, eosque Semiarianos, qui per ὁμοιούσιον intelligebant similitudinem non in substantia, sed vel in consensione voluntatis, atque doctrinæ, vel in virtute aliisque hujuscemodi, absque dubitatione ulla hæreticos fuisse pronuntiamus. Qui vero per ὁμοιούσιον intelligebant similitudinem in substantia, & per omnia, contendentes Nicænam

nam fidem, cui se adhærere profitebantur, hoc vocabulo satis exprimi, & ipsum ὁμοούσιον pacis & concordiæ causa silentio esse premendum, maxime cum in Scripturis non extaret, quales præcipue erant Basilius Ancyranus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Jerosol. Eusebius Samosatenus, Silvanus Tarsensis &c. non videntur hæresis insimulandi, eoquod vocibus tantum, non doctrina a Catholicis discreparent. Nam I. Basilius Ancyranus in Synodo Sirmiensi, ut refert S. Epiphanius Hær. LXXIII. dixit, *similem in omnibus Patri esse Filium: in omnibus vero, non voluntate solum, sed & subsistentia, & existentia, adeoque essentia ipsa, utpote Filium, quod Sacræ Litteræ confirmant, spiritum e spiritu, vitam e vita, lumen e lumine, Deum ex Deo, verum Filium ex vero, Sapientiam Filium e sapiente Deo ac Patre. Et ut uno verbo dicam, Filium Patri undecunque similem, uti Filium Patris.* II. Episcopi illi summo zelo Arianos insectati sunt, ut constat ex Ancyrana Synodo A. 358. ex Seleuciensi A. 359. contra Acacianos, ex Antiochena A. 363. ex Lampsacena & Tyanensi A. 365. ex Constantinopolitana A. 381. III. Liberius Papa, cum Legatos Lampsacenæ Synodi Eustathium Sebastenum, Silvanum Tarsensem, & Theophilum Castabalorum a sua primum communione repulisset, ratus eos vere Arianos esse, lecta eorum fidei professione, in qua anathema dicebatur impiæ Arii doctrinæ, & formulæ in Concilio Ariminensi recitatæ, non solum in communionem recepit, ut testatur Socrates Lib. IV. Hist. Cap. XI. sed etiam litteras dedit ad Episcopos illius Synodi, tamquam fratres Catholicos perferendas, quarum inscriptio hæc erat: *Dilectis Fratribus & Comministris Eustathio, Cyrillo &c. & universis per Orientem Orthodoxis Episcopis.* IV. S. Athanasius qui Arianos cæteros pleno verborum ac sententiarum impetu, ac cujusdam fulminis more percellit, ac disjicit, lenius ac mollius cum Semiarianis quibusdam agit, quod de re ipsa consentientes cum Catholicis de solo vocabulo litigabant, eosque in libro de Synodis *Fratres* appellare

lare non dubitavit. *Adversus eos*, inquit, *qui ex omni parte Synodum conviciis carpunt, ista pauca ad refutationem sufficerint. Adversus autem eos, qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem Consubstantiali ambigunt, non ut adversus inimicos affici nos decet. Neque enim veluti adversus Ariomanitas, aut quasi bellum gesturi Patribus contradicimus, sed veluti Fratres cum Fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis. Nam cum profiteantur Filium ex Patris substantia, & non ex alia subsistentia esse, nec creaturam eum, nec opus existere, sed genuinum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter cum Patre esse, cum ejus & ratio & sapientia sit, non longe absunt a recipiendo Consubstantiali. Talis est Basilius ex Ancyra in scriptis suis de fide &c.* V. S. Hilarius in Lib. de Synodis, Orientales Episcopos vocem *homousion* respuentes, quod ab Antiochenis Patribus in Paulo Samosateno damnatam dicerent, & quod pravo sensui esset obnoxia, hortatur ne vocabulum illud damnent, quod a Nicæna Synodo recto sensu, & ad Arianam hæresin præfocandam accomodatissimo usurpatum est; & ipsos ut germane Catholicos agnoscit, sibique in ejusdem fidei professione conjunctos, quamvis *homousion* rejicerent, solumque admitterent *homiusion*. Subjungit demum S. Doctor: *Caret igitur Fratres, similitudo naturæ contumeliæ suspicione: nec potest videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non esse, quia similis est; cum similitudo nulla sit, nisi ex æqualitate naturæ: æqualitas autem naturæ non potest esse, nisi una sit. Una vero non personæ unitate, sed generis. Hæc fides pia est, hæc conscientia religiosa, hic salutaris sermo est unam substantiam Patris & Filii idcirco non negare, quia similis est: similem vero ob id prædicare, quia unum sunt.* Vide Natalis Alexandri Dissertat. XV. ad Sæc. IV. Hist. Eccl. Petavium de Trinit. Lib. I. Cap. IX. Tournely de Trinit. Quæst. ult. Simonnet de Deo Trino, Disp. II. Art. VI. & X.

Quamvis temere egerint rejiciendo vocem Consubstantialis.

107. Illud tamen minime negaverim, Homiusianos illos Episcopos, qui Filium etiam in substantia ac per omnia Patri similem esse profitebantur, hæreseos suspicione quandoque laborasse, ac temere prorsus vocem *Consubstantialis* rejecisse. Cum enim vox illa opportunissima sit jugulandæ Arianæ hæresi, quod omnem elabendi rimam hæreticis obstrueret: cumque a Nicænis Patribus gravissimis de causis Symbolo fuerit inserta, ac diuturno Ecclesiæ usu consecrata, retinenda omnino ab illis fuerat. Accedit, quod locutio illa, qua Filius Patri similis dicitur, sit minus propria, & pravæ interpretationi facile obnoxia. Nam I. ut S. Athanasius observat Lib. de Synodis, similitudinis notio identitatem videtur excludere: quæ enim similia sunt, non sunt ejusdem cum iis quibus similia sunt, naturæ ac substantiæ. II. Si Filius Patri dicatur substantia similis, consequi videtur duas esse substantias, quarum una sit per participationem. III. Similitudo communiter non usurpatur nisi secundum qualitates; substantia vero per se similis non dicitur.

Errores Photini.

108. Eodem Sæculo IV. Photinus natione Galata, Marcelli Ancyrani discipulus, ad Sirmiensem Episcopatum promotus, anno circiter 343. hæresis suæ virus effudit, cujus hæc fuere capita. Primo, Sabellii errorem instauravit, docens Deum solitarium esse, nullamque Verbi Divini aut Spiritus Sancti esse personam, sed unam esse Patris, & Filii, & Spiritus Sancti operationem, Secundo, Christum initium accepisse ex Maria, & merum esse hominem asseruit. Damnatus fuit in Concilio Mediolanensi A. 347. & in primo Sirmiensi A. 349. a Catholicis Episcopis celebrato, atque in altero Sirmiensi A. 351. a Semiarianis, qui ad hanc blasphemiam Ariana atrociorem cohorruerant. Photinus Imperatorem Constantium appellavit, atque apud eum de sententiæ in se latæ iniquitate conquestus est, ac judices petiit. Annuit Cæsar ejus supplicationi, judicesque dedit, apud quos illo causam ageret, Thalassium, & Datianum, Cere-

aulium

aulium, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, & Leontium; Basilio vero Ancyrano Antistiti munus imposuit ipsum interrogandi, refellendique. Victus ea in disputatione Photinus cum resipiscere nollet, Episcopatu spoliatus est.

Et Sociniæ-norum.

109. Sæculo XVI. Arianam, immo Photinianam & Cerinthianam pestem ab inferis revocarunt Sociniani. Sectæ auctores fuere Lælius Socinus nobilis Senensis, ætatis suæ anno XXXVII. Aeræ Christianæ 1562. Tiguri post varias peregrinationes errori suo immortuus, & Faustus Socinus Lælii nepos. Hic de Patrui morte certior factus, ejus scripta sibi vindicavit, afflatamque ab illo hæresin propagare studuit in Transylvania potisimum & in Polonia. De Jesu Christo Salvatore librum exaravit pestilentisimum, in quo adversus ejus Divinitatem impudentisime grasatur. Obiit infeliciſsimus homo Luclaviciis in Polonia A. 1604. ætatis anno LXV. de quo ejus asseclæ canere solent:

Tota Urbis Babylon destruxit tecta Lutherus,
Mœnia Calvinus, sed fundamenta Socinus.

Sectæ hujus impiæ ac vere Judaicæ post Socinum pertinaciſsimi defensores fuerunt Joannes Crellius, Jonas Schlichtingius, Joannes Wolzogenius, Christophorus Ostrodorus, Joannes Volkelius, Valentinus Smalcius, Christophorus Sandius. Præformatores fuere Judæi, Cerinthus, Ebion, Paulus Samosatenus, Ariani, Photiniani, Julianus Apostata, ac Mahometani, quorum legislator Mahometus honorificentius de Christo sensit ac locutus est, quam Sociniani. Socinianorum errores circa Mysterium Trinitatis hi sunt præcipui. I. Docent unum esse tantum natura & persona Deum. II. Christum esse purum hominem, communi cæterorum more progenitum ex Maria & Josepho: nec eum ante extitisse, nisi in mente Dei, per prævisionem & prædestinationem. Qua in re impietate superant Arium, qui admisit Verbum ante omnes creaturas conditum fuisse tamquam instrumentum Patris ad mundi creationem. III. Christum posse appellari Deum, non natura,

natura, sed gratia & adoptione, ob excellentem virtutem & potestatem quam a Deo Patre accepit. IV. Christum a Deo Patre suscitatum & missum quidem fuisse ad salutem humani generis; non tamen Deo pro eodem humano genere proprie obtulisse satisfactionem. V. Spiritum Sanctum non esse Deum, nec personam substantialem, sed Dei tantum virtutem. Ex quibus colliges Socinianos, quamvis Christianos se ipsos nominent, nihil minus tamen esse quam Christi cultores, & Christianos, cum de illis merito usurpari queat, quod Jgnatius Martyr Epistola ad Trallianos quibusdam hæreticis exprobrat: *Christum nominant, non ut Christum prædicent, sed ut Christum rejiciant.* Erant autem inter illos, de quibus loquitur, *qui Spiritum Sanctum ne esse quidem confitentur: & Filium nudum hominem esse dictitant.* Quæ sunt Socinianorum impia dogmata.

Æterna Verbi Divini generatio ex Scriptura.

110. Conclusio Dogmatica. Christus qua Verbum, per æternam generationem procedit a Patre Deo: ideoque extitit antequam e Beatissima Virgine nasceretur. Prob. I. Auctoritate Scripturæ, ex qua unicum locum seligimus, nempe versiculum 7. Psalmi II. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Verba hæc intelligenda esse de Messia, sive de Christo certissimum est atque exploratum. Ut enim nihil dicam de veteribus Judæis, quos ita sensisse ostendit Huetius in Demonstratione sua Evangelica, Proposit. VII. Num. XIV. Apostolus optimus utique Scripturarum interpres, ut ipsi etiam Sociniani non diffitentur, expresse ea de Christo dicta intelligit Act. XIII. v. 33. *Quoniam hanc* (repromissionem) *Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo II. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Epist. ad Hebr. Cap. I. v. 4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Jam singula hujus testimonii verba ponderanda sunt. *Dominus dixit ad me,* ad Christum quatenus est Verbum singula-

gulariter omnino ac proprie. *Filius meus es tu.* Tu, inquam, & non alius. Ergo Christus unicus, unigenitus, & singularis est Dei Filius, non adoptivus, non extraneus, sed naturalis. Hæc Pater soli Verbo dicit, non aliis; ut enim Paulus ait: *Cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu? &c. Genui te*, id est, vera & propria generatione, ex ipsa Patris substantia, & ut Psalmo CIX. dicitur: *Ex utero ante Luciferum genui te. Hodie*, id est, ab æterno, & ante Luciferum, vel ut Michææ V. dicitur: *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Dicitur autem *hodie*, quia æternitas divina tota semper existit, nec est aliquid fluens ac pertransiens. Ut enim scribit S. Aug. in Enchiridio, Cap. XLIX. *Vox illa Patris, quæ super baptizatum facta est, Ego hodie genui te: non unum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, ut illum homine ad Unigeniti personam pertinere monstraret. Ubi enim dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est.* Sic etiam Deus suum esse æternum ac permanens verbo de præsenti expressit Exodi III. v. 14. *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.*

Et Patribus ostenditur.

111. Probatur II. Auctoritate Patrum. Cum Sociniani dicere soleant, Antiquam & Apostolicam de Christo traditionem circa Nicæni tempora fuisse abolitam, ut illos temeritatis ac manifesti mendacii convincamus, non nisi Antenicænos Patres proferemus. S. Ignatius Martyr Epist. ad Magnesios ait: *Unus est Deus, qui seipsum manifestum reddidit per Jesum Christum Filium suum: qui est ipsius Verbum sempiternum, non post silentium progressum.* S. Justinus in Dialogo cum Tryphone: *Aliud vobis, o Amici! ex Sacris Litteris producam testimonium, primitus ante creaturas omnes Deum genuisse ex se virtutem quamdam rationalem, quæ quidem gloria Domini a Spiritu Sancto vocatur, non numquam Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus & Verbum.*

Athenagoras in Apologia pro Christianis: *Filius Dei est Verbum Patris in idea & efficacia; ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, cum Pater & Filius unum sint, ita ut filius sit in Patre, & Pater in Filio per unionem & potentiam Spiritus; siquidem mens & Verbum Dei Filius Dei est. Jam si vobis, qui intellectus subtilitate excellitis, altius repetendum videtur, quidnam sibi velit hic Dei Filius, paucis dicam. Primigenia hic est Patris progenies, quæ non ut facta, (a principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in se ipso λογον, hoc est verbum aut rationem habet, cum rationalis ipse æternum sit,) sed ut rerum cunctarum idea & perfectio foret, progressa est.* S. Theophilus Antiochenus Lib. II. ad Autolycum: *Non erant Prophetæ, cum mundus crearetur; sed sapientia Dei, quæ in ipso est, sermoque ejus sanctus ipsi semper præsto erant.* S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XVIII. alias XX. *Excluſa est omnis contradictio dicentium, Si ergo tunc natus est, non erat ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei existens semper apud Patrem.* Et Lib. II. Cap. XXXI. alias LV. *Semper est coexistens Filius Patri.* Tertull. Lib. contra Praxeam, Cap. VIII. *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est, Et sermo erat apud Deum; & numquam separatus a Patre, aut alius a Patre: quia Ego & Pater unum sumus.* Clemens Alexandr. in Admonitione ad Gentes: *Æternus hic est Jesus, qui magnus Pontifex, & unius Dei, qui idem quoque est Pater.* In fine vero Pædagogi ait: *Patrem & Filium unum esse Deum, per quem est æternitas.* S. Dionysius Alexandr. in Epist. contra Paulum Samosatenum: *Unus est Christus, qui est in Patre coæternum Verbum.* Et in Responsione ad decimam quæstionem Samosateni: *Scripsi & scribo, & confiteor, ac credo & prædico coæternum Patri Christum unigenitum, & Verbum Patris.* Plura subjungemus sequenti controversia, ubi demonstrabitur Christum esse verum Deum, Patri Consubstantialem: ex quo manifeste evinci-

vincitur, generationem illam inenarrabilem non in tempore, sed ab æterno factam esse, cum veræ Divinitati repugnet aliquando non extitisse.

Argumenta contraria refutantur.

Inania Sociniano-rum effugia.

112. Objic. I. Infirmitas argumenti ex Psalmo II. petiti. Apostolus Actuum XIII. versiculum illum non interpretatur de æterna Christi generatione, sed de ejusdem resurrectione: & Cap. I. ad Hebr. ad Sacerdotium Christi ea verba refert. Ergo ex illis nihil probatur. R. Quod Apostolus verba illa ad resurrectionem & Sacerdotium Christi referat, optime cum argumentatione nostra cohæret, quia æterna Verbi Divini generatio est fundamentum, radix, & origo omnis excellentiæ, quæ Christo convenit. Unde enim habet Christus, quod a mortuis suscitatus est, quod Pontifex universalis sit constitutus, nisi quia Filius Dei est ab æterno, seu de substantia Patris genitus? Per hoc certe, quod a mortuis resurrexerit, non est melior Angelis effectus, qui nequidem mori possunt; sed ex eo quia unitam sibi habuit personam Verbi ab æterno a Patre genitam. Paucis, quia Deus est.

Et argumenta ex Scripturis.

113. Objic. II. Auctoritas Scripturæ. Scriptura multa dicit, quæ cum æterna Verbi generatione conciliari nequeunt. Ergo. P. A. Proverb. VIII. v. 22. Sapientia, quam Patres Verbum esse dicunt, de seipsa profitetur: *Dominus creavit me initio viarum suarum*, Eccles. XXIV. v. 14. *Ab initio & ante sæcula creata sum.* II. Act. II. v. 36. *Et Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* III. Præcursor Domini de Christo ait Joan. I. *Qui post me venturus est, ante me factus est.* IV. Ad Hebr. III. *Fidelis est ei, qui fecit illum.* Et Cap. I. *Tanto melior Angelis effectus.* V. Ad Coloss. I. v. 15. *Primogenitus omnis creaturæ.* R. N. A. Ad I. R. Verbum Hebraicum, quod septuaginta interpretes reddiderunt per *creavit*, simpliciter significat *possedit*, ut

habet Vulgata nostra: *Dominus poßedit me in initio viarum ſuarum*, quo sensu Genesis IV. dixit Eva *Poßedi hominem per Deum*, id est, *genui*. Quin verba illa, *creare*, *generare*, *gignere &c.* non modo apud Græcos, verum etiam apud Latinos, ut observant S. Hier. in Cap. IV. Epistolæ ad Ephesios, & S. Aug. Lib. de Fide & Symbolo, promiscue ad idem significandum usurpantur. Idcirco autem scribit S. Hilar. Lib. de Synodis, Filii Dei productionem in Scripturis vocari nunc *generationem*, quia est ex substantia Patris; nunc *creationem*, ut significetur, divinam illam generationem esse sine passione, mutatione ac diminutione generantis. Ad II. Deus Christum fecisse dicitur ratione humanitatis, quam uberiori gratia, immo & substantialis gratiæ unione inunxit. Ad III. *Factus* ibi idem significat, ac præpositus; subjungit enim rationem illico, quia nimirum prior erat Christus æternitate tota. Adde verbum γινομαι, quo S. Joannes loco cit. utitur, eamdem habere apud Græcos vim ac potestatem, quam verba *nascor*, *gignor*, *ſum*. Unde Nicæni Patres, quando in Symbolo Verbum dixere genitum non factum, vocem *factus* in perverso tantum Arii sensu damnarunt, qui Verbum creaturam esse ex nihilo productam contendebat. Ad IV. Deus fecit Christum secundum humanitatem, ut paulo ante diximus, & meliorem illum Angelis effecit, id est, evexit, ac declaravit, ut patet ex scopo Apostoli. Ad V. R. Christum Primogenitum esse omnis creaturæ, non quidem ratione creationis & ordinis, quasi & ipse foret creatura; sed ratione dignitatis & causalitatis, quia ante omnes creaturas ab æterno genitus est, quarum ipse est causa atque principium. Et sane ut S. Basil. observat Lib. IV. contra Eunomium, sicut Christus Primogenitus mortuorum non ideo dicitur, quod prius mortuis cæteris vita functus sit, sed quod causa sit resurrectionis ex mortuis: ita etiam Primogenitus omnis creaturæ vocatur, non quod primus ante reliquas creaturas fuerit creatus, sed quod causa fuerit omnium

creatu-

creaturarum. Pari ratione explicatur illud Apocalypsis III. *Principium omnis creaturæ.* Principium enim ibi non usurpatur passive, quasi Christus prima foret creatura; sed active, quia creaturæ omnes ab illo ducunt originem.

114. Objic. III. Auctoritas Patrum. I. S. Jgnatius M. Epistola ad Ephesios Christum Dominum genitum vocat, quatenus ex Maria carnem assumpsit; ingenitum vero, quatenus in carne existit Deus: *Unus medicus est carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, in carne existens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo -- Jesus Christus, Dominus noster.* Ergo sensit Verbum fuisse a Deo Patre creatum, non genitum. II. Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum, Filium vocat Sapientiam primo creatam. In ejus libris vero Hypotyposeon, qui nunc amplius non extant, observat Photius in Biblioth. Codice CIX. multa Arianæ doctrinæ semina sparsa fuisse. Quapropter illius Opera ad finem Sæculi V. a Gelasio Papa in Synodo Romana inter apocryphos libros sunt rejecta. III. Tertull. Lib. contra Praxeam, Cap. VI. scribit: *Nam ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione & Sermone dispossuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem, habentem in se individuas suas, rationem & Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque dispositа, immo & facta jam, quantum in Dei sensu.* Ergo Tertullianus sensit, Verbum a Patre generatum esse in tempore, quamvis ante reliquas creaturas. IV. Jdem Lib. contra Hermogenem, qui materiam quamdam informem æternam statuebat, Cap. III. scribit: *Quia & Pater Deus est, & Judex Deus est; non tamen ideo & Pater & Judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater esse potuit ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret.* Ergo juxta Tertullianum erat tempus, quando Filius non erat. P. C. Cap. XXVIII. *Patribus.*

ejus-

ejusdem libri dicit, materiam fore Verbo perfectiorem si æterna esset. Ergo supponit Verbum non esse æternum. V. Theophilus Antiochenus Lib. II. ad Autolycum scribit: *Cum vero jam condere, quæ deliberaverat, instituisset,* (Pater) *hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum universæ creaturæ.* Resp. ad I. N. C. S. Jgnatius scripsit primo nascentis Ecclesiæ sæculo, quo plerique Fideles adhuc Neophyti, ac recens a Paganismo ad Christi religionem conversi, eum singulis vocibus sensum affigebant, quem Pagani Gentilesque affixerant. Gentiles autem per τὸ ἀγέννητον *ingenitum* non id solum intellexere, quod caret principio originis suæ, sed etiam id omne, quod non est creatum, quod non est factum; ut monet ipse S. Athan. Epist. de Decretis Nicænæ Synodi, Cap. XXVIII. & videre est apud Platonem, aliosque. Porro constat posteriori hoc sensu Verbum Divinum dici debuisse ἀγέννητον sive *ingenitum*; quippe de fide Catholica est ipsum nec esse factum, nec creatum. Posteriorem vero hunc sensum S. Jgnatii fuisse, ex eo manifestum redditur, quod qui Christum ἀγέννητον ideo dicit, quia in carne existit Deus, idem doceat non modo ipsum esse Deum, sed etiam esse ex Deo, & vere Patrem habere Deum, immo & esse Filium Dei unigenitum. Certe qui ex Deo est, qui vere Patrem habet Deum, qui est Filius Dei unigenitus, non caret omni principio originis suæ: tamen dici debet non factus, non creatus; siquidem ita Deum Patrem habet, ut divisam ab eo naturam non habeat, & ita est ex Deo Patre, ut sit ipsi consubstantialis. Quare commendari meretur Usserius, qui ad S. Jgnatii sensum attendens potius quam ad vim verborum, hæc duo vocabula γεννητος καὶ ἀγεννητος non interpretatur *genitus & ingenitus*; sed *factus & non factus.* Sic enim genuinam S. Jgnatii sententiam vere & accurate expressit. Ad II. Resp. Verbum *creare* sæpissime a Græcis usurpari pro generare, ut superius respondimus in objectione prima. Libros Hypotyposeon quod attinet, corrupti illi

li fuerunt ab hæreticis, ut ex Veteribus Ruffinus scribit in Apologia pro Origene, & ipse Photius loco cit. innuit, ac recentiores, Bellarminus, Baronius, Poſsevinus &c. censent; tam absona enim, sanæ rationi, & sacris litteris contraria iis in libris, teste Photio, occurrebant, ut omnino incredibile sit, a Clemente viro doctiſsimo, a Veteribus adeo dilaudato, hæc nugarum portenta scribi potuiſse. Ad III. N. C. Tertullianus de exteriori tantum Verbi generatione loco cit. loquitur: Veteres enim duplicem distinguebant generationem, seu progreſsum & prolationem Verbi, unam interiorem, alteram exteriorem. Per interiorem intelligebant illam, qua Pater ab æterno & intra se vere genuit Verbum: per exteriorem, qua in principio temporum exterius protulit Verbum suum, per illud producendo creaturas. Hæc autem exterior Verbi prolatio non nisi improprie generatio dicitur, in quantum scilicet Verbum ab æterno genitum per productionem creaturarum manifestatur. Ad IV. N. C. Tertullianus negat Deum Patrem fuiſse ab æterno respectu creaturarum, juxta illud Moysis Deut. Cap. XXXII. *Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* non autem respectu Filii sui unigeniti. Cum enim Hermogenes contenderet materiam inertem ab æterno existere debuiſse, in quam Deus dominatum exerceret, cum in Scripturis semper Dominus vocetur, Tertullianus ait, duplicis rationis eſse nomina Deo in Scripturis attributa, alia scilicet eſsentiæ, alia potestatis. Priora semper fuiſse ait, sicut & ipsam Dei substantiam: posteriora tantum ipsi convenire cœpiſse in tempore, quando nimirum eſse cœperunt, in quæ divina potestas ageret: Talia eſse nomina Domini, Judicis, & Patris, sive rerum Creatoris. Alii concedunt Tertullianum loqui de Deo Patre respectu etiam Filii sui unigeniti; non quidem secundum interiorem, sed exteriorem tantum generationem, qua filium suum, quasi in visceribus suis de tota sua substantia ab æterno conceptum, in tempore emisit in lucem, seu

mani-

manifestavit, per illum producendo creaturas. Ad *probat.* N. C. Tertullianus ait materiam in hypothesi Hermogenis fore Filio præponendam, ut quid perfectius, quia ipsa nullum principium originis haberet, sed esset innata & infecta: Filius autem natus est ex Patre, & ipsum originis suæ principium agnoscit. Ad V. R. Theophilum loqui de exteriori & impropria Verbi generatione. Vide quæ paulo ante reposuimus ad III.

Imperfectione & obscuritate.

115. Objic. IV. Imperfectio & obscuritas hujus generationis. Ex una parte Generatio hæc affectionem habet admixtam Deo indignam, supponitque Patrem extitisse ante Filium: ex altera parte tam obscura & implexa est, ut explicari a Catholicis omnino nequeat. Ergo a Deo est submovenda. R. N. A. quoad primam illius partem. Generatio in Divinis tria complectitur. I. Fit ex ipsa Patris producentis substantia & natura. II. Filius similis est Patri natura & substantia, illique æqualis per omnia: atque ideo eamdem numero a Patre accipit naturam, sine qua non daretur æqualitas, cum duæ naturæ divinæ distinctæ dari nequeant. III. Hæc actio generativa est a principio conjuncto, quia Pater Filio suo Unigenito naturam suam & substantiam, non per partitionem aut divisionem, sed per communicationem dedit. Quidquid autem crassum & cum materiæ fæce concretum habet generatio, id omne detrahendum est, quando Deo tribuitur, ut monent Patres. *Tuas illas*, ait S. Greg. Nazianz. Orat. XXXV. *fluxiones & divisiones & sectiones prius abjise, ac de incorporea illa natura, quasi de corporea, disputare desine. Atque ita fortasse dignum aliquid generatione divina concipere animo queas.* S. Ambr. Lib. I. de Fide, Cap. V. *Non hæc sunt in Deo corporaliter æstimanda; Incomprehensibiliter generatur Filius, impassibiliter generat Pater; & tamen ex se generavit, & ante omnem intellectum generavit Deus verus Deum verum.* Et S. Petrus Chrysol. Serm. LX. *Sed dicit hæreticus; Quomodo Pater, si non præcedit? Quomodo Filius, si non sequitur? Quomodo dat initium,*

tium, qui generat? Quomodo quod generatur, principium a generante non ſumit? Hoc ratio docet, hoc natura probat. Erras hæretice; hoc habet humana ratio; non hoc habet Divina: hoc accipit natura mundi; Deitatis non recipit hoc natura. Alteram Antecedentis partem C, sed N. C. Generatio divina altiſsimum est mysterium, quod simplicem a nobis de sola auctoritate fidem, non ex ratione comprehensionem exigit, testante Scriptura, generationem hanc prorsus inenarrabilem eſse. Hinc veteres Ecclesiæ Patres nefas eſse judicarunt inquirendo disputandoque hac in re ulterius progredi. S. Athan. certe furoris & impietatis eſse hanc audaciam testatur Orat. III. contra Arianos: *Indecorum eſt quærere, quomodo ex Deo Verbum exiſtat: aut quomodo ſit Dei ſplendor, aut quomodo generet Deus, & quis ſit modus generationis Dei. Inſanus enim ſit, qui talia audeat: cum inexplicabilem rem, ac divinæ naturæ propriam, ſolique ipſi ejus Filio cognitam, oratione ſua declarare conetur.* S. Basil. Hom. XXIX. *Credis genitum eſſe? ne quære quomodo. Si enim licet quærere, quomodo ingenitus eſt ingenitus; licet quærere, quomodo genitus ſit, qui eſt genitus. -- Ne quære, quæ inveniri nequeunt; non enim reperies. -- Sin audire me non vis, ſed contentioſe pergis, rideo te, vel potius temeritatem tuam defleo.* S. Greg. Nazianz. Orat. XXXV. *Quomodo genitus eſt? Dei generatio honoretur ſilentio. Abunde tibi magnum eſt ſcire, eum eſſe genitum. Quo autem modo genitus ſit, ne ipſis quidem Angelis, nedum tibi intelligere conceſſerim. Vis declarem, quomodo? Ut ſcit Pater qui genuit, & Filius qui genitus eſt. Quod ſupra hæc eſt, nube tegitur, & hebetudinem tuam effugit.* S. Cyril. Jerosol. Catech. XI. *Deum quidem habere Filium, crede: Quinam vero id fiat, ne curioſe quærito: non enim quærendo reperies. Non extollas te, ne decidas. Quæ mandata ſunt tibi, ea ſolum cogita.* Similia habent S. Chrys. Orat. I. de incomprehensibili Dei natura. S. Ambr. VI. in Lucam, & Lib. I. de Fide, Cap. V. S. Hilar. Lib. II. de Trinit. S. Petrus Chrysol. Serm. LIX. & LXI. &c.

Aut impossibilitate hujus generationis petita.

116. Objic. V. Jmpoſsibilitas hujus generationis. Pater vel genuit Filium jam existentem, vel genuit non existentem: si primum, frustra genuit, quia jam existebat: si secundum, ergo erat tempus, quo Filius non existebat. Ergo Pater non genuit Filium ab æterno. R. N. M. Non genuit existentem; quia Filius non prius extitit, quam gigneretur a Patre; Filius enim habuit existentiam ab æterno, quia Pater illum genuit ab æterno. Neque Pater Filium genuit non existentem; quia in tota æternitate nullum instans concipi potest, in quo Pater non genuerit Filium. Jtaque Pater ab æterno genuit Filium sibi coexistentem, ita ut Pater sola prioritate originis, non autem temporis sit prior Filio, cum sit principium, a quo procedit Filius. Neque frustranea dici potest illa coexistentis Filii æterna generatio; nam per hanc ipsam habet Filius a Patre, quod existat ab æterno.

117. Dices I. Ex hac generatione multa sequuntur absurda, paradoxa, & quorum nulla ratio reddi potest. Ergo. P. A. I. Deus poſset dici genitus & ingenitus. II. Eſsentia divina non generat, nec Paternitas generat. Ergo nihil generat. III. Si Pater generat, tunc dari non potest ratio, cur plures filios non generet. IV. Si Filius habet eamdem eſsentiam cum Deo, tunc non potest dici similis. R. N. A. Ad I. D. A. Pro ratione ejusdem suppositi, N. A. Diversi, C. A. Hæc vox *Deus* præscindit a determinata persona. Ad II. Nec eſsentia divina, nec Paternitas generat, sed solus Pater. Eſsentia divina non generat, tum quia actiones sunt suppositorum, tum quia inter eſsentiam gignentem & genitam intercedere deberet distinctio realis propter oppositionem relativam primo producentis & primo producti, qualis certe non datur inter eſsentiam Patris & Filii, cum sit una eademque utriusque natura: neque etiam generat sola Paternitas, quia hæc non est suppositum, sed forma suppositi. Ergo solus Pater generat, id est, complexum ex natura divina & Paternitate.

nitate. Ad III. N. A. Quia Filius divinus est infinitus, exhaurit totam in suo ordine fœcunditatem, & vim intelligendi Patris; alias Pater se non perfecte & integre cognosceret. Similiter Spiritus Sanctus totam in suo ordine exhaurit activitatem Spiratoris, Patris nimirum & Filii. Ad IV. N. A. Jn quantum Filius eamdem habet cum Patre eſsentiam, est idem cum Patre in eſsentia: in quantum autem Filius est persona distincta, & in eadem eſsentia convenit cum Patre, est similis Patri in eſsentia.

118. Dices II. Verbum non est simile Patri ut intelligenti, sed ut intellecto. Sed Pater non generat ut intellectus, sed ut intelligens. Ergo Verbum non est simile gignenti, ac proinde non est Filius. R. N. C. Vitiosus hic syllogismus non concludit; licet enim Verbum non sit simile Patri *ut generanti*, quia Pater non producit Patrem, sed Filium; est tamen simile Patri *generanti*, quia Pater producit Filium sibi similem in eſsentia.

119. Dices III. Jntellectus & voluntas sunt idem in Deo. Ergo Filius non minus procedit per voluntatem, quam per intellectum: & Spiritus Sanctus non minus per intellectum, quam per voluntatem. II. Filius æque intelligit ac Pater. Ergo & ipse Filium producit, qualem Pater producit intelligendo. R. D. A. Jntellectus & volitio in Deo sunt idem, si considerentur præcise secundum se, C. A. Si considerentur ut adjunctas habent relationes originis, N. A. Jntellectio notionalis differt ab eſsentiali per hoc, quod actus illi notionales includant relationes sibi proprias, quas non includunt actus eſsentiales secundum se considerati. Sic generatio activa est ipsamet intellectio divina, ut affecta relatione Paternitatis: Spiratio activa est ipsamet dilectio divina, ut affecta relatione, qua Pater & Filius tamquam unum principium referuntur ad Spiritum Sanctum quem producunt. Ad II. D. A. Filius æque intelligit ac Pater intellectione eſsentiali, C. A. Jntellectione notionali, N. A. & C.

120. Dices IV. Esse genitum aut ingenitum, vel dicit accidens, vel substantiam: si primum, in Deo admittuntur accidentia: si posterius, substantia Filii erit distincta a substantia Patris. R. Esse *genitum*, dicit relationem Filii ad Patrem, realiter quidem cum substantia & natura divina identificatam, virtualiter tamen ab illa distinctam; quæ proin in conceptu suo formali neque accidens est, neque substantia. *Ingenitum* in conceptu suo formali dicit negationem processionis ab alia persona; quæ tamen non est pura negatio, sed realiter & identice ipse Pater.

121. Dices V. Generatio Verbi vel jam absoluta est, & perfecta, vel non? Si jam absoluta est: ergo habuit finem in tempore, proinde etiam potuit habere initium. Si non est absoluta: ergo Filius non est perfectus, quia ipsius generatio nondum est perfecta. R. Generationem Verbi esse absolutam & perfectam, quatenus absolutum & perfectum excludunt dependentiam & imperfectionem, atque ordinem ad ulteriorem perfectionem; non vero quatenus includunt cessationem productionis, ita ut Pater modo non generet: Generatio enim ista est actio immanens, quæ non transit, & Pater generat Filium cognoscendo divinam essentiam, quæ cum ab ipso divino intellectu cognoscatur ab æterno, Pater in æternum generat Filium, & Filius ab æterno est genitus, atque in æternum generabitur. Quemadmodum autem præteritum & præsens non sunt in Deo duo tempora diversa: ita etiam genuisse & generare non sunt duæ actiones diversæ, ita ut una alteri successerit.

122. Dices VI. Omnis processio involvit imperfectionem. Ergo si Verbum a Patre procedit, admittenda erit in Verbo imperfectio. P. A. Omnis processio dicit dependentiam producti a producente. II. Prioritatem principii producentis respectu illius, qui producitur. III. Causalitatem in producente, & effectionem in producto. IV. Naturæ partitionem ac divisionem inter producentem & productum. V. Jmperfectionem aliquam, quia melius est dare quam accipere.

cipere. R. N. A. Ad I. N. A. Illud Ens tantum dicitur dependens ab altero, quod contingenter existit, atque eſsentiam accipit ab eſsentia producentis distinctam. At vero Filius Divinus tam neceſsario existit, eamdemque numero habet eſsentiam divinam, quam neceſsario existit Pater, eamdemque habet essentiam divinam. Ad II. D. A. Dicit prioritatem originis, quæ nullam importat imperfectionem, C. Prioritatem temporis vel dignitatis, N. A. Proceſsio Filii prioritatem temporis respectu Patris non dicit, quia proceſsiones divinæ sunt æternæ: neque prioritatem dignitatis, quia tres personæ eamdem numero habent eſsentiam divinam. Ad III. N. A. Causalitas & effectio proprie dicta est actio qua res contingens transit a non eſse ad eſse, & distinctam accipit a causante eſsentiam. Quamvis autem Græci Patres sæpe Deum Patrem dixerint causam Filii, hoc tamen vocabulo idem intellexere, quod Latini nomine Principii. Ad IV. N. A. Nulla est in Deo naturæ ac eſsentiæ partitio; cum enim eſsentia divina sit simpliciſsima, tota, quanta est in Patre, communicatur Filio. Ad V. R. Id axioma verum eſse in creatis, at non in divinis. Ratio est, quia in divinis acceptio fit absque dependentia, atque ex intrinseca & absoluta neceſsitate existendi in accipiente; proindeque persona divina non existit beneficio personæ a qua accipit eſse.

123. Dices VII. Si Filius procedit a Patre, non est Ens a se. Ergo non est Deus. P. A. Quod ab alio producitur, non est Ens a se, sed ab alio. Ergo si Filius producitur ab alio, non est Ens a se. *Confirm.* Deus est eſsentialiter primum Ens. Sed si Filius producitur a Patre, non est primum Ens. Ergo non est Deus. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Quod ab alio producitur secundum eſsentiam, non est Ens a se, C. A. Quod ab alio producitur secundum solam personalitatem, quacum natura improducta identificatur, non est Ens a se, N. A. Filius producitur a Patre tantum secundum personalitatem, non

secun-

secundum eſsentiam. Ad *confirmat.* D. M. Deus est primum Ens ratione eſsentiæ, C. M. Ratione cujuscunque proprietatis personalis, N. M. Primum Ens hic idem dicit, ac Ens ratione eſsentiæ suæ improductum.

CONTROVERSIA II.

AN CHRISTUS SIT VERUS DEUS, PATRI CONSUBSTANTIALIS?

CONTRA EOSDEM.

Vera Christi Divinitas evincitur ex Scripturis

124. Conclusio dogmatica. Christus est vere ac proprie Deus Patri Consubstantialis. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Ex innumeris pauca loca seligo. I. Joan. X. v. 30. ait Christus Judæis: *Ego & Pater unum ſumus.* Non persona. Ergo eſsentia. Patres cum Arianis disputantes frequentiſsime hoc loco usi sunt. Suffi iat nobis S. Aug. Tract. XXXVI. in Joannem: *Audi quomodo credas Patrem & Filium, audi ipſum Filium: Ego & Pater unum ſumus. Non dixit, Pater ego ſum; aut, Ego & Pater unus eſt: ſed cum dicit, Ego & Pater unum ſumus; utrumque audi, & unum, & ſumus, & a Charybdi & a Scylla liberaberis. In duobus iſtis verbis dixit, UNUM, liberat te a Sabellio. Si unum, non ergo diverſum: ſi ſumus, ergo & Pater & Filius. Sumus enim, non diceret de uno: ſed & unum non diceret de diverſo.*

125. II. Joan. I. dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt &c.* Sed Christus est Verbum. Ergo Christus est Deus. Urgent hunc locum contra Arianos S. Athan. Orat. IV. S. Hilar. Lib. VII. de Trinit. S. Cyrill. Alexandr. Lib. XXXII. Thesauri. S. Ambr. Lib. I. de Fide, Cap. V. S. Basil. Homil. XV. S. Greg. Nyss. Lib. III. contra Eunom. S. Greg. Naz. Orat. XLIX. S. Aug.

Lib.

Lib. I. de Trinit. Cap. VI. Reponunt Sociniani, in aliquibus Codicibus interpunctionem legi post verbum *erat*, sicque efferendam esse totam sententiam. *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat in principio.* Præterea in Græco textu articulum emphaticum ὁ non haberi præfixum nomini Dei. Verum facile respondetur, interpunctionem illam habuisse quosdam tantum Codices ab Arianis depravatos, ut colligitur ex S. Augustino Lib. III. de Doctr. Christ. Cap. II. & fraudem aperte colligi ex eo, quia sic inepta reddatur sententia. Quorsum enim dixisset S. Joannes *& Deus erat*, qua de re ambigebat nemo? Præsertim cum jam dixisset: *Et Verbum erat apud Deum:* qua enim ratione apud Deum esse poterat, si Deus non erat? Omissio articuli emphatici causæ nostræ obesse nequit. Nam & Pater æternus quandoque sine articulo illo Deus vocatur: contra vero Filius addito articulo illo quandoque alibi in Scripturis Deus dicitur. Maldonatus ait additum hic non fuisse articulum, quia nomen Verbi est subjectum, nomen Dei prædicatum, cui non solet a Græcis præfigi articulus emphaticus.

126. III. Matth. XVI. Christo discipulos suos interroganti: *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Ex quibus verbis hoc argumentum instruitur. Petrus quando Christum Filium esse Dei vivi professus est, non intellexit Christum esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem, verumque Deum; alias plus non dixisset, quam alii Judæi, qui Christum dicebant esse Eliam, aut unum ex Prophetis; filiis utique Dei adoptivis. Ergo vera fuit confessio Petri, ob quam speciali laude fuit dignus, & ab ipso Christo Petra Ecclesiæ constitutus. *Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Respondent Sociniani, reprobatam fuisse a Christo hanc B. Petri confessionem,

quia

quia Matth. XVI. v. 20. dicitur: *Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.* Jneptam & sacrilegam esse hanc exceptionem, patet ex illis Christi verbis: *Beatus es Simon Bar-Jona &c.* Quod enim Pater cœlestis revelavit, a Christo minime reprobatum est. Prohibuit quidem ille Apostolis, ne cui dicerent Jesum esse Christum, verum Dei Filium, non quod id falsum esse existimaret, sed quia prævidebat Judæos id tunc non credituros, & quia, antequam hoc prædicaretur, voluit Judæis dare signum Jonæ Prophetæ. Pari de causa Petrus in prima concione die Pentecostes Jerosolymis habita non explicavit Judæis clare & diserte mysterium Sanctissimæ Trinitatis, unitatem naturæ & distinctionem personarum, ne uno impetu eorum intellectum obrueret, sicque illi absterrerentur a fide Christiana, ad quam sensim disponendi erant.

127. IV. Jsajæ XXXV. dicitur: *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Ex quibus sic arguo. Jlle qui ingressum claudis, surdis auditum restituit, est verus Deus. Atqui Christus ingressum claudis, surdis auditum restituit, ut manifestum est ex Evangelio, cujus auctoritatem veteres novique Ariani admittunt. Ergo Christus est verus Deus. P. M. Hæc miracula sunt notæ & characteres, quibus Deus ipse adveniens, sive Messias, dignosci debuit, ut vel ex eo liquet, quod Christus ipse hunc locum Jsajæ sibi applicet Matth. XI. Jnterrogantibus enim Baptistæ discipulis, *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur &c.* Ergo cum Christus sit Messias, de quo ab Jsaja dicitur: *Deus ipse veniet & salvabit vos*, Christus est verus Deus. Reponunt Sociniani, miracula hæc etiam ab aliis fuisse patrata, atque ista omnia allegorice interpretanda esse. R. Primum esse falsum, cum ante adventum Messiæ nullibi legatur,

tur, quamvis Sancti viri complura patrarint miracula, umquam restitutum fuisse claudis ingressum, auditum surdis, eoquod hæ peculiares essent notæ, quibus Messias ab aliis Prophetis distingui poterat: Alterum vero omnino impium esse, eoquod ipse Christus locum hunc sibi applicando Matth. XI. v. 4. aperte ostenderit, omnia hæc non allegorice, sed in sensu litterali esse sumenda.

128. V. Joan. XX. *Respondit Thomas, & dixit ei:* (Christo, a quo jussus fuerat manus mittere in latus,) *Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Jlle est verus Deus, ad quem S. Thomas verba illa direxit, *Dominus meus & Deus meus;* vocat enim Deum præmisso articulo emphatico ὁ, in quo maximam vim reponunt Sociniani. Atqui Thomas verba illa dixerit ad Christum, quem videbat, & manibus palpabat. *Respondit Thomas, & dixit ei.* Ergo Christus est verus Deus. Ut apertum ac decretorium hoc testimonium eludant Sociniani, ad cavillationes confugiunt, ajuntque verba illa referenda esse ad Patrem per exclamationem, ac si Apostolus dixisset: *Bone Deus! quid video?* At liceat & mihi dicere: Bone Deus, quam infrunita horum Antichristorum petulantia, & cavillandi libido! Nullum erit Scripturæ testimonium tam apertum, quod simili cavillatione eludi nequeat. Ajunt etiam Dei nomen hic restringi per pronomen *meus.* At S. Thomas alium Deum habere non potuit quam reliqui homines; neque pronomen *meus* aut *tuus* nativam Nominis Dei significationem imminuit; Deus enim sæpius se dicit Deum Jsraelitarum, *Deus tuus ego sum,* quin idcirco aliarum gentium Deus esse desierit.

129. VI. Ad Rom. Cap. IX. v. 5. scribit Apostolus: *Ex quibus* (Judæorum Patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Deus benedictus, & super omnia, est verus ac summus Deus, ut patet tum ex Caiphæ interrogatione Marci XIV. v. 61. *Tu es Christus Filius Dei be-*

nedicti? Et ex Apostolo ad Ephes. IV. *Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & omnibus nobis.* Atqui Christus est Deus ille benedictus. Ergo Christus est verus ac summus Deus. Neque audiendus est Erasmus Roterodamus, qui post illa verba, *Ex quibus est Christus secundum carnem*, interpunctionem apponendam esse, & quæ sequuntur, non ad Christum, sed ad Patrem referri contendit per quamdam exclamationem. Hæc enim tam absurda sunt, tamque omni ratione vacua, ut Socinus ipse rei evidentia superatus interpunctionem illam rejecerit; articulus enim ὁ cum participio ὢν, *qui est*, vel *ille existens*, relativus est, sententiam novam non inchoans, sed inchoatam continuans.

130. VII. S. Joan. Epist. I. Cap. V. v. 20. ait: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ubi clare vides de Filio Dei affirmari quod sit verus Deus. Reponunt Sociniani verba illa posteriora, *Hic est verus Deus & vita æterna*, referenda esse ad Deum Patrem: neque pronomen *hic* referri semper ad eum, de quo proxime sermo fuit habitus, quod exemplo ex Epistola II. S. Joannis v. 7. confirmant, ubi dicitur: *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus.* R. Si vera dicerent Sociniani, nugatoria & ridicula, quia identica, foret propositio S. Joannis; hunc enim haberet sensum: *Ut cognoscamus verum Deum, qui est verus Deus.* Ergo verba illa non ad Patrem, sed ad Christum sunt referenda, ut ipsa orationis series & sana ratio demonstrant. Neque ipsis suffragatur exemplum ex secunda S. Joannis Epistola petitum: ibi enim directe & ex professo de seductore agitur, qui non credit Christum venisse in carnem; de Christo autem non nisi indirecte, per accidens, & in obliquo agitur: ideoque pronomen *hic* non alium, quam seductorem illum appellat, ita ut hoc modo loquendi nemo in fraudem induci possit.

131.

131. His adeo perspicuis Scripturarum testimoniis unicam addo S. Jrenæi observationem ex Lib. III. adv. Hær. Cap. VI. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive & absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus, qui dominium accipit a Patre suo omnis conditionis. - - Vere igitur cum Pater sit Dominus, & Filius vere sit Dominus, merito Spiritus Sanctus Dominî appellatione signavit eos.*

132. Probatur Conclusio II^do^. Auctoritate Patrum, ac præcipue Antenicænorum. S. Jgnatius Martyr Epist. ad Smyrnæos ait: *Glorifico Jesum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit.* Epist. ad Ephesios: *Unus medicus est carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, & in carne factus Deus.* S. Justinus Martyr in Apologia pro Christianis ad Antoninum Jmp. *Verum hunc ipsum* (Patrem) *& qui ab eo venit Filium, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Et in Dialogo cum Tryphone Judæo: *Si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiati essetis ipsum esse Deum, singularis & ingeniti, ineffabilisque Dei Filium.* Athenagoras in Apologia, vel Legatione pro Christianis: *Quis igitur non miretur, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari?* Theophilus Antiochenus Lib. II. ad Autolycum: *Verbum itaque cum sit Deus, & ortum habeat ex Deo, quandocunque vult Pater universorum, mittit ipsum quemlibet ad locum.* S. Jrenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. VIII. *Et bene qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam & capit eum.* Et Lib. IV. Cap. XI. *Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, & qui Patribus manifestatus est.* Clemens Alexandr. in Admonitione ad Gentes:

Patribus Antenicænis Græcis.

Verbum divinum, quod eſt manifeſtiſſime verus Deus, qui eſt univerſorum Domino exæquatus, quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo. Et Lib. I. Pædagogi, Cap. VI. *Sed eum Filium, cum Deus eſſet, nihil didiciſſe fuit conſentaneum. Neque enim quis Verbo major fuerit; ſed neque Magiſter, aut Doctor eſt ejus, qui ſolus eſt Magiſter.* S. Dionysius Alexandr. in Epist contra Paulum Samosat. *Illum, qui erat natura Dominus & Verbum Patris, quem Sancti Patres conſubſtantialem Patri vocaverunt.* S. Gregorius Neocæsariensis in brevi expositione fidei: *Unus Deus Pater Verbi viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & virtutis ſuæ, & figuræ ſempiternæ: perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus de Deo, ac Filius verus veri Patris.*

Latinſque 133. Ex Latinis Tertull. in Apologetico, Cap. XXI. *Hunc* (Dei Filium) *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum, ex unitate ſubſtantiæ.* Et Lib. contra Praxeam, Cap. II. *Cuſtodiatur œconomiæ Sacramentum, quæ unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Tres autem non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantia, ſed forma; nec poteſtate, ſed ſpecie: unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus, & unius poteſtatis; quia unus Deus, ex quo & gradus iſti, & formæ & ſpecies, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* S. Cyprianus Lib. de Idolorum vanitate ait de Christo: *Hic eſt virtus Dei, hic ratio, hic ſapientia ejus & gloria: hic in Virginem illabitur; carne, Spiritu Sancto cooperante, induitur; Deus cum homine miſcetur, hic Deus noſter, hic Chriſtus eſt.* Minucius Felix in Dialogo, qui Octavius inscribitur: *Nam quod religioni noſtræ hominem noxium, & Crucem adſcribitis, longe de vicinia veritatis erratis; qui putatis Deum credi aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terrenum.* Arnobius Lib. II. contra Gentes: *Et ideo Chriſtus, licet vobis invitis, Deus; Deus, inquam, Chriſtus (hoc enim ſæpe dicendum eſt, ut infidelium diſſiliat & dirum-*

dirumpatur auditus,) Dei principis jussione loquens sub hominis forma &c. Lactantius Lib. IV. Divinarum Institutionum, Cap. XII. *Propheta declaravit hoc nomine, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Emmanuel autem significat, Nobiscum Deus: scilicet quia illo per virginem nato, confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est, in terra, & in carne mortali. Unde David in Psalmo LXXXIV. Veritas, inquit, de terra orta est; quia Deus, in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam salutis aperiret.*

134. Studiose complura Antenicænorum Patrum adduxi testimonia, ut omnibus appareat, Socinianos non nisi falso atque immerito, nec sine gravi illorum Patrum injuria, de eorum auctoritate sibi gratulari, ac si idem hac in re cum Socinianis olim sensissent viri Sanctissimi. Sæculo IV. & V. Arianam hæresin Apostolicæ traditionis vindices & custodes acerrime scriptis libris impugnarunt, S. Athan. in Orationibus contra Arianos, in Epistola de Synodi Nicænæ Decretis &c. S. Hilar. Libris de Trinitate, Libro de Synodis, & ad Constantium Jmp. Lucifer Calaritanus Lib. de Regibus Apostatis, & de non conveniendo cum hæreticis. S. Phœbadius Aginnensis Lib. de Trinit. Marius Victorinus Lib. contra Arium. S. Gregorius Nazianzen in Orationibus, S. Basil. Libris contra Eunomium. S. Cyril. Alexandr. in Thesauro, & Dialogis septem de Trinit. S. Epiphan. in Panario Hær. LXIX. & LXXIII. S. Ambr. Libris V. de Fide. S. Aug. in Libris de Trinitate, & contra Maximinum. S. Fulgentius in Libris contra Fastidiosum, contra Arianos, ad Trasamundum Regem, & Lib. de Fide Orthodoxa ad Donatum. Vigilius Tapsensis in Libris de Trinit. Lib. contra Marivadum. &c.

135. Prob. III. Argumento præscriptionis. Ecclesia primis etiam temporibus, adeoque longe ante Nicænum Concilium, semper credidit Christum verum esse Deum, eosque pro hæreticis semper habuit, qui Jesu Christi Divinitatem impugnarunt. Ergo absque ulla *Atque argumento præscriptionis.*

ulla dubitatione doctrinam hanc ab ipsis Apostolis hausit. P. A. S. Joannes Apostolus, rogantibus Asiæ Episcopis, sub finem I. Sæculi Evangelium conscripsit adversus Cerinthum, ut aperte testantur S. Hier. Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, atque illo longe antiquior S. Jrenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XI. *Hanc fidem annuntians Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum qui, a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem &c.* Sæculo II. Theodotum Byzantinum: arte Coriarium, proscripserunt S. Victor, & Artemonem S. Zephyrinus, Romani Pontifices. Cumque Artemonis discipuli spargerent, Apostolicam fidem de Christo a Zephyrino primum fuisse corruptam, aliterque ipsius Prædecessores sensisse, putidam hanc calumniam apertæ falsitatis convicit libro contra hanc hæresin edito Anonymus quidam, cujus fragmentum exhibet Eusebius Cæsariensis Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXVII. Auctor utique Socinianis minime suspectus. Operæ pretium duxi fragmentum hoc integrum exhibere. *Atque profecto, quod ab illis* (Artemonis discipulis) *dicebatur, multum fortasse videri potuisset habere probabilitatis, nisi primum Sacræ Scripturæ testimonia illis contradicerent: deinde Fratrum quorumdam scripta supereſsent, Victoris temporibus multo antiquiora: quæ illi tum contra Gentiles pro veritatis defensione, cum contra hæreses, quæ id temporis grassabantur, scripserunt: ut Justini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, & aliorum nonnullorum, in quorum omnium libris Christus vere Deus esse confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis cæterorum libros ignorat, qui Christum Deum & hominem constanter asseverant? Quot item Psalmi, quot hymni a Fratribus fidelibus antiquitus præscripti, qui Christum Verbum Dei verum Deum esse concentu quodam celebrant? Cum igitur ex tot annorum spatio doctrina Ecclesiastica vere annuntiata fuerit, quomodo fieri potest, ut illi Patres, qui ad Victorem usque vitam produxerunt, sic, ut illi asserunt, prædicarint? Aut quomodo non illos pudet hæc Victori tam falso objectare?*

Præ-

Præsertim cum explorate cognitum habeant, Victorem Theodotum illum coriarium, qui primus Christum solum hominem dicebat, ducem & quasi parentem hujus impiæ & execrandæ a fide defectionis, Christum Deum pernegantis, christiana communione interdixisse. Quod si Victor eadem sentire cum illis visus fuisset, quo pacto, aut qua ratione adductus Theodotum hujus erroris inventorem ab Ecclesia ejicere in animum induxit? Sæculo III. Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus de Christi Divinitate perperam sentiens, in Synodo Antiochiæ habita A. 270. communi Patrum Decreto damnatus, atque Episcopatu spoliatus est, nemine Episcoporum reclamante, immo Synodi sententiam ratam habente universa Ecclesia per orbem dispersa. Sæculo IV. Episcopi illi, qui Nicæam Bithyniæ convenerant A. 325. ad cognoscendam Arii causam, ex omnibus Orientalis Jmperii provinciis congregati, viri sanctitate illustres, vulneribus pro Christo olim acceptis inclyti, ætate graves, diuturnisque Episcopatus laboribus perfuncti, unanimi calculo Arianam blasphemiam damnarunt, Filio Dei naturam cum Patre consubstantialem asserentes. Atque hi profecto non tam subito in unam eamdemque sententiam conspirassent, si incerti fuissent & dubii, quid esset ea de re credendum, aut quid sibi a Majoribus fuisset traditum.

136. Hactenus dicta indubitato confirmantur prodigio, quo nullum illustrius, atque ad vindicandam Christi Divinitatem opportunius Ecclesiasticæ tabulæ referunt. Rem ita narrat Victor Vitensis Lib. V. de Persecutione Vandalica. *In Typasensi vero, quod gestum est* (A. 484.) *Mauritaniæ majoris civitate, ad laudem Dei insinuare festinemus. Dum suæ civitati Arianum Episcopum ex Notario Cyrolam ad perdendas animas ordinatum vidissent, omnis simul civitas evectione navali de proximo ad Hispaniam confugit, relictis paucissimis qui aditum non invenerant navigandi. Quos Arianorum Episcopus primo blandimentis, postea minis compellere cœpit, ut eos faceret Arianos. Sed fortes in Domino permanentes* *Et illustrissimo prodigio.*

tes non ſolum ſuadentis inſaniam irriſerunt, verum etiam publice myſteria divina in domo una congregati celebrare cœperunt. Quod ille cognoſcens, relationem occulte Carthaginem adverſus eos direxit. Quæ cum Regi (Vandalorum Hunerico) *innotuiſſent, Comitem quemdam cum iracundia dirigens, præcepit ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas eis & manus dexteras radicitus abſcinderet. Quod cum factum fuiſſet, Spiritu Sancto præſtante, ita locuti ſunt, & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed ſi quis incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet unum de illis Subdiaconum Reparatum, ſermones politos ſine ulla offenſione loquentem: ob quam cauſam venerabilis nimium in Palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipue Regina mira eum reverentia veneratur.* Testes hujus prodigii, non de auditu modo, verum etiam de viſu fuere omni exceptione majores, nempe præter Victorem Vitensem, totamque Zenonis Jmp. Aulam, Æneas Gazæus in Dialogo de Jmmortalitate animæ, in Biblioth. Max. PP. Tomo VIII. Procopius Lib. I. de Bello Vandalico. Jpse Justinianus Jmperator, Codice, Lib. I. Tit. XXVII. de Officio Præfecti Prætorio Africæ ait: *Vidimus venerabiles Viros, qui abſciſſis radicitus linguis ſuas pœnas miſerabiliter loquebantur.* Et Marcellinus Comes Jllyrici in Chronico: *Tunc idem Rex Hunericus unius Catholici adoleſcentis vitam a nativitate ſine ſermone ducentis linguam præcepit abſcindi: idemque mutus, qui ſine humano auditu Chriſto credens fidem didicerat; mox præciſa ſibi lingua locutus eſt, gloriamque Deo in primo vocis ſuæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religioſiſſimos, præciſis linguis, manibuſque truncatis apud Byzantium integra voce conſpexi loquentes.*

Argumenta contraria refutantur.

Inania ſunt effugia Anti-

137. Objic. I. Jnfirmitas primi argumenti ex Scripturis petiti. Locus ille Joan. X. *Ego & Pa-*

ter

ter unum ſumus, intelligendus est de unitate tantum morali, seu consensu voluntatis, non autem de unitate naturæ. Ergo. R. N. A. Nam I. ut observat S. Athanasius Orat. IV. contra Arianos, nullus Sanctorum etiam virorum & Prophetarum ausus umquam fuit dicere, se unum eſse cum Patre Divino. II. Ex unitate potentiæ Christus intulit unitatem essentiæ; ait quippe oves suas in æternum perituras non eſse, nec eas quemquam de manu sua rapturum; quia inquiebat, *Ego & Pater unum ſumus.* Ergo intellexit unitatem potestatis. Atqui si una est Patris & Filii potestas, una est etiam utriusque natura; potestas quippe Dei ab ejus eſsentia non distinguitur. III. Judæi cum audirent Christum aſserentem, se eſse unum cum Patre, lapidibus illum obruere voluerunt, non propter voluntatis & consensus unionem, sed propter unitatem potentiæ ac naturæ, quam in eorum opinione Christus non sine blasphemia sibi arrogabat. *Non lapidamus te de bono opere, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Intellexerant ergo Judæi, quod Ariani & Sociniani nunc intelligere nolunt. IV. Christus hanc Judæorum opinionem non correxit, correcturus utique, si eum Judæi non rite intellexiſsent: immo confirmat aſsertionem suam ex operibus Patris, quæ ipse pariter cum Patre facit: *Si non facio*, inquit, *opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* *christorum.*

138. Dices. Christus eodem modo dixit se eſse Deum, quo modo Sancti viri in Scripturis dicuntur Dii. Ergo cum illi in sensu proprio non sint Dii, neque Christus est verus Deus. P. A. Judæis eum blasphemiæ accusantibus respondit Christus Joan. X. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: quia ego dixi, Dii eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphemas: quia dixi Filius Dei ſum?* Ergo Christus eodem sensu se Deum dixit, quo Sancti viri dicuntur Dii. R.

N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Argumentatio hæc non est a pari, sed a minore ad majus, huncque habet sensum, ut observat S. Aug. Tractatu XLVIII. in Joan. *Si sermo Dei factus est ad homines, ut dicerentur Dii; ipsum Verbum Dei quod est apud Deum, quomodo non est Deus? --- Si lumina illuminata Dii sunt, lumen quod illuminat non est Deus?* Utque ostenderet Christus, se non per participationem, ut alii Sancti viri, sed per essentiam Deum esse, mox intulit argumentum a divinis operibus, quæ ipse similiter atque Pater faceret: quod intelligentes Judæi Joan. X. v. 39. *Quærebant eum apprehendere: & exivit de manibus eorum.*

Et argumenta ex Scripturis

139. Objic. II. Auctoritas Scripturarum. Joan. XIV. ait Christus: *Vado ad Patrem: quia Pater major me est.* II. I. ad Cor. XV. *Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei.* Joan. XIV. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Joan. XX. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* III. Ad Ephesios IV. *Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Ergo solus Pater est supremus Deus. IV. Act. III. dicitur de Deo Patre: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum.* Ergo Christus non est verus Deus; quia non datur alius Deus, quam Deus Abraham, & Deus Jsaac, qui solus est Pater. R. ad I. Pater major est Christo secundum illam rationem, & sub eo respectu, sub quo Christus vadit ad Patrem in cœlum. Atqui Christus in cœlos penetravit ut homo dumtaxat, quia ut Deus ratione immensitatis suæ fuit ubique. Quin Pater dici etiam potest major Filio suo ut Deo, non quidem dignitate naturæ, quasi Filius ipsi natura sit inferior, posterior duratione, aut perfectione impar; sed notione quadam & dignitate personali, quatenus Filio prior est origine, & ejus principium. Atque hoc sensu Patrem majorem esse Filio dixerunt Alexan-

xander Episcop. Alexandrinus in Epistola apud Theodoretum Lib. I. Hist. Eccl. Cap. IV. S. Athanasius Orat. II. contra Arian. S. Basilius Lib. I. contra Eunomium. S. Cyril. Alexandrin. Lib. II. Thesauri. S. Greg. Nazianz. Orat. XXXV. S. Hilar. Lib. IX. de Trinit. S. Damascenus Lib. I. de Fide Orthodoxa, Cap. VI. & Sardicenses Patres in Epistola Synodica, in qua dicunt: *Nemo negat, Patrem Filio majorem esse, non ob aliam hypostasin*, (hoc verbo substantiam denotabant,) *nec ob aliam differentiam; sed quia nomen Patris ipsum majus est nomine Filii.* Ad II. R. Cum Christus duplicem habuerit naturam inconfusam & impermixtam, divinam nempe & humanam, reddenda sunt quæ sunt hominis homini, & quæ sunt Dei Deo. Quare non secundum divinam, sed humanam tantum naturam Christus Patri subjectus erat, atque mandata ab illo accipiebat. Ad III. R. N. C. Vox *unus* ibi sumitur pro denotanda identitate atque indivisione naturæ divinæ, non pro exclusione reliquarum personarum, quæ eamdem numero habent naturam divinam, ut patet ex scopo Apostoli, qui l. c. ait, servandam esse unitatem spiritus, concordiæ & pacis, his motivis, *quia unus est Spiritus, una fides, unum baptisma, unus Dominus, unus Deus Pater omnium.* Ad IV. R. Quamlibet ex Sanctissima Trinitate personam esse Deum Abraham, Deum Jsaac, & Deum Jacob; & Filium non essentia & natura, sed persona tantum distingui a Patre, qui ibi dicitur Deus Abraham.

140. Dices I. Scriptura multa denegat Christo, quæ Summo ac vero Deo denegari nequeunt. Ergo. P. A. I. Denegatur Christo suprema potestas. Matth. XX. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* II. Bonitas soli Deo propria. Marci X. Adolescenti interroganti, *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.* III. Omnipotentia. Joan. V. *Non potest Filius a se facere quidquam,*

nisi quod viderit Patrem facientem. IV. Omniscientia. Marci XIII. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* V. Christus ipse ait Joan. VII. v. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* VI. Joan. Cap. XII. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Ergo Christus non est fidei nostræ objectum. Ergo non est Deus. R. N. A. Ad I. Christus l. c. profitetur, non esse suum regnum dare, id est, non esse suæ æquitatis regnum dare jure propinquitatis, aut per meram gratiam indulgere, quod labore ac meritis comparandum est; non autem absolute negat suæ potestatis esse regnum dare, cum ipse affirmaverit Matth. XXVIII. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* S. Aug. Lib. I. de Trinit. Cap. XII. paulo aliter respondet: *Non est humanæ potestatis hoc dare; ut intelligatur hoc dare, per quod Deus æqualis est Patri.* Ad II. Adolescens ille, qui Christum interrogaverat, eum purum esse hominem existimabat. Idcirco Christus ait illi: *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Quorum verborum sensus est juxta S. Aug. Lib. II. contra Maximinum, Cap. XXIII. & S. Ambr. Lib. II. de Fide, Cap. I. Aut Deum me crede, aut bonum me non appelles. Ad III. Christus duplici sensu nihil a se ipso facit. Primo, quia quidquid habet Filius, per æternam generationem accepit a Patre. Secundo sensu, quia non potest quidpiam facere contrarium voluntati Patris; tum quia una est eademque Divini Patris & Filii natura, ac voluntas: tum quia humana voluntas Christi perfectissime semper conformis erat divinæ. Ad IV. Christus ultimi judicii diem & horam scivit non modo ut Deus, sed etiam ut homo, quia ut homo constitutus fuit a Deo Judex vivorum & mortuorum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi: Verumtamen id non sciebat ea scientia, qua tamquam Magister & Doctor a Patre missus uti posset ac deberet; nolebat quippe Pater, ut hac de re discipulos instrueret. Neque propterea Christus falsum protulit dicendo,

nescire

nescire se diem judicii; discipuli enim Christum interrogarunt tamquam Magistrum & Doctorem missum a Patre: at tamquam Magister & Doctor a Patre missus non sciebat diem judicii, id est, non habebat scientiam communicabilem. Aliqui Patres, quos inter S. Athanas. Oratione IV. adversus Arianos, S. Greg. Nazianz. Orat. XXXVI. S. Basil. Epist. CCCXCI. S. Cyril. Alexandr. in Thesauro, Assertione XXII. videntur ignorantiam diei judicii ad humanam Christi naturam referre. Verum illi non ex propria mente destinatoque judicio id fecerunt, sed quadam veluti concessione, & superabundanti responsione, quasi dicerent: Dato, & non concesso, quod ignorantia & alii ejusdem generis defectus a Christo segregari non possint; certe non est necesse ad Divinitatem Christi illos referre, cum in humanam potius illius naturam refundi posse videantur. Ad V. Resp. cum S. Aug. Tract. XXIX. in Joan. Doctrina Christi & sua dicitur, & non sua: sua, quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ: non sua, quia quidquid Filius habet, a Patre habet. Ad VI. N. C. Sensus illorum verborum est hic: Qui credit in me tamquam purum hominem, sicut Judæi, non credit in me ut oportet, adeoque vere ac salutariter in me non credit. Vel iste: Qui credit in me tamquam Filium Dei, non in me tantum credit, sed etiam in Patrem: non enim quis potest credere in Filium, nisi etiam credat in Patrem. Certe quod Christus sit fidei nostræ objectum, disertis verbis tradit S. Joan. Cap. XVII. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

141. Dices II. Christus I. ad Timoth. II. dicitur *Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Ergo non est Deus. P. C. Si esset Deus, tunc esset mediator inter homines & semetipsum. Atqui hoc dici nequit, quia sub hac consideratione non est alius persona. Ergo. Resp. C. A. N. C. Ad *probat.* N. m. Christus, qua homo est, mediator est inter homines

mines & semetipsum, qua Deus est. Neque adjecta ratio aliquid probat; quia, quamvis sub utraque hac consideratione non sit alius persona, est tamen aliud natura; cum in eadem persona Verbi duæ copulentur naturæ inconfusæ & impermixtæ, divina nempe & humana.

142. Dices III. Joan. I. v. 18. dicitur: *Deum nemo vidit umquam.* Et I. ad Timoth. VI. v. 16. *Rex Regum, & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Atqui Verbum visum fuit, & apparuit hominibus, non tantum post Jncarnationem, verum etiam antea. Ergo Verbum non est Deus. P. m. Patres expressis verbis docent, quoties Deus Abrahamo ac reliquis Patriarchis ostendisse se dicitur, aut etiam Angelus, Verbum Dei ac Filium exprimi, qui Patri suo ministraret, ac futuræ Jncarnationi præluderet. Ab hoc Abrahamum, ejusque posteros sæpe compellatos ac gubernatos fuisse: ab eodem Moysem ad liberandum populum divina vi ac monitis instructum: Jsraëlitas vero per tot inusitata prodigia ereptos e Pharaonis dominatu, perque vastissimas solitudines tot annis circumductos fuisse, ac legibus institutisque formatos. Jta S. Justinus in Dialogo cum Tryphone. Tertul. Lib. II. contra Marcionem, Cap. XXVII. S. Epiphan. Hær. LXIV. S. Hilar. Lib. V. de Trinit. S. Jrenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XXVI. Patres Antiochenæ Synodi in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum. S. Athan. Lib. de Synodi Nicænæ Decretis. S. Cyril. Jerosol. Catech. X. & XIV. S. Basil. Lib. II. adv. Eunomium. S. Chrys. Hom. LVIII. in Gen. Et Hom. XVI. in Acta Apost. S. Cyril. Alexandr. Lib. XII. Thesauri. Theodoretus Lib. V. adv. Hæreses, Cap. I. S. Ambr. Lib. I. de Fide, Cap. V. S. Leo M. Epist. XIII. S. Jsidorus Lib. de Natura Domini, Cap. I. Resp. Deum invisibilem esse quoad divinam essentiam, quam nemo vidit mortalium; non vero quoad visibilem speciem, sub qua hominibus

bus apparuit. Pari ratione & Filium & Spiritum Sanctum per se, & quoad naturam divinam invisibiles esse non minus quam Patrem sana ratione evincit, atque auctoritas Patrum comprobat. S. Jrenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XLI. *Verbum*, ait, *naturaliter quidem invisibile, visibile, palpabile in hominibus factum.* S. Ambr. Lib. II. in Lucam: *Audiamus ergo Patrem. Invisibilis enim Pater, sed & Filius invisibilis secundum Divinitatem. Deum enim nemo vidit umquam. Cum ergo Filius sit Deus, in eo utique, quod Deus est Filius, non videtur.* De S. Athanasio scribit S. Aug. Epist. CXLVIII. alias CXI. ad Fortunatianum: *Cum ageret adversus Arianos, qui tantummodo Deum Patrem invisibilem dicunt, Filium vero & Spiritum Sanctum visibiles putant, æqualem Trinitatis invisibilitatem Scripturarum Sanctarum testimoniis, & diligentia suæ disputationis asseruit.* Ad *probat.* N. C. Quamvis enim daretur, solum Filium antiqui Testamenti Patribus apparuisse, ex eo tamen minime evincitur, eum secundum divinam naturam, sed tantum secundum externam speciem, quam ad tempus assumpsit, fuisse visibilem: sub qua ratione etiam Pater Divinus potuisset spectandum se hominibus præbere, salva divinæ naturæ suæ invisibilitate. Cæterum illud longe verisimilius est, in veteri Testamento modo Patrem solum, modo cum Filio & Spiritu Sancto, assumpta extrinsecus specie apparuisse. Jnterdum vero nullam ex tribus personis, sed Angelos vel alicujus ex iis vicem subiisse; vel ipsos per se, quod mandatum erat, administrasse. Certe S. Athan. Orat. IV. contra Arianos, etsi Filium sæpe videndum se objecisse Patriarchis existimet, non numquam tamen Angelos in partem vocat muneris illius, eosque ait Moysi in rubo locutos fuisse. S. Greg. Nyss. Lib. I. adv. Eunomium scribit, Jsajam Dominum vidisse sedentem in solio, *quem quidem Patrem fuisse antiquior habet traditio.* S. Epiphan. in Expositione Fidei Cathol. Num. XIV. docet, *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ab orbe condito Sanctis suis per visum apparere dignatum, quantum*

tum capere quiſque poterat. Sed hanc totam quæstionem nemo luculentius pleniusqne pertractavit quam S. Aug. Lib. II. de Trinitate, Cap. IX. X. & XI. ubi contra Arianos non solum Filium apparuiſse demonstrat, sed etiam Patrem & Spiritum Sanctum, interdum vero totam simul Trinitatem: adeo ut non satis liquido plerumque constet, quis potiſsimum visus fuerit. Ut cum Adamo deambulans, ac loquens oblatus est, potest vel pater solus intelligi, vel Deus unus ac trinus, cujus sola vox audita, non species aliqua conspecta memoratur. Abrahamo autem quis apparuerit, nihilo constare magis, utrum certa aliqua persona, an omnes tres: & hoc posterius verisimile eſse confirmat. Sic Loto duos conspectos eſse, Filium & Spiritum Sanctum. Moysi quoque quis potiſsimum apparuerit, ac quis Jsraëlis posteros per desertum duxerit, aut in Sinæ vertice legem dederit, haud satis eſse compertum: nec ad unam magis, quam cæteras duas, aut universas accomodari ista poſse, sive per se, obducta aliqua corporea specie, sive per ministros Angelos omnia illa geſsiſse credantur. Denique Cap. XVII. concludit, *nimis temerarium eſse dicere, Deum Patrem numquam Patribus aut Prophetis per aliquas viſibiles formas apparuiſſe.* Vide Petavium Lib. VIII. de Trinitate, Cap. II.

Et Patribus Antenicænis deprompta.

143. Objic. III. Auctoritas Patrum Antenicænorum. I. S. Jgnatius M. Epistola ad Philippenses scribit: *Quomodo rurſum non tibi videtur eſse Chriſtus ex Virgine, ſed ille, qui eſt ſuper omnia Deus, ille ſcilicet omnia potens? Quis ergo eſt, qui hunc miſit, dicito; quisve, qui huic dominatur, vel cujus ſententiæ ſubjectus fuit, aut cujus legem adimplevit?* II. S. Justinus M. in Dialogo cum Tryphone Verbum vocat voluntatis paternæ administrum: ait, poſse loco circumscribi, quia visibilis apparuit: denique quod Deus sit de voluntate Patris, ac voluntaria fuerit ipsius generatio. III. S. Jrenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. VIII. scribit: *Cui ergo præcepit?* (Pater) *Verbo ſcilicet.* IV. Clemens Alexandr. Lib. VII. Stromatum aſserit

Filium

Filium non posse voluntatem Patris impedire, cum ejus voluntati serviat. V. Tertull. Lib. contra Praxeam, Cap. VIII. docet Filium a Patre procedere, sicuti radius a Sole, fluvius a fonte. Et Cap. IX. *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius, & portio, sicut ipse profitetur: quia Pater major me est.* VI. S. Dionysius Alexandr. Epistola ad Euphranorem & Ammonium scripsit, *Dei Filium esse opus quoddam & factitium: neque natura proprium, sed peregrinum, secundum a Patre.* Et Patrem ad ipsum comparari, *quemadmodum Agricola comparatur ad vitem, & navis fabricator ad navem.* VII. Origenes Lib. V. contra Celsum, bonitatem supremam quæ Deo convenit, Christo detrahit. Et Tomo I. in Joan. ait, ita comparari Filium ad Patrem in communione Divinitatis, sicut rationales creaturæ ad Filium ipsum. Resp. Quamvis veteribus novisque Arianis facile demus, Antenicænorum Patrum aliquos duriuscule ac minus castigate quandoque scripsisse; eos tamen quoad substantiam Catholice de Filii Divinitate sensisse invictis argumentis demonstrari potest. Neque mirandum est adeo, eos in modo loquendi non semper fuisse circumspectos. Ut enim observat S. Aug. Lib. XVI. de Civitate Dei, Cap. II. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur.* Ad I. itaque Resp. septem solummodo genuinas esse S. Jgnatii Martyris Epistolas, nempe ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphios, ad Smyrnenses, ad Polycarpum; cæteras vero omnes, quas inter illa ad Philipenses etiam, esse suppositias. Quin & septem illæ, quas genuinas diximus, interpolatæ fuerunt ab hæretico quodam Ariano Sæculo VI. circa tempora Justiniani Jmperatoris, ac denique priori sæculo suæ integritati restitutæ opera Usserii Armachani, qui eas ex manuscriptis Anglicanis duobus Latine, atque Jsaaci Vossii, qui ex Medicæo Codice eas

Græce in lucem ediderunt. Porro utramque editionem, Uſerianam & Voſsianam, sinceram eſse certo dijudicatum est ex variis locis, quæ a Patribus olim laudata sunt. Quicunque enim Patres Sæculo VI. Antiquiores sunt, omnes Jgnatium citant, qualem legimus in Editione Uſseriana & Voſsiana: si qui vero aut suppositiias aut interpolatas S. Jgnatii Epistolas citant, ii non sunt sexto sæculo antiquiores. Ad II. Resp. Quando S. Justinus Filium Patri ministraſse aſserit, nomine ministerii abutitur, prout idem significat ac cooperationem. Vult itaque S. Martyr, creandi voluntatem Patri tamquam primo principio adscribendam, & Filio per Patrem communicatam. Quam autem innoxius sit hic loquendi modus, ex eo constat, quod ipsi Patres Postnicæni eumdem paſsim usurpaverint. Sic S. Hilar. Lib. IV. de Trinitate expendens illud Geneseos: *Et vidit Deus, quia bona ſunt*, scribit: *Placere Patri opera ſua gaudet Filius, per ſe ex præcepto ejus effecta.* Præmiserat tamen eodem in libro: *In eo quod dicitur, Faciamus, & juſſio exæquatur, & factum.* Quasi diceret, ejusdem eſse virtutis ac potestatis exequi creationem hominis, ac jubere. Filium ait poſse loco circumscribi, non secundum Divinitatem, sed secundum externam corporis speciem, quam Patribus apparens ad tempus assumpserat. Existimavit autem Filium semper apparuiſse, tum quia in Scripturis invisibilitas Patri semper tribuitur: tum quia visibilitas Filio appropriatur, cum is sit splendor & imago Patris. Denique voluntariam, ait, fuiſse Filii generationem, non quod Pater potuerit Filium non generare; sed quod non invitus aut coactus Filium genuerit. Ad III. Resp. S. Jrenæus scribit Patrem Verbo præcepiſse, non tamquam inferiori ac dependenti, sed tamquam æquali, & sine quo nihil facere potest. Agit nimirum loco cit. contra Gnosticos fabulantes mundum hunc ab inferioribus potestatibus, id est, Angelis fuiſse conditum contra supremi Dei voluntatem; aitque Filium Dei ministrum in creatione mundi fuiſse, non quidem

dem extraneum, & a Deo sejunctum, sed intraneum & conjunctum: non ex indigentia ex parte Patris, aut dependentia ex parte Filii, sed ex perfecta eorum æqualitate, & necessaria actionis indivisione. Ad IV. Patris voluntas a Filio impediri nequit, non ex impotentia & inferioritate, sed ex propria naturæ suæ necessitate, omnipotentia, & immutabilitate; quia eadem est Patris ac Filii voluntas, ideoque Filius aliud a Patre velle nequit. Ad V. Resp. Comparationes illas a Patribus adhibitas fuisse, non ut omnimodam paritatem instituerent, sed in aliquod infirmitatis nostræ subsidium, ut patet exemplo Patrum Nicænorum, qui licet in Symbolo Filium verum esse Deum, Patri Consubstantialem professi fuerint, eum tamen vocant *Deum de Deo*, *lumen de lumine*. Quare similitudines illæ a rebus creatis petitæ depurandæ sunt ab omni imperfectione. Posteriora verba quod spectat, ex Capite IX. Libri contra Praxeam deprompta, Tertullianus illis significare voluit, Filium esse personam genitam, adeoque aliam a Patre, qui solus est fons ac principium aliarum personarum: non autem, ut Sociniani criminantur, Filium partem dumtaxat obtinere divinæ substantiæ a Patre decerptam. Mens Tertulliani manifeste dignoscitur tum ex textu in probatione IIda. superius a nobis adducto, tum ex Cap. XXV. ejusdem Libri contra Praxeam, ubi ait: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes alterum ex altero: qui tres unum sint, non unus: quomodo dictum est: Ego & Pater unum sumus; ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.* Et Cap. XI. loquens de Verbo, scribit: *Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum; personæ, non substantiæ nomine; ad distinctionem, non ad divisionem.* Constans itaque fuit Tertulliani sententia, divinam naturam esse impartibilem. Ad VI. Resp. S. Dionysium Alexandrinum spectasse Filium Dei ratione humanitatis assumptæ, non ratione Divinitatis, aut divinæ hypostasis. Ad VII. Resp. nos de vindicando Origene parum sollicitos esse, eoquod de Fi-

lio Dei pluribus in locis non recte senserit, in alios etiam graviſsimos errores prolapsus.

144. Dices. Saltem negari non potest, Patres primorum trium Sæculorum, qui Apostolorum temporibus vicini erant, sæpe jejune, nec satis apte de Filii Divinitate, ac Mysterio Trinitatis fuiſse locutos. Ergo saltem merito dubitari potest, an hanc doctrinam ab Apostolis acceperint. P. C. Si ab Apostolis accepiſsent, hæc mysteria magis accurate explanaſsent, quam qui post Concilium Nicænum floruerunt, utpote ab ævo Apostolorum, quo doctrina Christiana puriſsima erat ac sincera, non adeo remoti. Atqui non magis, sed minus accurate mysteria illa explanarunt quam Patres Postnicæni. Ergo. P. M. Aquæ eo puriores hauriuntur, quo propius a fonte absunt. Ergo cum Patres primorum sæculorum vel ab ipsis Apostolis, vel a discipulis Apostolorum fuerint instituti, Religionis Christianæ mysteria non minus clare cognoscebant quam Patres Postnicæni. Ergo non obscure ac jejune de mysteriis illis scripsiſsent, si Deus illa Apostolis & primitivæ Ecclesiæ revelaſset. Resp. C. A. N. C. Quamvis illi traditam sibi ab Apostolis doctrinam sanctiſsime servarent; in explicandis tamen altiſsimis ac reconditis Christianæ Religionis mysteriis coram imperita multitudine verborum penuria laborabant, quibus sensus suos intimos populo explicarent: Neque enim lingua Græca aut Romana ullas voces habebat idoneas explicandis rebus ad illam usque diem inauditis: neque primorum sæculorum Episcopi tantæ erant auctoritatis, ut vel nova verba in usum communem inducere, vel vetera ad usum novum transferre poſsent. Jmmo nec facile poterant, propter regionum longinquitatem, & ingruentes continuo persecutionum tempestates, in unum locum convenire, ut aliquid communibus suffragiis statuerent, ac definirent. Jn his angustiis positi, & proprietate verborum destituti, mirum non est, si videantur quandoque aut pugnantia loqui, aut mysteria nimis jejune, nec satis aptis vocibus

cibus efferre. Ad *probat.* N. M. Nunc quidem possunt Doctores de iisdem mysteriis enucleatius loqui, & uberius disserere; quia jam suppetunt verba longo Ecclesiæ usu trita, quibus sensus usu ipso affixus est, explanandis mysteriis idoneus. At illa verba, quibus jam tuto utimur, primis illis temporibus vel nondum erant usitata, vel saltem non habebant eamdem potestatem, & definitum illum significatum, qui postea invaluit in Ecclesia. Unde fit, ut de quibus rebus jam expedite loquimur, non nisi strictim & jejune antiquiores illi Patres disserere potuerint, licet factam de mysteriis nostris revelationem distincte ac certo cognoscerent. Ad hujus *probat.* N. ultimam consecutionem. Obscuritas primorum Ecclesiæ Patrum in explicandis fidei nostræ mysteriis, & sermonis non usque adeo exacta proprietas, verborum penuriæ, qua illi tunc laborabant, unice adscribenda est. Cæterum Antenicænos Patres de Filii Divinitate, ac Trinitatis mysterio eadem nobiscum sensisse, manifestum est, si ipsorum facta ponderare potius quam dicta omnia omnesque litterarum apices scrupulose excutere velimus. Jsta autem regula, qua, quid quisque sentiat, ex factis indicatur, multo certior est quam illa, quæ ex solis verbis desumitur & modo loquendi; verba enim interdum ambigua sunt, æquivoca; facta autem minime. Jgitur eorum facta si inspiciamus, animadvertemus illico illorum fidem vividam fuisse, puram, integram. Quid enim vividum magis & purum, quam illa fides, quæ non modo exquisitissimis tortorum cruciatibus, atque ipsa morte fortior fuit; sed etiam quæ omnes hæresum pestes semper detestata est, sive illas, quæ naturam Dei, & unitatem, aut personarum in Deo Trinitatem impugnare ausæ sunt, quales fuere Valentini, Gnosticorum, Marcionis, Cerdonis, Manichæi, Praxeæ, Noëti, Sabellii: sive illas, quæ Christo Domino divinam naturam inviderunt, quales fuere Cerinthi, Ebionis, Carpocratis, Theodoti coriarii, Pauli Samosateni &c. Hæc & alia monstra, ubi primum nata sunt, illi ipsi

Patres,

Patres, qui locuti ambigue dicuntur & obscure, oppugnarunt, & debellarunt.

Vox Consubstantialis recte Nicæno Symbolo fuit inserta.

145. Objic. IV. Vox Homousios. Hæc vox *Consubstantialis*, seu *Homousios* in Scripturis non invenitur, fuitque Patribus Antenicænis incognita. Ergo addi non debuit Symbolo. Resp. I. N. C. Ut enim vocabulum aliquod rite ac legitime Symbolo inseratur, sufficit, quod res per illud significata reperiatur in Verbo scripto vel tradito, & Ecclesia judicet in his circumstantiis adhibendam esse illam vocem ad submovendas ambages omnes & fraudes hæreticorum. Resp. II. Distinguo primam partem Antecedentis. Ipsa hæc vox *Homousios* in Scripturis non invenitur, C. Res per illam significata non invenitur, N. Scripturæ sæpius affirmant, Filium esse unum cum Patre, Filium ante Luciferum esse ex utero a Patre genitum, Filium esse verum Deum. Ergo cum natura divina unica sit atque indivisibilis, implicite etiam asserunt unam eamdemque numero esse substantiam & essentiam Patris ac Filii, adeoque Filium consubstantialem esse & æqualem Patri. Porro ut Ariani, qui miri cum essent fallendi & simulandi artifices quasque vel fidei professiones eludebant, atque in alium sensum detorquebant, arctius constringerentur, nullaque ipsis elabendi rima pateret, Nicæni Patres Filium esse Patri consubstantialem & homousion definierunt. Hinc S. Athan. Lib. de Synodis vocem hanc vocat *columnam, vel cippum, in quo illorum impietas proscribitur, ac veluti trophæum de ea superata, prostrataque statuitur.* Et in eodem libro, *Vocis*, inquit, *istius exquisita ratio cum omnem ipsorum simulationem, siquidem illum dicant ex Deo esse, redarguit: tum omnes eorum argutias, quibus simplices circumveniunt, excludit. Sane cum omnia sophisticis calumniis adulterare & immutare possint ad arbitrium, solam hanc dictionem, ut quæ ipsorum convincit hæresin, reformidant, quam quidem Patres pro munimento & arce contra omnia illorum impia commenta scriptam objecerunt.* S. Ambr. Lib. de Filii Divinitate, Cap. IV. *Denique & nunc possent Homousion*

ſion, ſicuti & cætera, verbotenus nominare, (Ariani) *ſi haberent, quomodo illud ad aliam intelligentiam ſcævo ſenſu perverterent. Sed cum viderent ſe in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus fieri voluerunt.* Et S. Epiphan. Hær. LXIX. *Ut ſerpens bituminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatæ lapidis ſuffitum, aut ſtyracis ſuffitum: ſic Arius & Sabellius illam veritate conſtantem Conſubſtantialis profeſſionem exoſam habent.* Arianorum & Semiarianorum contra hanc vocem exceptiones invicte jugulat S. Hilar. in Libro contra Constantium Augustum scribens: *Nolo, inquit, verba, quæ ſcripta non ſunt, dici. Hoc tandem rogo, quis Epiſcopis jubeat? Et quis Apoſtolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, ſi recte dici putas: Nolo adverſum nova venena novas medicamentorum comparationes: Nolo adverſum novos hoſtes nova bella: Nolo adverſum novas inſidias conſilia recentia.* Et paulo post: *Novitates vocum, ſed profanas devitari jubet Apoſtolus. Tu cur pias excludis? Cum præſertim ab eo dictum ſit: Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt. Innaſcibilem ſcriptum nuſquam legis. Numquid & hoc negandum erit, quia novum eſt? Decernis ſimilem Patri Filium. Evangelia non prædicant. Quid eſt, quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur: in alio ſubmovetur. Ubi impietatis occaſio patet, novitas admittitur: ubi autem religionis maxima & ſola cautela eſt, excluditur.*

Ildum Antecedentis membrum aperte falsum est. Ipse enim Eusebius Cæsariensis, auctor utique adversariis minime suspectus, cum Arianæ factionis signifer fuerit, in Epistola, quam Nicææ ad suam Ecclesiam scripsit, & quæ apud Socratem extat Lib. I. Hist. Eccl. Cap. V. ait: *Novimus quoſdam ex veteribus, & illuſtres Epiſcopos, qui de Patris & Filii Divinitate diſſerentes nomine homouſios uſi ſunt.* S. Athan. Lib. de Synodi Nicænæ Decretis testatur, Theognostum, & utrumque Dionysium, Romanum & Alexandrinum, Filium ex Patris substantia productum, & Patri consubstantialem dixisse. Et profecto Dionysius

sius Alexandr. in Epist. contra Paulum Samosatenum diserte scribit: *Illum qui erat natura Dominus, & Verbum Patris, quem Sancti Patres Consubstantialem Patri vocaverunt.* Ergo sine aperta falsitate dici nequit, vocem Homousios a Nicænis PP. fuisse excogitatam.

Ab Antiochenis Patribus Sæculo III. numquam damnata.

146. Dices. Hæc vox Homousios, vel Consubstantialis, Sæculo III. ab iis Episcopis rejecta est, qui Antiochiæ Synodum celebrarunt adversus errores Pauli Samosateni. Ergo a Nicænis Patribus innovari non debuit. R. D. A. Rejecta est in sensu Pauli Samosateni, qui ex dogmate Catholico distorte inferebat divisionem ac partitionem substantiæ divinæ, C. A. Rejecta est in sensu Catholico, quo illam usurparunt Patres Nicæni, N. A. & C. Samosatenus hostis Divinitatis Filii Dei ita perperam contra Catholicos argumentabatur: Si Filius est verus Deus, & persona a Patre distincta, tunc Filius erit Patri consubstantialis, sive habebit naturam ejusdem cum Patre speciei; & natura divina, quando Filius in tempore genitus fuit ex Maria, divisa deinde fuit in Patrem & Filium. Ergo in Deo duæ dantur nunc naturæ, ideoque duo dantur nunc Dii. Atqui sana ratio dictat nec duos dari Deos, neque duas dari naturas divinas divisas. Ergo Christus sive Filius non est verus Deus. Ubi vides perperam hæc omnia ex voce *Homousios* inferri; Filius enim prius extitit, quam e Virgine nasceretur, propriamque habuit hypostasin, utpote ab æterno ex substantia Patris genitus; eamdemque non specie tantum, ut in creatis fit, verum etiam numero substantiam habet cum Patre, quamvis diversa sit a Patre persona. Quare Antiocheni Patres abusum, ac depravationem hujus vocis in Paulo Samosateno damnarunt; minime autem legitimum ac Catholicum hujus vocis usum prohibuerunt: hujusque assertionis nostræ triplex potissimum assignatur ratio. Ima est, quia iisdem temporibus Dionysius Alexandrinus Romæ a Pentapolitanis apud Dionysium Papam accusatus fuit, quod Filium negaverit esse Patri consubstantialem;

lem; quam ille calumniam in Apologia sua ad Romanum Pontificem disjecit. Atqui si Antiochena LXX. Episcoporum Synodus negasset Filium esse Patri consubstantialem, usumque hujus vocis prohibuisset, Dionysius Alexandrinus nec a Pentapolitanis idcirco fuisset in jus vocatus, neque Apologia edita injuriam sibi illatam esse, fuisset conquestus, seque velut a flagitio purgasset. II. Quia omnium primi vocem hanc ab Antiochenis PP. fuisse interdictam tradiderunt Homiusiani Episcopi in Concilio Ancyrano A. 358. annis ferme 90. post Antiochenum; qui tamen hac in re non idonei videntur testes, eoquod Consubstantialis vocabulum aversantes, omnem occasionem quærerent illud rejiciendi. III. Quia ipsi Antiocheni Patres in sua professione Fidei Filium diserte vocant Patri Consubstantialem. Vide Prudentium Maran Lib. IV. de Divinitate Jesu Christi, Cap. XXIX. & in Dissertat. de Semiarianis, Cap. VII. Item Liberatum Fassonium in Dissert. de voce *Homousion* ab Antiochenis Patribus non reprobata.

CONTROVERSIA III.

AN MESSIAS IN LEGE PROMISSUS JAM ADVENERIT, ISQUE NON ALIUS SIT QUAM JESUS CHRISTUS?

CONTRA JUDÆOS.

Judæi nec Prophetarum oraculis, nec Christi miraculis commoti, negant Messiam tantopere ab ipsis expetitum advenisse; aliumque expectant, qui eversam Judæorum Rempublicam restituat pristino splendori, & Davidis solium occupet.

147. Conclusio Dogmatica. Messias in lege promissus jam dudum advenit, isque alius non est quam Jesus Christus. Probatur I. ex vaticinio Danielis. Cum Sanctissimus hic Propheta, captivitate Babylonica jam ad finem vergente, preces ad Deum funderet pro salute & incolumitate Judaici populi,

Messiam jam advenisse, eumque non alium esse, quam J. C. ostenditur ex vatici-

nio Danielis. Gabriel Angelus ita eum allocutus est, Danielis IX. v. 24. & seq. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Ex quo ita argumentamur. Septuaginta hebdomades, de quibus Gabriel ad Danielem, jam dudum sunt elapsæ. Ergo Messias in Lege promissus jam dudum advenit. Atqui hic non est alius quam Jesus Christus. Ergo. P. A. Hebdomades illæ, sive sint dierum sive annorum, dudum effluxere; septuaginta enim hebdomades annorum, sive Solarium sive Lunarium, annos conficiunt 490. Ergo cum ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad præsentem diem bis mille ducenti & aliquot anni jam effluxerint, hebdomades illæ jam diu sunt elapsæ. Reponunt Judæi intelligendas esse hebdomades jubilæorum, quæ annos conficerent 24500. aut omnino sæculorum, quæ duplo majorem annorum numerum continerent. At fatue omnino atque inverecunde. I. Quia hebdomas in Scripturis nuspiam accipitur pro septenario jubilæorum, vel sæculorum; sed pro septenario tantum dierum, vel annorum, ut Levitici XXV. v. 8. II. Multo probabilius est mundum ipsum tot annorum spatio non extiturum. III. Vi hujus vaticinii Messias

præ-

præcedere debuit eversionem urbis Jerosolymitanæ, quæ sub Tito contigit.

Probatur consecutio argumenti superius propositi. Gabriel ait post LXIX. hebdomades venturum esse Messiam. Ergo cum illæ jam effluxerint, Messias jam dudum advenit. P. A. Qui post LXIX. hebdomades venturus a Gabriele prædicitur, Sanctus Sanctorum nominatur, expiaturus dicitur peccatum, & adducturus justitiam sempiternam, auctor futurus novi fœderis, sub quo vetera sacrificia sint abroganda &c. Atqui characteres isti conjunctim accepti, nulli alteri conveniunt nisi uni vero Messiæ. Ergo Gabriel loquitur de Messia.

Probatur etiam minor subsumpta, hunc nempe Messiam alium non esse quam Jesum Christum. Hic enim *Sanctus Sanctorum*, est, non tantum qua Deus, verum etiam qua homo. Profecto irreprehensibilem Christi sanctitatem non tantum testantur miracula ab eo patrata, & Sacri Evangelistæ, quibus Judæi fidem saltem humanam denegare nequeunt; sed ipsi etiam Judæorum Scriptores Josephus Flavius, & Philo. In Christo impletæ fuerunt prophetiæ; natus enim est in Bethlehem ex Virgine, adoratus a Regibus: Præcursorem habuit, qui prædicationi Messiæ populum præparavit: proditus a Juda, captus, derisus, a Judæis in Crucem actus. *Occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Christus tribus annis legem novam prædicavit, & quarto ineunte prædicationis anno occisus est. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & Sacrificium*, quia statim post mortem Christi, quantum ad jus, omnia Legis Mosaicæ sacrificia abrogata sunt. Paulo post, 37. circiter annis post mortem Christi Jerosolymæ cum Templo eversæ fuerunt a Tito, Vespasiani Imperatoris Filio. *Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* Atque hæc desolatio in hodiernum usque diem perdurat, quo adhuc Judæi per orbem dispersi, sine Principe, sine Sacerdote, sine Templo, sine Sacrifi-

cio, ubique terrarum vagabundi, perpetrati Deicidii justisimas pœnas luunt per annos jam mille septingentos. *Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Ubi vides omnia Danielis verba mirum quantum Christo congruere.

Et Jacob Patriarchæ.

148. Probatur II. ex vaticinio Jacobi Patriarchæ. Jacob morti proximus filiis suis benedixit, & Judam his verbis allocutus est Gen. XLIX. v. 8. *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii Patris tui.* v. 10. *Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* His præmissis ita argumentor. Jacob loquitur de adventu Messiæ, hocque vaticinium jam dudum impletum est. Ergo Messias jam advenit. Atqui non potest assignari alius quam Jesus Christus. Ergo Jesus Christus verus est Messias a Jacob prænuntiatus.

Prob. prima pars Antecedentis. Messias per excellentiam in Scripturis passim dicitur mittendus aut venturus. Exodi IV. *Mitte quem missurus es.* Jsajæ XVI. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Matth. XI. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Pari modo Messias expectatio Gentium sæpissime vocatur. Psalm. LXXI. *Omnes Gentes servient ei.* Jsajæ XI. *Ipsum Gentes deprecabuntur.* Psal. II. *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Quem Psalmum ipsi Rabbini veteres de Messia intellexerunt. Aggæi II. v. 8. *Veniet desideratus cunctis Gentibus.* Jsajæ II. *Fluent ad eum omnes Gentes.* Ergo Jacob Patriarcha per illa verba: *Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*, non alium quam Messiam intellexit.

Prob. IIda pars Anteced. Judæi jam a mille circiter & septingentis annis per orbem dispersi nullam amplius habent supremam potestatem, nullum Regem aut Principem ex Judaica stirpe progenitum, aut a se constitutum a quo gubernentur; sed ubique dura premuntur servitute, ab omnibus derisi & contempti. Ergo jam dudum Jacobæum vaticinium impletum est.

Com-

Comminiscuntur equidem nescio quæ regna & Jmperia Judæi in extremis Asiæ partibus; sed tam crassum & supinum est mendacium, ut non nisi risu excipiantur putidissimi hi fabulatores.

Probatur etiam propositio subsumpta. Ex una parte eo tempore, quo Christus natus est, defecit Dux de femore Judæ: ex altera parte nullum datur fundamentum dicendi, Messiam quidem tunc advenisse, sed alium fuisse a Christo distinctum; quia soli Christo conveniunt omnes notæ ac characteres, qui Messiæ a Prophetis tribuuntur. Ergo Jesus Christus est Messias. P. A. Herodes alienigena, Jdumæus vel Ascalonita, Judæis semper invitis & reluctantibus, teste Josepho Flavio, Senatus Consulto Rex Judææ a Romanis renuntiatus est, suffragantibus M. Antonio, & Octaviano Cæsare. Regnante hoc Herode Christus natus est, ut impleretur Jacobi Prophetia. Paulo post Herode demortuo, & Archelao Herodis filio in Gallias relegato, Judæa a Romanis in provinciæ formam redacta est, nullumque amplius Principem habuit sua auctoritate constitutum. Ergo tunc jam defecerat sceptrum de Juda. Confirmatur assertio nostra etiam ex eo, quia eisdem temporibus exploratum erat Judæis, propinquum esse adventum Messiæ. Aliqui enim eorum Messiam putabant esse Joannem Baptistam, alii per turpem adulationem ipsum Herodem, alii vero, quos inter Josephus Judæus, Flavium Vespasianum Jmperatorem. Rumor hujus rei ad ipsos Scriptores Ethnicos dimanavit, quamvis confusus ut fieri solet, & subobscurus. Svetonius in Vita Vespasiani, Cap. IV. scribit: *Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum Judæi ad se trahentes rebellarunt.* Et Tacitus Histor. Lib. V. *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. Quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus more humanæ cupi-*

cupidinis ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem ad vera mutabantur.

Quid vox Schevet ſignificet?

149. Quæres I. Quid intelligatur per vocem *Sceptrum*, ſive *Schevet?* R. non intelligi virgam afflictionis, ut quidam Judæi fabulantur, ac si sensus foret, non receſsuram virgam doloris a populo Judaico, donec veniat Meſsias: nam Schevet apud Judæos numquam sonat virgam doloris, nisi hæc vox aliquid adjunctum habeat, quo significatio ista determinetur, ut v. g. Psal. II. v. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Et Jsajæ X. v. 5. *Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt.* Et certe Respublica Judaica a Davide ad Sedeciam usque fuit florentiſsima. Neque etiam per Schevet denotatur Regium nomen & potestas; per complura enim sæcula Judæi Regem non habuerunt, nempe a captivitate Babylonica ad Aristobulum usque Alexandri Jannæi Fratrem, qui primus Regem se nominavit. Quare vox *Schevet* supremam significat potestatem, sive Regiam & Monarchicam, sive Aristocraticam, aut Democraticam.

An denotetur ſola tribus Juda?

150. Quæres II. An Jacobæum vaticinium referendum sit ad solam Tribum Juda, vel etiam ad reliquas Tribus, & totam nationem Judaicam? R. Probabilius ad solam Tribum Juda referendum eſse. Prob. Gen. XLIX. v. 28. dicitur: *Hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixitque ſingulis, benedictionibus propriis.* Ergo etiam Judæ benedixit Jacob benedictione propria ipsi Judæ. Ergo illa benedictio ad reliquos fratres atque universam Hæbræorum nationem non est extendenda. Sicuti enim a benedictionibus reliquarum Tribuum excluditur Tribus Juda: ita etiam a benedictione Judæ excluduntur reliquæ Tribus.

Quis ſenſus hujus vaticinii?

151. Quæres III. Quinam genuinus sit horum verborum sensus: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus?* R. hunc eſse: Posteaquam suprema potestas delata fuerit ad Judam, is semper eam retinebit. Atque illa ipsa Tribus, quæ prodibit ex femore Judæ, habebit semper Principem aliquem, propria sua auctoritate constitutum, donec veniat Meſsias.

Meſsias. Quamvis igitur Aſsamonæi, vel Machabæi non fuerint de Tribu Juda, sed de Tribu Levi, nullo tamen modo defecit Sceptrum de Juda, quia ab ipsa Tribu Juda constituti fuerunt Principes. Lib. I. Machab. Cap. IX. v. 28. dicitur: *Et congregati ſunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ. - - Nunc te hodie elegimus eſſe nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum noſtrum.* Et Cap. XIV. v. 41. de Simone dicitur: *Judæi & Sacerdotes eorum conſenſerunt eum eſſe ducem ſuum, & ſummum Sacerdotem in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis*, id est, donec veniat Meſsias. Constituti tamen fuerunt Duces non sine aliqua dependentia a Senatu & Synedrio, ut patet ex Lib. I. Machab. Cap. XII. v 3. *Jonathas Summus Sacerdos, & Gens Judæorum miſerunt nos, ut renovarèmus amicitiam.* Et eodem Cap. v. 6. *Jonathas Summus Sacerdos, & ſeniores Gentis, & Sacerdotes, & reliquus populus Judæorum, Spartiatis ſalutem.* Jgitur suprema potestas permansit semper apud Tribum Juda eo fere modo usque ad tempora Meſsiæ, quo Jmperium permansiſse dicitur apud Romanos, quamvis Jmperator ab Exercitu vel Senatu constitutus, Romanus patria non eſset, sed v. g. Hispanus, ut Trajanus, Hadrianus &c. vel Thrax, aut Arabs, ut Maximinus & Philippus. Aliter autem omnino loquendum est de ipso Herode, qui injuſsu Judæorum, immo illis semper invitis & repugnantibus regnavit, expulso Hyrcano legitimo Judæorum Rege, occupatis per vim Jerosolymis, adjuvante Sosio M. Antonii duce, Judæis idcirco adeo infensus, ut maximum Senatorum ac Seniorum numerum interfici juſserit. Jta testantur Josephus Flavius, Philo, & Eusebius. Equidem putant aliqui, ut sua Jacobæo vaticinio constet veritas, ipsum etiam Ducem de stirpe Juda progenitum eſse debere. Verum illi affirmant aliquid, quod Jacob in suo vaticinio non aſserit, & pedicas induunt, a quibus satis commode se amplius extricare nequeunt, ut patet exemplo Machabæorum, qui certe ad Tribum Levi pertinebant.

Argumenta contraria refutantur.

Inanes Judæorum exceptiones contra vaticinium Danielis LXX. hebdomadum.

152. Objic. I. Jnfirmitas primi argumenti. Numerus septuaginta hebdomadum apud Danielem non est certus ac determinatus, sed indeterminatus more Scripturæ, quæ numerum certum pro incerto ponit, ut v. g. Matth. XVIII. v. 22. *Non dico tibi uſque ſepties; ſed uſque ſeptuagies ſeptiès* condonandam eſse injuriam. R. Quamvis Scriptura certum numerum pro incerto quandoque ponat, hoc tamen loco determinatum hebdomadum numerum statui, manifeste colligitur ex circumstantiis. I. Quia Daniel aliunde jam sciebat, Meſsiam aliquando venturum, ejusque adventum ardentiſsime desiderabat, *Vir deſideriorum* idcirco a Gabriele appellatus. II. Quia Gabriel hoc desiderium leniturus ait: *Ut docerem te, & intelligeres, - - ut indicarem tibi - - Tu ergo animadverte ſermonem, & intellige*, non utique illud, quod jam antea Daniel sciebat. Ergo septuaginta hebdomades significant fixum ac determinatum tempus; alias Daniel nullum solatium hausiſset, aut aliquid didiciſset quod antea ignorabat.

153. Dices I. Promiſsio illa Meſsiæ post LXIX. hebdomades venturi fuit conditionata; si nempe intra illud spatium Judæi resipuerint, & pœnitentiam egerint. Ergo cum impleta non fuerit conditio, dilatus fuit Meſsiæ adventus. R. N. A. Nullum hujus conditionis vel tacitum vel expreſsum vestigium in vaticinio Danielis invenitur. Ergo gratis id fingitur a Judæis; alias dicere quis etiam poſset, fieri poſse ut Meſsias numquam sit venturus, eo quod non absolute, sed sub conditione quadam, forsitan numquam implenda, Meſsiæ adventus fuerit promiſsus. Accedit quod ob hunc ipsum finem venturum eſse Meſsiam dicat Gabriel, ut *finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.*

154. Dices II. Nondum deleta est iniquitas, nec finis impositus peccatis. Ergo Meſsias nondum venit. R. N. C. Meſsias non eo sensu peccatis finem imponere

nere debuit, quasi post ipsius adventum non amplius homines esent peccaturi; nec enim Judæi expectare debent Mesiam, qui ipsos impeccabiles reddat: sed quod hominum peccata, quæ antea taurorum sanguine Lex antiqua abstergere non poterat, Christi Sanguis eluat, modo homines eo velint ablui; boni enim Medici partes non sunt, ut nemo pereat, etiam qui perire voluerit: sed ut eorum nullus intereat, qui salutaria ejus consilia amplecti voluerit.

155. Dices III. Illa verba, *Et ungatur Sanctus Sanctorum*, non ad Mesiam, sed ad Templum sunt referenda. Ergo. P. A. In textu Hebraico legitur: Et ungatur *Kodes Kadasim*, id est, *Sanctitas Sanctitatum*, vel *Sanctuarium Sanctuariorum*. R. I. Quamvis ea verba, *ungatur Sanctus Sanctorum*, posent aliquo modo intelligi de Templo, cætera tamen, quæ adjiciuntur, *usque ad Christum Ducem hebdomades sexaginta duæ erunt: & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, non templum, sed personam aliquam designant, quæ sit & nominetur Christus. R. II. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Templum post septuaginta illas hebdomadas non fuit unctum, sed eversum a Romanis. Ergo hæc de Templo accipi nequeunt, sed de Messia, qui est Sanctitas Sanctitatum, & suprema atque indefectibilis Sanctitas.

156. Dices IV. Vaticinio illo non designatur Mesias, sed ipse Cyrus, aut ut alii malunt, Nehemias, Josue filius Josedech; vel Zorobabel. R. N. A. Nullus horum vocari potest Sanctus Sanctorum, nullus ex illis finem imposuit peccato, nullus adduxit justitiam sempiternam, aut a Judæis occisus est. Cyrus equidem Jsaiæ XLV. vocatur Christus: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*, quia typus erat Christi. Quemadmodum enim Christus populum suum liberavit a servitute dæmonis: ita Cyrus Judaicum populum a Babylonica captivitate liberavit. Nehemias, Zorobabel, & Josue præcellentes viri fuere, figura venturi Mesiæ; sed horum ætate non defecit hostia,

immo potius instaurato Templo Sacrificiorum usus refloruit.

157. Dices V. Septuaginta hebdomades impletæ sunt temporibus Antiochi Epiphanis Syriæ Regis, qui Templum Hierosolymitanum violavit. Ergo vaticinium illud referri nequit ad Christum. Jta Marshamus & Harduinus. R. N. A. Profanavit ille quidem Templum, ordinem ac splendorem illius per triennium interturbavit; sed Judæ Machabæi virtute mundatum, atque expurgatum fuit. Ergo desolatio illa Templi non fuit ea, quam Daniel l. c. prædixerat: *Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Præterea Christus ipse Matth. XXIV. v. 15. Judæis in memoriam revocans vaticinium Danielis de abominatione desolationis ab eo prædicta, loquitur non tamquam de re facta, sed futura: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto; qui legit, intelligat.*

Quarum initium ducitur ab anno I. Cyri Regis.

158. Dices VI. Non potest figi initium septuaginta hebdomadum. Ergo ex hoc vaticinio nihil evincitur. P. A. Jpsi Catholici Scripturarum interpretes, quamvis inter se conveniant, initium harum hebdomadum ducendum esse *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, id est, ab edicto Regis Persarum, quo Judæis concedebatur facultas iterum ædificandi urbem Jerosolymitanam; maxime tamen inter se discordes sunt, a quonam edicto numerandi sint anni. Quidam initium ducunt ab edicto Cyri Regis: alii ab edicto Darii, plures ab illo Artaxerxis Longimani, quod anno septimo, quidam ab eo, quod anno regni sui vigesimo idem ipse promulgavit in gratiam Judæorum. R. I. N. C. Quamvis initium harum hebdomadum certo figi nequeat, certum tamen est, hebdomades illas jam dudum effluxisse, ideoque Messiam jam advenisse, eumque alium non esse quam Jesum Christum, cui soli characteres omnes a Daniele expressi conveniunt. Neque mirandum est ipsos Catholicos Doctores hac in re discordes esse, cum Historia & Chronologia illorum temporum

neque

neque ex ipsa Scriptura divina, neque ex profanis Scriptoribus sit satis liquida. R. II. N. A. Multo probabilius dicimus cum Cæsare Calino *Tratteni-mento Storico e Cronologico sulla serie dell' antico Testamento*, Lib. VIII. Cap. II. initium septuaginta hebdomadum ducendum esse ab anno primo Cyri Regis. Probatur assertio I. Jsaias centum circiter annis ante Cyrum prædixit, non modo templum, sed ipsam etiam Jerosolymitanam civitatem a Cyro ædificandam: Capite enim XLIV. v. ultimo ait Propheta: *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: Ædificaberis; & templo: Fundaberis.* Et Cap. XLV. v. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* v. 13. *Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.* Ergo cum certum sit Jsaiæ Prophetiam fuisse impletam, certum pariter esse debet Cyrum facultatem dedisse edicto suo Judæis non modo Templum, sed ipsam etiam Jerusalem e ruinis excitandi. II. Jerem. Cap. XXX. v. 18. vaticinatur. *Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, & tectis ejus miserebor, & ædificabitur civitas in excelso suo, & Templum juxta ordinem suum.* Hoc vero vaticinium respexisse edictum Cyri testatur Esdras Lib. I. Cap. I. *In anno primo Cyri Regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens, &c.* III. Esdræ I. Cap. VI. refertur decretum Cyri Regis: *Anno primo Cyri Regis: Cyrus Rex decrevit, ut domus Dei ædificaretur, quæ est in Jerusalem, in loco ubi immolent hostias, & ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitudinem cubitorum sexaginta.* Quibus verbis implicite continetur instauratio urbis & mœnium. Si enim hæc dimensio de Templo intelligi deberet, addita fuisset longitudo etiam murorum. Ergo intelligenda est de urbe, cum murus latus & altus sexaginta cubitos, sit murus munimenti fortissimi, quale

optaverant Judæi. IV. Si LXX. Hebdomadum initium ducendum esset non a Cyri, sed a Darii vel Artaxerxis edicto, parum solatii hausisset Daniel ex obscura hac Gabrielis revelatione; quippe qui ad Darii, ac multo minus Artaxerxis imperium mortalem hanc vitam non protraxit. Atqui revelationis hujus scopus videtur fuisse virum hunc desideriorum solari. Ergo.

Et contra vaticinium Jacobæum

159. Objic. II. Infirmitas IIdi argumenti. Jacobæum vaticinium non debet referri ad Messiam, sed ad urbem Siloh in Tribu Ephraim sitam, ita ut sensus vaticinii sit iste: Quando Siloh desinet esse sedes Arcæ, Tribus Juda potietur sceptro. Id vero impletum est, quando Arca fœderis a Philistæis reducta est; tunc enim Deus deseruit Siloh, Tribum Juda elegit, & David Regem constituit. R. N. A. Verba Patriarchæ Jacob, *Non auferetur Sceptrum de Juda &c. donec veniat, qui mittendus est*, sceptri finem prænuntiant, non illius initium. II. Quando Arca de Siloh sublata est, Saul nondum erat Rex constitutus, multo autem minus ipse David. III. De urbe dici non potest, *veniet, erit expectatio gentium.*

160. Dices I. Saltem intelligi potest urbs Siloh, in qua Saul & Jeroboam uncti sunt, ita ut sensus vaticinii sit iste: Non auferetur sceptrum de Juda, usquequo veniat Saul & Jeroboam in Siloh, ibi ungantur, & consecrentur in Reges. In illis enim vere defecit sceptrum de Juda; Saul enim erat de Tribu Benjamin, Jeroboam de Tribu Ephraim. R. N. A. Imo. Quia neuter horum unctus fuit in Siloh; sed Saul quidem in Ramatha & in Galgalis, Jeroboam vero in urbe Sichem. II. Quia in neutro istorum defecit sceptrum de Juda: non in Saule; quia tunc sceptrum ad Tribum Juda nondum pervenerat: non in Jeroboamo; quia quamvis ille decem Tribubus imperaverit, Tribus tamen Juda & Benjamin semper proprios Reges habuerunt usque ad Sedeciam, qui in urbe regia Jerusalem habitabant.

161.

161. Dices II. Particula *donec* non significat idem ac *usquedum*, sed idem ac *postquam*, ita ut hic reddatur sensus: Sceptrum de Tribu Juda numquam auferetur, posteaquam venerit Messias. Ergo ex hoc vaticinio nihil evincitur contra Judæos. P. A. Scriptura sæpius in hoc sensu particulam *donec* usurpat. Sic Gen. VIII. v. 7. dicitur de Corvo ex Arca emisso: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ.* Ubi manifestum est particulam *donec* idem dicere ac *postquam.* Ergo. R. N. A. Quod in vaticinio Jacobæo particula *donec* finem regni, non initium denotet, ostenditur I. ex eo, quia Patriarcha Jacob hoc vaticinatus est, ut posteri se præpararent ad excipiendum Messiam, & ut certum signum præsentis Messiæ haberent. II. Quia temporibus Herodis Regis hæc opinio animis Judæorum insidebat, proximum esse adventum Messiæ. III. Longa septemdecim sæculorum experientia ostendit, inane hoc esse Judæorum commentum, cum tam longo sæculorum tractu Judæi & Rege & Templo careant. Ad *probat.* C. A. N. C. Interdum in Scripturis particula *donec* rei continuationem denotat; sed longe frequentius finem & cessationem. Sic v. g. Gen. XXVI. de Isaac dicitur: *Ibat proficiens ac succrescens, donec magnus effectus est.* Judicum IV. de filiis Israel: *Crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin Regem Chanaan, donec delerent eum.*

162. Dices III. Christus numquam hoc Jacobi vaticinium laudavit. Ergo Christus vel non fuit Messias, vel hoc vaticinium de Messia non loquitur. R. I. Non omnia, quæ Christus egit aut locutus est, consignata sunt in Evangelio; nam S. Joan. Cap. XXI. v. 25. testatur: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Potuit igitur Christus adduxisse Judæis hoc vaticinium, quamvis hujus rei Evangelium nullam faciat mentionem. R. II. Christus implicite saltem hoc vaticinium laudavit, dum Joan. V. v. 39. ait: *Scrutamini*

mini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.

163. Dices IV. Vaticinium illud commode intelligi potest de Nabuchodonosore, vel Cyro Persarum Rege. Ergo. R. N. A. Nabuchodonosor non expectatio, sed execratio fuit gentium, quas contrivit: neque Cyro applicari potest id vaticinium, quia post illius mortem supremam potestatem retinuit Tribus Juda per quadringentos & aliquot annos. Demum ipsi Judæi temporibus Herodis existimabant adventum Messiæ in propinquo esse: Ergo persuasio communissima erat Judæorum, hoc vaticinium referendum esse ad Messiam quem expectabant.

164. Dices V. Sceptrum jam diu ablatum fuit a Tribu Juda ante Christi adventum. Ergo nihil probatur ex eo vaticinio. P. A. I. Tempore captivitatis Babylonicæ, id est, spatio annorum LXX. nullum habuere Principem Judæi. II. De Joachim Rege vaticinatus est Jerem. Cap. XXII. *Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Ergo sceptrum ablatum est. R. D. A. Ablatum fuit sceptrum penitus, & sine spe restitutionis, N. A. Ablatum est quoad aliqua, & ad breve tempus, C. A. N. C. A desolatione urbis Hierosolymitanæ & Templi per Nabuchodonosorem facta usque ad Cyrum fluxerunt anni XXX. tantum; unde citius initium dandum est captivitati Babylonicæ, eaque initium habuit non primum sub Sedecia, sed sub Rege Joackim, aut omnino sub Josia. Vide Tirinum in Chronico Sacro, Cap. XXXV. Ergo Judæi non LXX. annis, sed XXX. tantum Rege caruere. Quin etiam post Urbis & Templi eversionem Regum Jadaicorum majestas non omnino eviluit; dicitur enim IV. Regum Cap. XXV. *Sublevavit Evilmerodach, Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachim Regis Juda de carcere. Et locutus est ei benigne: & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* Ad II. R. C. A. D. C. Ergo sceptrum ablatum est a domo David, C. C. A Tribu

Juda,

Juda, N. C. siquidem per sceptrum intelligatur suprema potestas, quamvis absque regio nomine.

165. Dices. VI. Soluta captivitate, suprema potestas non erat magis penes Tribum Juda, quam penes Tribum Levi & Benjamin. Ergo. R. N. A. Ad Tribum Juda maxima ex parte pertinebat regio illa, quam Judæi post reditum e captivitate possidebant, sedesque totius regionis ac religionis erat urbs Jerusalem Tribui Juda propria: At vero Benjamitæ & Levitæ pauci erant præ Judæis, & Tribui Juda ita insiti, ut unam tantummodo Tribum constituerent.

Judæi pertinaciam suam aliis Scripturæ locis frustra tuentur.

166. Objic. III. Auctoritas Scripturarum. Signa, quæ juxta Scripturas præcedere debent adventum Messiæ, nondum sunt impleta. Ergo Messias nondum venit. P. A. I. Jn diebus Messiæ pax & abundantia futura est, & in signum hujus pacis lupus cum agno habitaturus dicitur Jsaiæ XI. & vitulus cum leone. II. Jsaiæ II. Messias venturus designatur in novissimis diebus, & in ejus adventu mons domus Domini exaltandus dicitur super alios montes. III. Jsaiæ XXX. in adventu Messiæ lux Lunæ erit sicut lux Solis, & lux Solis septuplo major quam antea. IV. Ezechiel. XXXVIII. Messias dicitur debellaturus Gog. V. Ezech. XL. magnifica extat descriptio templi, quod a Messia restaurandum est. VI. Aggæi II. dicitur: *Ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus.* VII. Malach. III. adventum Messiæ præcedere debet Angelus, huncque Angelum fore Eliam, patet ex Cap. IV. VIII. Psal. XLIV. Messias tamquam bellator, & domitor gentium describitur. IX. Sæpius ejus adventus affirmatur fore gloriosus. X. Jerem. XXIII. in diebus Messiæ salvandus dicitur Judas, & Jsrael habitaturus confidenter. Atqui hæc omnia signa nondum contigerunt. Ergo Messias nondum venit. R. N. A. Ad I. Pax illa & abundantia spiritualis & interior est, non terrena. Jlla de lupo & agno, vitulo & leone, figurata locutio est, qua significatur, Gentiles, deposita ferocia,

cia, velut agnos mansuetos ad Christi fidem adducendos fore. Ad II. Tempus Meſsiæ dicitur noviſsimum, non absolute, sed comparative ad præcedentia tempora: legem enim naturæ, & legem scriptam subsequitur lex gratiæ, post quam alia non dabitur. Mons ille est Ecclesia Christi; hæc enim est domus Domini altiſsima, ac maxime conspicua, ac si in monte sita eſset. Quare hæc omnia mysticas habent significationes, planeque desipiunt illi Judæi, qui sibi persuadent, Meſsiæ temporibus ordinem mundi, & usitatum rerum cursum eſse immutandum. Ad III. Hæc intelligenda sunt de secundo Christi adventu, seu de die ultimi judicii, post quem, cœlo terraque renovatis, lux Solis & Lunæ multo clarior erit. Ad IV. Resp. certum non eſse, quod Propheta ibi de Meſsia loquatur. Aliqui Scripturarum Jnterpretes per *Gog* intelligunt Antiochum Epiphanem, alii Antichristum, alii Ecclesiæ adversarios. Ad V. Hæc intelligenda sunt de Templo spirituali, id est, Ecclesia, perfectaque ejus restauratione in cœlis futura. Ad VI. Commotio illa contigit, quando Apostolis Evangelium per universum orbem prædicantibus, innumeræ gentes ad Christum confluebant. Ad VII. Malachias Cap. III. loquitur de primo adventu Christi, & per Angelum denotat S. Joannem Præcursorem Domini; ita enim hunc locum ipse Christus interpretatur Matth. XI. v. 10. *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* At vero Cap. IV. Malachias loquitur de secundo Christi adventu tamquam Judicis, *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, quem præcedet Elias Thesbites. Ad VIII. Christus bellator fuit & domitor gentium, qui non armorum strepitu, sed occulta gratiæ subministratione populos spirituali suo imperio subjecit, atque ad subeundum lubenti animo suaviſsimum Christianæ legis jugum impulit. Ad IX. Primus Christi in terras adventus gloriosus fuit coram Deo Patre, & Angelis: secundus vero gloriosus erit etiam coram homi-

hominibus, quando Christus cum potestate & majestate veniet judicaturus vivos & mortuos. Ad X. R. Israelitas & Judæos in duplici sensu accipi posse, carnaliter, & spiritualiter. Spiritualium Judæorum, qui erant credituri in Deum, & fidem Abrahami imitaturi, exaltatio prædicitur: carnalium vero, qui credituri non erant, ipsum vitæ Auctorem Messiam interfecturi, exterminium ac ruinam prænuntiarunt Prophetæ, præcipue Daniel Cap. IX. ut paulo ante vidimus.

CONTROVERSIA IV.

AN CHRISTUS VERUM CORPUS DOLORIBUS OBNOXIUM, ET ANIMAM RATIONALEM ASSUMPSERIT?

CONTRA PHANTASIASTAS, EUTYCHIANOS INCORRUPTICOLAS, ARIUM, APOLLINAREM.

Errores Phantasiastarum.

167. Non Divinitatem modo, verum etiam Sanctissimam Christi humanitatem complures ex hæreticis impugnarunt. Temporibus ipsis Apostolorum extare cœperant, qui veram Christi carnem negabant; contra quos S. Joan. invehitur in Epistola prima Canonica, eosque Pseudoprophetas nominat Cap. IV. *Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum,* (vel ut Græce scriptum est, *qui non confitetur Jesum in carne venisse,*) *ex Deo non est; & hic est Antichristus.* Primus in illo grege numerandus est Simon Magus, Getthis vico Samariæ oriundus, qui, ut S. Cyril. Jerosol. Catech. VI. prodidit, nominatim dixit, se apud Judæos non in carne, sed specie sola, tamquam Jesum Christum apparuisse: nihil se revera passum ab Judæis, sed opinione, ac specie sola. Proxime a Simone numerandi sunt Saturnilus, quem Saturninum alii vocant, & Basilides, docentes Christum assumpsisse non verum corpus, sed phantasticum & umbratile, Phantasiastæ id-

idcirco dicti. Quin Basilides aſserere ausus est, Christum non vere paſsum eſse, sed ejus loco Simonem Cyrenæum. Cui cum Judei Crucem Christi imposuiſsent, Jesus illum in suam mutarit figuram, & ejus viciſsim effigiem induerit, ita ut Simon externa specie Christum referens Cruci affixus fuerit; Christus vero nihil omnino perpeſsus in cœlos sit subvectus. Hinc profanus nebulo negabat pro Christo martyrium subeundum, eo quod non ille mortem perpessus est, sed Simon Cyrenæus. Stolidum commentum convellit S. Epiphan. Hær. XXIV. *Si in Crucem Simon ille Cyrenæus eſt ſublatus, non igitur per Chriſtum parta nobis eſt ſalus, ſed per Simonem; nec jam per Chriſtum mundus ſalvum fore ſe ſperare debeat, utpote qui minime ſit paſsus: Neque enim ſalutis eſſe cauſa Simon poteſt, purus utique ac purus homo, neque quidquam amplius.* Phantasiastarum errorem adoptarunt Cerdo, Marcion, Manichæi, ac Priscillianistæ, quod dicerent carnem malam eſse, ideoque a Christo aſsumi non potuiſse.

Incorrupticolarum.

168. Sæculo VI. circa A. 519. Julianus Halicarnaſseus, & Severus Antiochenus, homo impurus ac facinorosus, qui ad declinandam iracundiam Justini Imperatoris Catholicæ religionis studiosiſsimi, relicta Antiochia Alexandriam profugerat, ambo secta Eutychiani Acephali, interrogati fuerunt a quodam Monacho Ægyptio, an Christi Domini corpus corruptibile fuiſset, an corruptionis expers. Id unum autem hoc nomine in controversiam vocabatur, an Christi corpus, perinde ac nostrum, detrimenta pateretur, propter quæ reparanda esuriret, sitiret, fatigaretur, opusque haberet cibo, potu, requie ad reficiendas vires: an vero specie tenus affectiones istas pateretur, solaque œconomia, quemadmodum post resurrectionem. Severus corruptibile fuiſse hoc sensu Christi corpus, Julianus incorruptibile pronunciavit. Ex hac scintilla magnum subito incendium extitit: utroque suam opinionem propugnante, ac scriptis alteram laceſsente. Hinc corrupticolarum, & incorrupti-

colarum

colarum enatæ sunt sectæ, ut referunt Liberatus in Breviario, Cap. XX. & Leontius Byzantinus Lib. de Sectis, Actione V. Porro incorrupticolæ dicti etiam fuere phantasiastæ, non quod phantasticum dumtaxat, & umbratile corpus Christo affingerent; sed quod naturales in Christo affectiones non veras, sed apparentes dumtaxat esse contenderent.

169. Circa animam Christi errarunt Ariani; ajebant enim Verbum in utero Virginis solam carnem sine anima assumpsisse, ipsumque Verbum in Christo vices animæ obivisse; ut quæ in Scripturis de Christo tamquam homine dicuntur, quod v. g. famem, sitim, labores pertulerit, ipsimet Verbo secundum se considerato adscriberent, atque ita negarent Divinitatem Verbi, utpote cibo potuque indigentis. Perfidiam hanc Arianis exprobrant Patres, S. Athan. in Lib. de Adventu Christi adversus Apollinarium. S. Epiphan. Hær. LXIX. S. Greg. Nazianzen. Epist. I. ad Cledonium. S. Greg. Nyss. Lib. I. contra Eunomium. Leontius Lib. de Sectis, Act. III. S. Aug. Lib. de Hær. Cap. XLIX. Eodem Sæculo IV. Apollinaris Laodicænæ Ecclesiæ Presbyter, aliis Episcopus, naturam hominis in Christo semiplenam putavit, hoc est, anima carentem. Deinde priorem emolliens sententiam, non totam funditus animam defuisse Christo professus est: agnovit quippe in ipso partem illam rationalis animæ, qua vivimus & sentimus, & communia cæteris nobiscum animantibus officia præstamus; sed partem illius ipsi dumtaxat deesse asseruit, qua rationales sumus, id est, mentem: Verbum autem pro mente in Christo fuisse. Ita testantur S. Athan. Lib. de Incarn. Christi contra Apollinarium, S. Greg. Nazianz. Epist. ad Nectarium, Theodoretus Lib. IV. Hæret. Fabul. Cap. VIII. Leontius Lib. de Sectis, Act. IV. &c. Damnata fuit Apollinaristarum hæresis ab Ecclesia in Alexandrina Synodo sub S. Athanasio A. 362 tum in Romana sub S. Damaso A. 373. denique in Antiochena A. 378. & Constantinopolitana I. Oecumenica A. 381.

Arii, & Apollinaris.

Et Damasus quidem non modo Apollinaris errorem anathemate confixit, ut patet ex libello Synodico ad Paulinum Antiochenum miſso, quem refert Theodoretus. Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XI. *Anathema etiam illis adjudicavimus, qui aſſerunt, quod in carne humana Verbum Dei loco animæ rationis compotis habitavit. Nam idem ipſum Dei Verbum, non animæ rationis & mentis compotis locum in corpore, quod ſibi ſumpſerat, obtinuit: ſed noſtram animam, hoc eſt, ratione & mente præditam, expertem tamen peccati, accepit, ſervavitque:* verum etiam in Apollinarem, ejusque primarium discipulum Timotheum depositionis sententiam tulit, quod etiam ad Orientales Episcopos perscripsit apud Theodoretum Hist. Eccl. Lib. V. Cap. X. Eadem pœna paulo post, detecta fraude, Vitalem alterum Apollinaris discipulum mulctavit, quem ab Antiochenis accusatum, quod præceptoris sui errores diſseminaret, sed Orthodoxiæ larva errores suos obtegentem, paulo incautius, & errore facti, ad communionem admiserat, ut constat ex Epist. II. S. Greg. Nazianz. ad Cledonium, sive Oratione LII.

Chriſtus verum corpus.

170. Conclusio I. Dogmatica. Christus verum corpus aſsumpsit, non phantasticum. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Joan. I. dicitur: *Verbum caro factum eſt.* Ad Rom. I. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.* Joan. VIII. Christus se hominem vocat. *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus ſum vobis.* At quomodo se hominem dicere potuit, si ex vera carne compositus non erat? Lucæ XXIV. ad Apostolos territos, & existimantes se phantasma videre, ait Christus post resurrectionem suam ipsis apparens: *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Præterea in Evangelio S. Matthæi & Lucæ accurate genealogia Christi describitur; umbræ autem humanæ genealogiam texere supervacaneus & ineptus labor fuiſset. II^do. Auctoritate Patrum, S. Ignatii M.

Epi-

Epistola ad Trallianos: *Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est, edit & bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato, vere crucifixus & mortuus est, videntibus cœlestibus, terrestribus, subterraneis, qui & vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius.* S. Jrenæi passim in libris suis adversus Hæreses. Tertul. Lib. III. contra Marcionem, & Lib. de Carne Christi, Cap. III. & IV. S. Epiphanii Hær. XXIV. S. Aug. Lib. LXXXIII. Quæstionum, Quæst. XIV. *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus. Et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus; non igitur phantasma fuit corpus ejus.* III. Auctoritate Symbolorum, Apostolici, Nicæni, & Constantinopolitani, in quibus dicitur, Christum natum fuisse, mortuum & sepultum; vere utique, non per sensuum illusionem. Chalcedonense Concilium in Decreto fidei vocat Christum, *Consubstantialem nobis secundum humanitatem, consubstantialem Patri secundum Deitatem.*

171. Conclusio II. Dogmatica. Christus assumpsit corpus passibile, fuitque doloribus vere obnoxius. *Doloribus obnoxium assumpsit.* Probatur I. Auctoritate Scripturarum. Isajas de Christo vaticinatur Cap. I. v. 6. *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Cap. LIII. *Despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Christum varia in vitæ suæ mortalis cursu doloris, & humanæ infirmitatis signa dedisse Evangelistæ sæpius referunt. Matth. IV. post jejunium quadraginta dierum *esuriit.* Joan. IV. *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Lucæ XIX. *Flevit super illam,* (Jerusalem.) Joan. XI. *Infremuit spiritu, & lacrymatus est.* Marci XIV. *Cœpit*

pit pavere, & tædere. Matth. XXVI. *Cœpit contristari & mœstus esse.* Lucæ XXII. *Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. &c.* Ipse Apostolus ad Hebr. Cap. II. scribit: *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Et Cap. IV. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* II. Auctoritate Patrum & Symbolorum paulo ante adducta.

Quo sensu? 172. Verum quamvis Christus vere ac proprie passus fuerit ac mortuus, quod salva fide negari nequit, quæri hic potest, num Christus secundum humanitatem obnoxius fuerit doloribus, atque humanæ infirmitati ex sola sua voluntate, an etiam ex necessitate naturæ simul, & libera voluntate? Sunt qui existimant, carnem Christi ex Spiritu Sancto conceptam, propter unionem hypostaticam, corruptioni, doloribus, cæterisque infirmitatibus de se & natura sua non fuisse obnoxiam: vere tamen passum fuisse Christum ac mortuum, quia ipse pati & mori voluit, idque necessarium esse duxit ad opus nostræ redemptionis. Addunt miraculo opus fuisse, ut naturalis ejus impassibilitas, & immortalitas suspenderetur, ac locum daret doloribus, quibus affligi propter nos voluit; quia necesse fuit gloriam, qua ex visione Dei intuitiva perfundebatur anima Christi, quodammodo retineri ac suspendi ne in corpus ejus diffluereret. Laudantur hujus sententiæ patroni Clemens Alexandr. Lib. VI. Stromatum. S. Maximus Hom. I. de Jejunio Quadrag. S. Aug. Tract. XXXI. XLIX. & LX. in Joan. Hugo Victorinus Lib. II. de Sacram. Parte I. Cap. VII. Philippus Abbas Bonæ Spei in Epistolis de sententia Hilarii. Vide Tournely de Incarnatione Quæst. X. Articulo V. Horum Theologorum sententiam nihil in fide periculi habere, ac valde probabilem esse censeo, quod congrua auctoritate ac solida ratione muniatur.

173.

173. Conclusio III. Dogmatica. Christus, sive Verbum in Incarnatione animam humanam rationalem vere asumpsit. Probatur I. Auctoritate Scripturarum. Matth. XXVI. ipse Christus ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nempe propter duritiem Judæorum, prævisam hominum ingratitudinem, & instantem passionem. Atqui hæc tristitia cadere non potuit in ipsum Verbum, sive in Divinitatem: neque in ipsum corpus inanime, aut animam sensitivam. Ergo in rationalem, quæ sola res spirituales ac nondum præsentes apprehendere, ac futura conjicere, vel etiam Deo revelante certo præscire potest. Joan. Cap. X. ait Christus: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quibus verbis perspicue docetur, quod alia sit anima, quæ ponitur & sumitur, alia Divinitas quæ ponit & sumit. Lucæ II. dicitur: *Jesus proficiebat sapientia & ætate.* Proficit autem ætate quidem corpus, sapientia vero anima: Divinitas quippe neutrum recipit incrementum. Denique universim id ostenditur ex iis Scripturæ locis, quæ Deum factum esse hominem confirmant, nobis similem, quamvis absque peccato, & inter nos humano more versatum ac locutum. Etenim homo non est, sed larva hominis & imago mendax, quod parte aliqua necessaria & substantiva caret hominis, qualis omnium judicio est anima rationalis. *Et animam humanam rationalem; quod ex Scripturis.*

174. Prob. II. Auctoritate Patrum. Tertul. Lib. de Resurrectione carnis, Cap. XL. scribit: *Porro nec anima per semetipsam homo, quæ figmento, jam homini appellato, postea inserta est: nec caro sine anima homo, quæ post exilium animæ cadaver inscribitur. Ita vocabulum homo consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est; sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes.* S. Athanas. in Lib. de salutari Christi adventu: *Quid autem opus fuit carnem suscipere sine anima, cum utique insensibilis caro, & irrationabilis anima nec* *Patribus.*

peccato

peccato ſit obnoxia, nec digna præmio. S. Ambr. Epiſt. VIII. *Cum eſſet in plenitudine Divinitatis, exinanivit ſe, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis conſummationi, ut eſſet perfectus in utraque forma.* S. Epiphan. in Ancorato expoſitionem quamdam fidei pleniorem ſubjicit Nicænæ, ſive potius CPolitanæ, in qua vocabulum illud *hominem factum* ſic explicat, ut ſignificet, *perfectum aſſumptum hominem, animam & corpus, & mentem, & quidquid aliud homo eſt, excepto peccato.* Theodoretus Lib. V. contra Hær. Cap. XI. *Voluit eamdem, quæ victa fuerat, naturam adverſarium debellare, & victoriam referre: ob eamque cauſam & corpus, & animam ratione præditam aſſumpſit.* S. Hilar. Lib. IX. de Trinit. *Mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & illo ipſo inter Deum & hominem mediatoris Sacramento utrumque unus exiſtens, dum ipſe ex unitis in id ipſum naturis, naturæ utriuſque res eadem eſt, ita tamen ut neutro careret in utroque.* S. Greg. Nazianz. Orat. XLII. dicit, Chriſtum *& carnem carnis gratia geſtaſſe, ac miſtum eſſe intelligenti animæ propter animam meam; ut ſimile ſimili repurgaret.* Jdem Epist. I. ad Cledonium: *Si quis in hominem mentis expertem ſperat, amens eſt revera, neque dignus qui totus ſalvetur. Quod enim aſſumptum non eſt, curationis eſt expers. Quod autem unitum eſt Deo, idipſum & ſalute donatur. Si dimidiatus tantum Adamus lapſus eſt, dimidiatum quoque tantummodo ſit, quod aſſumitur, & ſalvum fit. Quod ſi totus peccavit, toti quoque genito unitus eſt, atque ex toto ſalutem aſſequitur.* Similia habent alii etiam Patres, S. Basil. in Libris contra Eunomium. S. Aug. Epist. CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum, & Lib. de Agone Chriſtiano, Cap. XIX. Rusticus in Biblioth. Maxima PP. Tomo X. Caſſianus Lib. VI. de Jncarnatione, Cap. XIII. S. Cyril. Alexandr. in Dialogo de Incarnat. S. Greg. Nyss. Lib. I. contra Eunomium. S. Leo M. Serm. X. de Natali Domini. S. Fulgentius Lib. I. ad Trasamundum Regem, Cap. VIII.

175.

175. Probatur III. Auctoritate Conciliorum, Alexandrini A. 362. Romani A. 373. Antiocheni A. 378. & CPolitani I. A. 381. quod in Epistola Synodica ait: *Nos præterea doctrinam Dominicæ Incarnationis integram & perfectam tenemus: neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus; sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula, omnino perfectum hominem in novissimis diebus, pro nostra salute factum esse.* Chalcedonense in fidei definitione Actione V. ait: *Sequentes Sanctos Patres, unum & eumdem confiteri Filium, Dominum nostrum Jesum Christum consentientes omnes docemus, perfectum eumdem in Divinitate, & perfectum eumdem in humanitate, Deum revera, & hominem revera eumdem, ex anima rationali, & corpore, consubstantialem Patri secundum Divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato.* CPolitanum II. Can. IV. anathematizat eos, *qui non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse.* *Et Conciliis ostenditur.*

Argumenta contraria refutantur.

176. Objic. I. contra I. Conclusionem, Auctoritas Scripturæ. Christus ab Apost. ad Philipp. II. dicitur *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et ad Rom. VIII. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Ergo Christus veram non assumpsit carnem, sed externâ dumtaxat specie nostræ similem. II. Verbum eo sensu caro factum est, quo Christus a B. Paulo II. ad Cor. V. & ad Galat. III. dicitur pro nobis factus esse *peccatum & maledictum.* Sed. Ergo. III. I. ad Cor. XV. ait Apostolus: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Ergo caro indigna fuit, quæ a Christo assumeretur. IV. II. ad Cor. V. scribit Apostolus: *Et si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non* *Phantasiis nec Scripturæ.*

novimus. Ergo Christus non habuit veram carnem. Resp. ad I. C. A. N. C. Nomen similitudinis ibi naturæ veritatem significat, ut ex adjunctis patet: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Non enim summam illam humilitatem & obedientiam exercuisset, neque mortem subiisset Crucis, si specie tenus fuisset homo. Certe nobis dicitur similis, quomodo dicitur æqualis Patri. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Atqui æqualitas illa significat eamdem esse Filii Patrisque substantiam: ergo & illa similitudo significat eamdem esse Christi hominumque naturam, ut observat S. Aug. Tract. LI. in Joannem. Quod vero nomen similitudinis veritatem frequentius in Scriptura significet, quam externam dumtaxat speciem, constat ex Cap. V. Genesis, ubi dicitur, Adam genuisse filium *ad imaginem & similitudinem suam.* Et ex Cap. I. ad Coloss. ubi Filius Dei dicitur *imago Patris.* Tertul. Lib. V. contra Marcionem, Cap. XIV. scribit, Filium Dei dici in hominum similitudinem factum, ratione conceptionis, quia singulari & ineffabili modo conceptus est sine peccato, quæ minime excludunt carnis veritatem. Alterum textum ad Rom. VIII. quod attinet, similitudo illa non refertur ad carnem secundum se, sed ad carnem peccati: quia caro Christi vera quidem fuit caro, sed apparenter tantum caro peccati. Ad H. N. M. Quo sensu Christus dicatur factus esse peccatum, ipse Apostolus II. ad Cor. V. aperte explicat: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Quia nimirum Deus Pater pœnas peccatis nostris debitas in Christum transtulerat. Et ad Hebr. VII. Sanctitatem Christi commendat idem Apostolus: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, nempe quantum ad culpam, non quantum ad naturam. Similiter ad Galat. III. v. 13. Christus, dicitur, *factus pro nobis maledictum*, non quoad se, sed quoad nos; quia dum pas-

sus

sus est pro maledictis, factus est maledictum, & execrabilis Judæis propter supplicium Crucis. At vero Verbum in vero ac proprio sensu caro factum est, ut in probatione ostensum fuit; nec ulla datur ratio ea verba aliter interpretandi, nisi eversum velimus Evangelium. Ad III. N. C. Non ipsa carnis substantia, sed opera carnis ibi damnantur, quæ nullum habebant in Christo locum. Illatio hæc Phantasiastarum omnino illegitima est. Si enim indigna erat Deo caro humana, æque erat ipso indigna similitudo carnis, ut observat Tertul. Lib. III. contra Marcionem, Cap. X. *Si aspernatus est illam ut terrenam, cur non & simulacrum ejus proinde despexit? Nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est. Sequitur statum similitudo.* Ad IV. N. C. Hæc est mens Apostoli: Olim gloriabar Christum carnali generatione Judæum esse, & ex eodem mecum genere; nunc vero Christum novi tantum secundum spiritum, ut auctorem gratiæ & salutis.

177. Objic. II. Paritas. Angeli in veteri Testamento sæpius apparuere in specie humana, multasque vitæ corporeæ ac animalis operationes exercere visi sunt; neque tamen idcirco dici potest, eos veram carnem assumpsisse. Ergo neque ex operationibus Christi inferri potest, eum veram carnem assumpsisse. Resp. C. A. N. C. Christus per annos omnino XXXIII. nobiscum conversatus, sæpissime se filium hominis professus est: e matre vere natus, ab eadem educatus, a Judæis morti traditus est, ejusdemque genealogia accurate describitur in Evangelio. Igitur cum dici nequeat, Deum, qui est via, veritas, & vita, hominibus illusisse; necessario fatendum est, Christum habuisse verum corpus, veramque carnem. At vero nullius Angeli genealogiam Scriptura describit: brevi tempore conversati sunt cum hominibus, neque umquam se veros esse homines professi sunt; immo clara dederunt indicia, se a Deo missos humanam tantisper figuram assumpsisse, ut Raphaël Tob. XII. ait: *Videbar quidem vobiscum manducare, &* *Nec paritas cum Angelis suffragatur.*

bibere; sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.

Incorruptibilitatis frustratio.

178. Objic. III. contra Conclusionem II. Ratio Theologica. Caro Christi non erat caro peccati. Ergo non fuit obnoxia doloribus, quia passibilitas est pœna peccati originalis. II. Primus Adam ante lapsum habuit corpus incorruptibile. Ergo multo magis secundus Adam. III. Passiones animi & infirmitates corporis sunt imperfectiones. Ergo a Christo removendæ sunt. IV. Anima Christi a primo conceptionis Christi momento fruebatur visione Dei intuitiva. Ergo capax non erat doloris ac tristitiæ. V. Psalmo XV. dicitur: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Resp. ad I. C. A. D. C. Ergo non fuit obnoxia doloribus de se, & præscindendo ab unione hypostatica, N. C. Non fuit obnoxia doloribus propter unionem hypostaticam, subdist. Ita tamen ut Christus voluerit ad explendum Redemptionis opus, suamque nobis charitatem ostendendam, vere esse obnoxius doloribus, & infirmitatibus humanis, easque vere expertus sit, C. Ut hoc non voluerit, N. C. Quamvis Christus propter unionem hypostaticam, & statum beatitudinis pati non potuerit, quin per miraculum impediretur, ne effectus beatitudinis se diffunderent in corpus; voluit tamen per omnia assimilari fratribus, sine peccato. Ad II. D. A. Primus Adam ante lapsum habuit corpus incorruptibile ex natura sua, N. A. Ex beneficio Conditoris, C. A. & D. C. ut in Responsione ad I. Quia Christus venit in mundum, ut salvaret Adam peccato irretitum, voluit sponte, non ex conditione carnis Divinitati unitæ, sed ex propria voluntate tantum, dolores & humanas infirmitates perpeti, quæ erant effectus & pœnæ peccatorum hominum, pro quibus vadem se ac sponsorem obtulit. Ad III. D. A. Omnes passiones & humanæ infirmitates sunt imperfectiones, N. A. Aliquæ, subdist. In nobis, C. In Christo, N. A. & C. Aliquæ humanæ infirmitates, ut v. g. passibilitas, mortalitas, defatigatio, fames, sitis,

tis, non sunt imperfectiones positivæ, sed vitii omnis expertes. Hos defectus irreprehensibiles Christus assumpsit; non vero illos qui hominem Deum dedecebant, ut v. g. fomes peccati, vel concupiscentia mala, sive actualis sive habitualis. Passiones etiam animi verosque affectus admisit sacratissima Christi humanitas; sed absque nostratibus nævis. Affectiones enim animi, quæ nos affligunt, non raro antevertunt usum rationis, mentem perturbant, nosque ad peccatum incitant. At vero Christus passiones habuit sine tumultu surgentes, rationi plene subjectas, dociles, pro voluntatis arbitrio recedentes. Hinc Joan. XI. dicitur: *Infremuit spiritu, & turbavit se ipsum.* Et S. Hier. Comment. in Cap. XXVI. S. Matth. affectiones Christi vocavit *propassiones.* Ad IV. C. A. D. C. Ergo capax non erat doloris ac tristitiæ, spectata conditione sua & natura, C. C. Per miraculum, N. C. Essentia beatitudinis stat in clara Dei visione, & amore fruitivo. Ex his naturaliter quidem resultat gaudium & delectatio, omnem sensum doloris ac molestiæ excludens, tamquam proprietas accidentalis ipsius beatitudinis; quæ tamen proprietas divinitus & per miraculum ab essentia beatitudinis separari potest. Atque ex hoc confirmatur, quod antea dictum a nobis fuit, carnem Christi aut potius animam Christi, propter unionem hypostaticam cum Verbo divino & visionem beatificam, obnoxiam doloribus non fuisse, nisi tantum propria voluntate Christi. Ad V. Resp. Verba illa intelligenda esse de corpore Christi, quod post mortem, ante resurrectionem, a putredine immune fuit. Ita enim verba illa interpretatur S. Petrus Act. II. v. 31. *Propheta igitur - - providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.*

179. Objic. IV. Auctoritas Patrum. Clemens Alexandr. Lib. VI. Stromatum scribit: *Ipse autem, ut semel dicam, passionis erat expers; ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor.* S. Cyril. *Et Patrum auctoritatem obtendunt.*

ril. Alexandr. Lib. IX. de Adoratione in spiritu & veritate: *Incorruptibile namque eſt Chriſti corpus, & divinam in ſe ipſo naturam habet.* S. Maximus Taurinensis Hom. I. de Jejunio Quadrag. *Ignorabat diabolus, quia quod Chriſtus nutrimenta perferebat infantiæ, quodque eſuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, ſed cœleſtis gratiæ Sacramentum.* S. Aug. Tract. XLIX. in Joan. *Turbaris tu nolens, turbatus eſt Chriſtus, quia voluit. Eſurivit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit; dormivit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit; contriſtatus eſt Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit. - - - In illius poteſtate erat, ſic vel ſic affici, vel non affici. Verbum enim animam ſuſcepit & carnem, totius hominis ſibi coaptans in perſonæ unitate naturam.* Et Tract. LX. *Quando turbatur qui non turbaretur niſi volens, eum conſolatur qui turbatur & nolens.* II. S. Dionysius Alexandr. in Epistola contra Paulum Samosatenum docet, Christum tristatum fuiſse metaphorice tantum, sicut de Spiritu Sancto ad Ephes. Cap. IV. dicitur: *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum.* III. S. Hilar. Lib. X. de Trinitate ait Christum nullum habuiſse doloris sensum: & explicat hanc suam aſsertionem exemplo aquæ, ignis, & aëris, quæ si perforentur, dividantur, verberentur, nullum inde doloris sensum percipiunt. Resp. ad I. Patres illi minime negant Christum revera paſsum ac mortuum eſse; sed hoc unum affirmant, eum non ex carnis suæ neceſsitate, sed ex sua dumtaxat voluntate, doloribus, infirmitatibus ac morti fuiſse subjectum. Ad II. Resp. S. Dionysium loqui de Christo ut Deo, non ut homine. Paulus enim Samosatenus ex eo, quod Christus tristatus eſset, perperam inferebat, Christum non eſse Deum. Respondet Dionysius, Christum ut Deum ea tantum ratione fuiſse tristatum, qua Spiritus Sanctus tristari dicitur in Scripturis. Ad III. Resp. S. Hilarium, cujus Libros inoffenso pede decurri poſse testatur S. Hier. Epist. VII. removere a Christi Divinitate omnem doloris ac tristitiæ sensum: agebat enim loco cit. contra Arianos, qui ipsam Divinitatem in Chri-

sto

sto doloribus cæterisque infirmitatibus subjectam fuisse asseverabant, atque ex hoc Divinitatem Christi alterius & multo inferioris naturæ esse colligebant, quam sit Patris natura. Sanctissimam Christi humanitatem dolores vere passam fuisse juxta Hilarium, non modo ex Enarratione in Psalmum LIII. & LXVIII. verum etiam ex eodem Lib. X. de Trinit. evincitur, Num. LXII. *Habes in conquerente ad mortem se relictum esse, quia homo est: habes eum, qui moritur, profitentem se in Paradiso regnare, quia Deus est.* Et Num. LXVII. *Passus est Unigenitus Deus, quæ homines pati possunt.* Illud vero mihi multo est probabilius, juxta Sanctum Doctorem humanitatem Christi doloribus obnoxiam & vere passam fuisse, non ex necessitate naturæ & conditionis suæ, ob unionem hypostaticam & visionem beatificam; sed ex sola dumtaxat voluntate, ut patet consideranti verba S. Hilar. Lib. X. de Trinit. Num. XXIII. *Quid per naturam humani corporis concepta ex Spiritu Sancto caro judicatur? Caro illa, id est, panis ille de cœlis est: & homo ille de Deo est; habens ad patiendum quidem corpus, & passus est; sed non habens naturam ad dolendum.* Et Num. XXXV. *Collatis ergo dictorum atque gestorum virtutibus, demonstrari non ambiguum est, in natura ejus corporis infirmitatem naturæ corporeæ non fuisse, cui in virtute naturæ fuerit omnem infirmitatem corporum depellere, & passionem illam, illata licet corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse. Quia quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen vitiosæ infirmitatis nostræ forma esset & in corpore, quod ex conceptu Spiritus Sancti Virgo progenuit: quod licet sexus sui officio genuerit, non tamen terrenæ conceptionis susceptit elementis. Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu, habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmiiatem: dum & corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex Virgine: & extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumpsit exordium.* Quod si dicas: Ergo vita Christi in

ter-

terris, ejusque paſsio continuum fuit miraculum? Resp. me ultro id concedere. Aut quomodo sine miraculo explicabis, animam Christi comprehensoris in primo conceptionis instanti jam beatam, obnoxiam fuiſse doloribus? Per miraculum certe, idque continuum, præterquam in monte Thabor, impediri debuit, ne effectus, qui alias beatitudinem naturaliter consequuntur, diffunderent se in Sanctiſsimam Christi humanitatem.

Pro Apollinariſtis neque Scriptura.

180. Objic. V. contra III. Conclusionem, Auctoritas Scripturæ. Joan. I. dicitur: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Ergo Verbum animam rationalem non aſsumpsit, præcipue cum ipsum Verbum suffecerit, ut eſset loco animæ rationalis in Christo. Resp. N. C. Nomine carnis frequenter in Scriptura totus homo significatur, ut Gen. VI. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Psal. LXIV. *Ad te omnis caro veniet.* Psalm. CXLIV. *Et benedicat omnis caro nomini ſancto ejus.* Rationem vero, cur S. Joannes solius carnis meminerit, aſsignat S. Aug. Epist. CXL. alias CXX. ad Honoratum: *More ſuo Scriptura ut Chriſti humilitatem magis oſtenderet, ne carnis nomen quaſi indignum aliquid refugiſse videretur, carnem pro homine poſuit.* Et S. Greg. Nazianz. Epist. I. ad Cledonium: *Non aliter Dei erga nos amor teſtatus eſse poterat, quam ex eo quod caro in memoria fuerit, quia noſtra cauſa ipſe uſque ad deteriorem partem ſe demiſit.* Ratio ab Apollinaristis addita omnino falsa est; dempta enim anima rationali explicari nequeunt actiones & perpeſsiones quas Christo tribuit Scriptura, quia Verbum secundum se tristari, tædere, &c. non potuit.

Neque ſequelæ quidquam evincunt.

181. Objic. VI. variæ sequelæ. I. Si Christus anima & mente humana præditus fuiſset, consequens foret eum etiam peccato fuiſse obnoxium. II. Christus perfectus homo, pars mundi fuiſset. Atqui pars mundi salutem mundo afferre non potuit. Ergo. III. Si mentem humanam Christus habuiſset, duæ constituerentur in eadem persona Christi principales ac moderatrices humanarum actionum facultates, nimirum

rum anima rationalis creata, & Divinitas. IV. Christus constaret tribus substantiis, nempe Verbo, corpore, & anima, id quod aſserebant Patres Concilii Toletani XIV. reprehensi idcirco a S. Benedicto II. A. 684. Resp. ad I. N. illatum. Ut enim S. Epiphan. observat Hær. LXXVII. quemadmodum Christus ita carnem adscivit, ut nullum carnis defectum, labemque senserit: sic aſsumpta mente, nihil ea, quod Divinitate indignum eſset, cogitavit, sed quæcumque rationi erant consentanea. Adde vitiosas hujusmodi cogitationes non ab ipsa primi hominis creatione extitiſse: alioqui vitiositatis illius & labis auctor eſset idem, qui naturæ fuit; sed ex peccato, quod in Christo locum habere non poterat, collectam eſse illam in anima hominis & mente perniciem. Ad II. Ajo Christum non fuiſse mundi partem; quippe qui non homo simplex erat, sed Deus homo, ac divina persona, cujus conditio mundo omni præstantior est. Et quamvis id etiam concedatur; potuit tamen mundi pars toti mundo eſse salutaris, tamquam humani generis caput, tametsi salutem sibimet ipsi afferre non potuerit, qua non indigebat. Ad III. N. illatum. Etsi humana mens in Christo integra fuerit, non tamen in eo tenuit principatum actionum: sed cum ex toto Divinitate imbuta eſset & inuncta, ad hujus se ductum ac gubernationem applicabat. Hinc S. Maximus Martyr apud Euthymium in Panoplia, Tit. VII. ait: *Quemadmodum lana alba purpuræ colore tincta non eſt bicolor, ſed unius dumtaxat coloris: ſic in aſsumpta natura, deificata hominis mente, non ſunt duo principalia Deus & mens; ſed unum, videlicet qui divinam mentem effecit Deus.* Ad IV. Resp. Quæstionem eſse de nomine. Si substantiæ completæ intelligantur, non plures duabus sunt in Christo: si vero etiam de incompletis sit sermo, nihil obstat quo minus tres in illo admittantur, una completa, nempe natura divina: & duæ incompletæ, nimirum corpus & anima, quæ simul sumptæ unicam ac completam constituunt naturam humanam. Cæterum Bene-

dictus II. non reprobavit, sed minus recte dici asseruit tres in Christo substantias, ideoque ad tollendam ambiguitatem omnem has voces explanari voluit; quia nomen substantiæ simpliciter prolatum absque alia explicatione, indicat substantiam perfectam & completam.

CONTROVERSIA V.

AN CORPUS CHRISTI FORMATUM FUERIT IN UTERO B. MARIÆ EX EJUS SUBSTANTIA?

CONTRA VALENTINIANOS, APOLLINARISTAS, MENNONISTAS.

Errores Hæreticorum.

182. Valentinus Ægyptius, vir summæ dementiæ in excogitandis putidissimis figmentis, Sæculo II. fœtuit. Præter alios errores docebat hic, teste Tertul. Lib. de Præscript. Cap. XLIX. *Christum in substantia corporis nostri non fuisse, sed spirituale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem.* Valentino adhæsere Secundiani, Marcosiani, Cerdo, & Apelles Marcionis discipulus, de quo ita scribit Tertul. Lib. de Præscript. Cap. LI. *Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque substantia veri corporis, ut Evangelium docet, sed in eo, quod e superioribus partibus descenderat, ipso descensu fideream sibi carnem & aëream contexuisse. Hunc in resurrectionem singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuisent, in oscensu reddidisse, & sic dispensis quibusque corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantum reddidisse.* Sæculo IV. Apollinaristæ pariter asserebant, Verbum divinum carnem ex Virgine non sumpsisse, sed e cœlo attulisse, ut testatur S. Greg. Nazianz. in Epistola ad Nectarium, seu Oratione XLVI. & S. Greg. Nyss. in Libro Antirrhetico adversus Apollinarem, ex quo multa descripsit Euthymius in Panoplia, Parte II. Tit. XII. Catholicos autem, qui Christi corpus ex Maria sumptum profitebantur, *hominicolas* per convicium nominabant, eis

im-

improperantes, quod non Trinitatem, sed Quaternitatem statuerent: nempe præter tres Personas Divinas, quartam substantiam omnino extraneam, ac diversam. Videtur tamen hic error non ipsius Apollinaris fuisse, sed discipulorum ejus. Nam Apollinaris Epist. I. ad Dionysium, quæ extat apud Henricum Canisium Tomo V. Antiquæ Lectionis, scribit: *Anathema igitur sit, qui non dicit carnem ex Maria; & qui dicit eam carnem esse naturæ non creatæ, & homousion Deo; immo & qui dicit Divinitatem esse patibilem, & ex ipsa esse passiones animæ.* Sæculo XVI. Valentini errorem jam diu in inferis consepultum excitarunt Anabaptistæ docentes, Christum de corpore Virginis nihil accepisse: sed tantum per illius uterum transisse, sicut lux per vitrum, ideoque de Christo dici Joan. I. *Erat lux vera.* Quin Mennon quidam Frisius gente ex secta Anabaptistarum stulte asseruit, corpus Christi ex ipsius Dei Patris substantia delatum fuisse in uterum Mariæ.

183. Conclusio Dogmatica. Corpus Christi formatum fuit in utero Beatæ Mariæ ex illius substantia. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Lucæ I. v. 31. ait Angelus ad Mariam: *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Et v. 35. *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ad Galat. IV. v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Prob. II. Auctoritate PP. Paucos e multis laudabimus. S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XXXII. ait: *Si non accepit Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: & si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est, & suscitavit. - - Cæterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, numquam eas, quæ a terra erant, percepisset escas, per quas id, quod a terra sumptum est, nutritur corpus: nec XL. diebus, quemadmodum Moyses & Elias, jejunans esuriisset corpus ejus* *Corpus Christi formatum est ex substantia Matris.*

ſuam quærens eſcam. Tertul. Lib. de Carne Christi, Cap. XV. *Licuit & Valentino ex privilegio hæretico carnem Chriſti ſpiritualem comminiſci. Quidvis eam fingere potuit, quiſquis humanam credere noluit; quando ſi humana non fuit, nec ex homine; non video, ex qua ſubſtantia ipſe ſe Chriſtus hominem, & Filium hominis pronunciavit.* Et Cap. XXII. *Quam debemus & poßumus agnoſcere in Chriſto carnis qualitatem? Utique non aliam, quam Abraham: ſiquidem ſemen Abraham Chriſtus: nec aliam, quam Jeßæ, ſiquidem ex radice Jeſſe flos Chriſtus: nec aliam, quam David, ſiquidem fructus ex lumbis David Chriſtus: nec aliam, quam ex Maria, ſiquidem ex Mariæ utero Chriſtus. Conſequens ergo eſt, ut aut illos ſpiritalem carnem habuiße contendant, quo eadem conditio ſubſtantiæ deducatur in Chriſto; aut concedant carnem Chriſti ſpiritalem non fuiße, quæ non de ſpiritali ſtirpe cenſetur.* S. Cyril. Alexandr. in Epist. ad Nestorium, quam adoptavit & ratam habuit Oecumenica Synodus Ephesina, scribit: *Non dubitarunt* (Sancti Patres) *Sacram Virginem Deiparam appellare, non quod Verbi natura, ipſiusve Divinitas ortus ſui principium ex Sancta Virgine ſumpſerit; ſed quod ſacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit, cui & Dei Verbum ſecundum hypoſtaſin unitum, ſecundum carnem natum dicitur.* Prob. III. Auctoritate Symbolorum & Conciliorum. In Apostolico Symbolo dicitur: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* In Nicæno: *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt,* In eo quod S. Athanasio tribuitur: *Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus; & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.* Chalcedonensis Synodus Actione V. in fidei definitione Christum vocat *Conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem.* CPolitana II. Can. II. anathema dicit ei, qui non confitetur Dei Verbi duas eſse nativitates; unam quidem ante sæcula ex Patre; alteram vero in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui de cœlis descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice

& semper Virgine Maria, natus est ex ipsa. Nicæna II. Act. VII. in definitione fidei ait: *Confitemur autem & Dominam nostram Sanctam Mariam proprie ac veraciter Dei Genitricem, quoniam peperit carne unum ex Sancta Trinitate, Christum videlicet Deum nostrum.*

184. Quæres I. An Humanitas Christi in aliquo instanti reali temporis extiterit in utero Virginis ante unionem cum Verbo? R. negative. Posteaquam enim Beata Virgo in maternitatem Filii Divini consensit, Spiritus Sanctus purissimum Virginis sanguinem ad formationem corporis necessarium, ad uterum tamquam ad naturalem officinam deduxit, ibique integrum corpus Christi omnibus organis perfectum eodem momento formavit, simulque animam rationalem infudit, & utrique eodem momento temporis, animæ scilicet & corpori hypostatice unitum fuit Verbum Divinum. Probatur assertio I. Auctoritate Patrum, qui constanter id docuerunt contra Paulum Samosatenum, & Nestorium. S. Athanas. Lib. de Incarnatione, Num. IV. *Carnis cum Verbi Divinitate conjunctio ex utero facta est: inde enim ipsi Verbum, cum e cœlo advenisset, originem dedit, quippe non erat, antequam Verbum adveniret, aut ante Deiparam Mariam.* S. Aug. in Enchiridio, Cap. XXXVI. *Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo quam Dei Filius.* S. Cyril. Alexandr. Epist. II. ad Nestorium: *Non enim primo vulgaris quispiam homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Verbum deinde sese demiserit; sed in ipso utero carni unitum secundum carnem progenitum dicitur, utpote suæ carnis generationem sibi ut propriam vindicans.* S. Leo M. Epist. XXV. alias XI. ad Julianum Coensem: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata post assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur.* Theodoretus Dial. II. *Si ergo ne punctum quidem temporis interjectum fuit inter assumptionem carnis & unionem, & assumpta natura non fuit ante assumptionem & unionem, eamdem rem significant incarnatio & unio.* S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XVIII.

In instanti unionis hypostaticæ.

XVIII. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, carnem Chriſti non ſine Divinitate conceptam in utero Virginis, priuſquam ſuſciperetur a Verbo, ſed ipſum Verbum Deum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamque carnem Verbi incarnatione conceptam.* S. Joan. Damascenus Lib. III. de Orthod. Fide, Cap. II. *Simul caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul vero animata anima rationali.* Prob. III. Ratione Theologica. Quia si humanitas Christi aliquo temporis momento extitiſset, antequam unita fuiſset Verbo, sequeretur in Christo fuiſse aliquando duas personas, duos Filios: Christum fuiſse aliquando purum hominem: B. Virginem non concepiſse Deum. Quæ omnia fidei nostræ adversantur, ut suo loco ostendemus.

Quod a ſolo Verbo aſſumptum fuit.

185. Quæres II. An solum Verbum aſsumpserit humanitatem? R. affirmative; ita enim fides docet. Nam quoties Scriptura de hoc mysterio loquitur, semper de solo Filio loquitur. Joan. I. *Verbum caro factum eſt.* Ad Galat. IV. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Equidem omnes tres personæ concurrerunt ad uniendam naturam humanam cum Verbo; quia unitio illa, cum sit opus ad extra, & effectus omnipotentiæ divinæ, communis fuit toti Trinitati: attamen unitio illa ad solam Filii personam terminata est. Ratio enim terminandi humanam Christi naturam non est præcise natura divina, prout est communis tribus personis, sed prout est contracta ad personalitatem Filii: Unde solus Filius naturam humanam aſsumpsit. Quemadmodum is, qui vestem induit, solus dicitur illam aſsumere, quamvis alii cum ipso concurrant ad illam aptandam & circumponendam.

Mediante anima.

186. Quæres III. An Verbum aſsumpserit corpus mediante anima? R. affirmative; ita enim diserte docent Patres, S. Greg. Nazianz. Orat. XXXV. *Per intermediam mentem Verbum cum carne conjunctum eſt.* Et Epist. I. ad Cledonium, seu Orat. LI. *Mens menti ut propinquiori & conjunctiori jungitur, ac per eam carni; inter Divinitatem & carnis molem intervenientem.* S. Aug.

S. Aug. Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum: *Ipsa* (Deitas) *sibi animam rationalem, & per eamdem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem coaptavit.* Et Epist. CXL. alias CXX. ad Honoratum, Cap. IV. *Verbum particeps carnis effectum est rationali anima mediante.* S. Greg. M. Lib. XVIII. Moralium, Cap. XII. *Dominus per Divinitatem lumen est: qui mediante anima in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus.* S. Joan. Damascenus Lib. III. de Fide Orthodoxa, Cap. VI. *Dei Verbum per mediam mentem carni unitum est, interjectam videlicet inter Dei puritatem, & carnis crassitiem.* Cæterum quando Patres affirmant a Verbo assumptam fuisse carnem mediante anima, neutiquam volunt vera aliqua temporis prioritate animam fuisse Verbo unitam ante carnem, aut animam solam immediate ac proxime, carnem vero mediate ac remote esse unitam, in quantum scilicet caro uniebatur animæ Verbo unitæ: sed hoc loquendi modo Patres denotare voluerunt, animam rationalem fuisse medium congruentiæ, immo necessitatis, quo caro reddita est idonea ad unionem cum Verbo, quod gemina potissimum ratione confirmatur. Ima est, quia natura spiritualis perfecta & completa, qualis est divina, quæ nata non est, ut sit alterius pars, non potest cum substantia corporea se ipsa immediate conjungi. IIda. Quia substantia corporea non nisi animæ interventu gratiæ & sanctitatis capax est. Ergo increatam ac substantialem divinæ personæ gratiam non nisi anima mediante percipere potuit. Atque hac doctrina Patres refellebant Apollinaristas. Si enim Divinitas cum humanitate copulari non potuit, nisi anima rationali mediante, omnino necesse est animam humanam in Christo agnoscere.

187. Quæres IV. An Verbum divinum non modo carnem & animam rationalem, sed etiam ossa, carnem, venas, arterias, nervos, sanguinem, aliasque partes integrales naturæ humanæ per unionem physicam immediate assumpserit? R. affirmative. Prob. assertio I. Auctoritate Scripturæ, quæ eodem modo tri-

Unitis sibi per unionem hypostaticam partibus integralibus naturæ humanæ.

tribuit Verbo sanguinem, quo carnem. Ad Hebr. II. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse* (Filius Dei) *similiter participavit eisdem.* Et sanguini Christi salutem nostram adscribit. I. Joan. I. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* I. Petri I. *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Auctoritate PP. S. Greg. Nazianz. Orat. L. ait: *Assumpsit corpus ex carne, ossibus & sanguine constans.* S. Cyril. in Epistola, quam Ephesinum & Chalcedonense Act. I. approbarunt, verba illa Joan. I. *Verbum caro factum est*, ita interpretatur: *Id est, carnem & sanguinem assumpsit.* S. Joan. Damascenus Lib. III. de Fide Orthod. Cap. II. *Neque enim Deus Verbum quidquam eorum, quæ cum initio fingeret, naturæ nostræ inseruit, prætermisit, sed omnia assumpsit, hoc est, corpus, animam intelligentem & ratione præditam, eorumque proprietates.* Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*, de pœnit. & remiss. docet unam guttam Christi sanguinis, propter unionem cum divino Verbo, sufficisse ad redemptionem generis humani. III. Ratione Theologica. Verbum Divinum proxime ac immediate assumpsit naturam humanam, non mutilam & mancam, sed integram ac perfectam, ac proinde omnes partes, quæ ad integritatem humanæ naturæ pertinent, quales omnium judicio censentur sanguis, venæ, arteriæ &c. Atque id evidenter supponit Tridentinum, dum Sess. XIII. Cap. III. ait, vi naturalis connexionis & concomitantiæ corpus Christi esse sub speciebus vini, & sanguinem sub speciebus panis. Neque propterea sequitur, si sanguis est pars corporis, eum vi verborum poni sub speciebus panis Eucharistici, aut Christum assumpsisse naturam irrationalem, nempe sanguinis non viventis. Nam vi verborum sub speciebus panis solæ partes solidæ corporis ponuntur, per concomitantiam vero liquidæ, cum anima & Divinitate: Neque proprie loquendo Christus assumpsit naturam irrationalem,

lem, quia sanguis non vivens pertinet ad integritatem illius naturæ, quam integram & perfectam Christus assumpsit.

188. Quæres V. An unio hypostatica Verbum inter & humanam naturam sit indissolubilis? R. contra Origenem, & Marcellum Ancyranum qui docuerunt naturam humanam aliquando a Verbo dimissum iri, affirmative. Prob. assertio I. Auctoritate Scripturarum. Joan. XII. dicitur: *Christus manet in æternum.* Ad Hebr. XIII. v. 8. *Jesus Christus heri & hodie: ipse & in sæcula.* Ad Hebr. VII. v. 24. *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Psal. CIX. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Lucæ I. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum.* Atqui si aliquando separanda foret Divinitas ab humanitate, Christus non foret Sacerdos in æternum, & Regnum Christi finem haberet, quia vox hæc *Christus* præter naturam divinam importat etiam naturam humanam illi hypostatice unitam, ac subsistentem subsistentia Verbi. II. Auctoritate Conciliorum. CPolitanum I. Nicæno Symbolo ea verba addidit: *Cujus regni* (nimirum Christi) *non erit finis*, quibus Marcelli Ancyrani error profligatur. Chalcedonense Actione V. in professione fidei dicit, utramque naturam, divinam & humanam, in unam personam concurrisse *indivisibiliter & inseparabiliter.* III. Auctoritate Patrum, qui docent etiam triduo mortis Christi Divinitatem neque a corpore, neque ab anima fuisse separatam. S. Athanas. Lib. de salutari adventu Jesu Christi ait: *Igitur, si Verbum recessit a corpore, & ita mortificatio facta est, contra Deum prævaluerunt Judæi, hoc ipso, quod indissolubilem mistionem solverunt.* S. Greg. Nyss. Lib. I. contra Eunomium: *Divinitatem porro & ante carnem, & in carne, & post passionem eodem modo se habere semper; ut quod erat natura, perpetuo sit, & in æternum maneat, quæ in humanæ naturæ perpessione pro nobis dispensationem implevit, cum ad tempus animam a* *Nexu indissolubili.*

corpore disjunxit: Adeo ut ab neutro eorum, quibuscum mista fuerat, sejuncta fuerit; & rursus dissociata conjunxerit. S. Aug. Epist. CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum: *Sicut ergo potuit recte dici Dominus gloriæ crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret: ita recte dici potuit, Hodie mecum eris in paradiso, cum juxta humanam humilitatem, per carnem in sepulcro, per animam in inferno illo die futurus esset.* S. Leo M. Serm. VIII. de Nativit. *Utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disjunctum; quidquid autem est hominis, non sit a Deitate divisum.* Et Serm. XVII. de Passione: *In tantam unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* S. Fulgentius Lib. III. ad Trasamundum, Cap. XVI. *Ab ipso namque conceptionis Virginalis exordio sic in Christo personalis unitas mansit, & utriusque naturæ inconfusa veritas perduravit: ut nec homo a Deo divelli, nec Deus a suscepto posset homine separari: nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutaret. Et licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura; Divinitas tamen Christi nec ab anima, nec a carne posset separari suscepta.* S. Joan. Damasc. Lib. III. de Fide Orthod. Cap. XXVII. *Quamobrem etsi mortuus est tamquam homo, & sancta illius anima ab illibato divisa est: at Divinitas ab utroque minime separata remansit, anima videlicet & corpore. -- Quamvis enim secundum locum corpus ab anima separatum fuerat; secundum hypostasin tamen per Verbum erat unitum.* S. Bernardus Lib. V. de Consideratione, Cap. IX. *Quid Divinitate potentius? Inde est, quod nec morte incidente ullatenus intercidi hæc unitas potuit, etsi carne & anima ab invicem separatis.* Illud tamen minime negandum, Patres aliquos, nempe S. Hilarium Cap. XXXIII. in Matth. S. Epiphanium Hær. LXIX. & XX. S. Ambrosium Lib. X. in Lucam, Leporium in libello emendationis, cui S. Augustinus, & alii Africæ Episcopi subscripserunt, item Vitalem

&

& Constantium Hispanos in Epistola ad Capreolum Carthaginensem Episcopum, innuere videri, Divinitatem triduo mortis Christi a corpore recessisse. Sed vel mitius interpretandi sunt, nempe de subtractione aliqua peculiaris protectionis non de solutione unionis; vel omnino hac in re deserendi sunt.

189. Cæterum axioma illud Theologicum e communi Patrum doctrina desumptum, *Quod semel Verbum assumpsit, numquam dimisit*, intelligi non debet de minimis quibusque particulis. Nam I. Verbum non mansit unitum illis particulis carnis & sanguinis, quæ per continuam nutritionem & calorem resolvebantur ex corpore Christi, & numquam deinceps erant corpori conjungendæ. Illæ enim statim a Verbo fuerunt dimissæ, quia amittebant omnem ordinem ad Christi humanitatem, cujus neque de præsenti amplius, neque deinceps futuræ essent partes. II. Idem eadem de causa dicendum foret, siquid veri ac proprii sanguinis in passione effusi Christus in terris reliquisset ad solatium Fidelium. Nihilominus & iis particulis recte exhiberetur cultus hyperduliæ respectivus, similis illi, qui Cruci Dominicæ defertur.

Argumenta contraria refutantur.

190. Objic. I. Auctoritas Scripturarum. Paulus I. ad Cor. XV. v. 27. ait: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis.* Ex quo ita arguebant Valentiniani. Primus homo juxta B. Paulum erat de terra terrenus, quia corpus habuit de terra plasmatum. Ergo secundus homo erat homo cœlestis, quia corpus cœleste de cœlo attulit. R. N. A. Apostolus non opponit primum hominem secundo homini secundum originem carnis; sed secundum conditionem vitæ, quæ in Christo tota fuit cœlestis ac divina, in Adamo autem magna ex parte terrena: ideoque Corinthios suos hortatur Apostolus, ut cœlestem Christi vitam imitentur: *Igitur sicut portavimus* (ante baptismum) *imaginem terreni, portemus* (postea-

Catholico huic dogmati neque Scriptura.

(posteaquam baptismum suscepimus) *& imaginem cœleſtis.* Atqui portare imaginem cœlestis non poſsumus aptando nobis cœleste corpus, sed vitam Christi cœlestem imitando. Ergo certum est secundum hominem *cœleſtem* a Paulo vocari non ratione corporis, sed vitæ cœlestis.

191. Dices I. Matth. I. Christus dicitur natus in Maria, non ex Maria. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Ergo corpus Christi non fuit formatum ex substantia Matris. R. Eamdem eſse particulæ *in* & *ex* potestatem, & utrumque affirmari a D. Matthæo eodem capite; versu enim 16. dicitur: *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* v. 21. *Pariet autem Filium.* v. 25. *Peperit Filium ſuum primogenitum.* Lucæ I. v. 35. *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

192. Dices II. Joan. VI. v. 41. ait Christus: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* Ergo corpus suum de cœlo attulit. P. C. Christus de cœlo descendit vel ut Deus, vel ut homo. Atqui ut Deus descendere non potuit. Ergo ut homo. P. min. Descendere dicit motum localem, seu transitum rei a loco in quo erat, ad locum in quo antea non erat, Atqui Deus sic moveri non potest, cum omnia immensitate sua impleat. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* C. M. N. m. Ad hujus *probat.* N. M. Descendere hic non dicit motum localem; sed hoc tantum, quod natura divina novo quodam modo eſse cœperit in utero Virginis, aſsumendo scilicet, atque intime copulando sibi per unionem hypostaticam naturam humanam in unitate personæ. Verbum itaque eo modo descendit de cœlo, quo descendere dicitur Spiritus Sanctus, quando novo modo eſse incipit in creaturis per effectum temporaneum.

193. Dices III. Christus ipse, cum nobiscum in terris versaretur, satis indicavit, originem corporis sui Mariæ se non debere. Ergo. P. A. I. Mariam numquam appellavit Matrem suam. II. In Cana Galileæ

lileæ eam vocavit mulierem. Joan. II. v. 4. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Joan. XIX. v. 26. *Mulier, ecce filius tuus.* III. Matrem & consanguineos abnegavit Matth. XII. v. 48. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? -- Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & Mater eſt.* R. N. A. Ad I. R. Quotiescunque Christus se Filium hominis profeſsus est, Mariam implicite vocavit suam Matrem. An vero conceptis verbis eam vocaverit Matrem suam, Evangelia quidem id non produnt; at neque inficiantur. Illud omnino certum est, eam a S. Joanne Matrem Christi diserte appellari Cap. XIX. v. 25. *Stabant autem juxta Crucem Jeſu Mater ejus.* Et v. 26. *Cum vidiſſet ergo Jeſus Matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ &c.* Ad II. N. C. In Cruce vocavit mulierem, ne Matrem vocando, augeret illius dolorem. In Cana Galileæ dixit: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* non ut Matrem suam reprehenderet; sed ut ostenderet nihil sibi & Matri in eo negotio commune eſse: virtutem quippe patrandi miracula, non a Matre per temporalem, sed a Deo Patre per æternam generationem acceperat. Ad III. Verbis illis Matrem & consanguineos non abnegare, sed declarare tantum voluit, eos, qui legem Dei observant, potiori apud se loco eſse quam consanguineos ipsamque Matrem, si solus maternitatis titulus in ea spectetur.

194. Objic. II. Ratio. Si corpus Christi formatum fuiſset ex substantia Virginis, Christus deterioris fuiſset conditionis quam Angeli, quia habuiſset terrenum corpus. Atqui id dici nequit. Ergo. R. D. M. Christus qua Deus deterioris fuiſset conditionis quam Angeli, N. M. Qua homo, & ratione terreni corporis aſsumpti, C. M. Et sic distincta minore, N. C. Quamvis Christus ratione solius humanitatis se sola spectatæ deterioris sit conditionis quam Angeli; nihilominus non modo qua Deus, sed etiam qua homo, propter ineffabilem illam cum natura divina unionem superior omnibus Angelis effectus est, Rex & caput *Neque ratio adverſatur.*

caput hominum & Angelorum, juxta illud Pauli ad Ephes. I. *Omnia subjecit sub pedibus ejus.* Ad Philippenses II. *In nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Ad Coloss. II. *Caput omnis Principatus & potestatis.*

CONTROVERSIA VI.

AN CHRISTUS NATUS SIT EX MARIA SEMPER VIRGINE?

CONTRA JUDÆOS, CERINTHUM, EBIONEM, SOCINIANOS, JOVINIANUM, HELVIDIUM.

Errores Judæorum. *Socinianorum.* 195. Præter Judæos, veteres quidam hæretici solo nomine Christiani, Cerinthus, Ebion, Photinus, quibus ævo nostro accesserunt Sociniani, Christum communi cæterorum hominum more ex carnali Josephi cum Maria commercio procreatum impie docuerunt. Quare isti Mariam ne quidem ante partum Virginem agnoscunt, utpote cujus integritas per ipsam Christi *Jovinianus.* conceptionem fuerit delibata. Sæculo IV. Jovinianus Monachus, ob laxiorem doctrinam a S. Hieronymo Christianorum Epicurus merito vocatus, ex Mediolanensi monasterio erumpens præter alios errores docuit, Matrem Dei, licet in conceptione Christi Virgo permanserit, in partu tamen, quando Christum in lucem edidit, integritatem amisisse. *Virgo concepit, non Virgo peperit,* inquiebat. Causam errori suo prætexuit, ne Christum cum Manichæis phantasma crederemus, si Matris incorrupta Virginitate diceremus exortum. Hunc hæresis a Pammachio Senatore, S. Paulæ genero, accusatum convictumque cum aliis octo dementiæ suæ sectatoribus, Auxentio, Geniale, Germinatore, Felice, Plotino, Martiano, Januario & Ingenioso, Siricius Papa damnavit, & Ecclesia ejecit coacto Romæ Concilio A. 390. e quo Synodicam misit ad Mediolanensem Ecclesiam, quæ inter Ambrosianas est VI. Qua accepta Ambrosius collecta Synodo, & illorum probata damnatione, epistolam vicissim

ad

ad Syricium Synodicam rescripsit. Scripserunt contra Joviniani errores S. Hier. duplicem librum, S. Aug. librum de Bono conjugali, & S. Ambr. Epistolam XXVI. ad Vercellensem Ecclesiam contra Joviniani discipulos Sarmationem & Barbatianum, qui Magistri sui errores Vercellis spargebant. Sed quos Ecclesiæ auctoritas, ac Patrum scripta corrigere non potuerunt, Theodosius M. Imp. legibus suis insectatus est: illius enim sectæ primarios e Monasteriis ejectos, habitu tamen monastico vagantes, ab urbibus recedere, & ad deserta loca proficisci jussit, Lege I. de Monachis, Cod. Theod. Honorius vero Jovinianum plumbatis cæsum in Boam Dalmatiæ insulam deportari imperavit A. 412. ut constat ex ejus Rescripto ad Felicem Præf. Præt. Lege LIII. de Hæret. in Codice Theodosiano. Hæresim hanc jam dudum præformaverat Tertul. Lib. de Carne Christi, Cap. XXIII. scribens: *Peperit, quæ ex sua carne: & non peperit, quæ non ex viri semine. Et Virgo quantum a viro: non virgo quantum a partu.* In eodem præterea Libro Cap. IV. & XX. Christum dicit communi cum cæteris lege, ac similibus in sordibus in utero nutritum, & eadem inquinatione naturalium Virginis in lucem editum fuisse. Jovinianо & Tertulliano adhæserunt nostrorum temporum Novatores aliqui, Petrus Vermilius sive Martyr, Bullingerus, & Beza, qui cum Calvinianis idem Matri Domini, quod aliis mulieribus usu venisse contendunt, quæ fœtum nisi utero aperto parere non possunt; ajuntque ad hoc, ut Virgo parere dicatur, sufficere, quod virum in conceptione Filii passa non fuerit, quamvis aperto utero Filium genuerit. *Calvinianorum.*

196. Verum non defuerunt doctrinæ lolia etiam inter illos, qui Virginitatem Beatæ Mariæ in partu propugnarunt. Sæculo VIII. quidam, quos refellit S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XV. fabulati sunt, Christum e latere Beatæ Mariæ per miraculum aperto prodiisse. At Lucæ II. dicitur: *Peperit Filium suum primogenitum.* Vere autem *Aliorumque.*

non

non peperiſset, si Christum per latus in lucem emiſiſset: sicut vere non manducaret, qui cibum per latus in ventriculum trajiceret. Ergo B. Maria fœtum via naturali in lucem edidit, sed modo vires naturæ excedente, salva nimirum Matris integritate. Sæculo XIV. Joannes Mayronus docuit Christum in utero Virginis eo modo fuiſse, quo est in Eucharistia. Verum si corpus Christi in utero Virginis fuiſset inextensum localiter, nec nutriri, nec augeri potuiſset, neque aliqua graviditatis signa in Virgine apparuiſsent. Atqui Evangelium narrat hæc signa apparuiſse, ex quibus orta fuit fluctuatio S. Josephi, qui *voluit occulte dimittere eam.* Matth. I. v. 19.

Helvidii. 197. Sæculo IV. Helvidius, Auxentii Ariani discipulus, homo rusticanus, & vix primis imbutus litteris, quem luculento Opere confutavit S. Hieronymus, Sanctiſsimæ Deiparæ perpetuam Virginitatem edito impiiſsimo libello impugnavit, effutiens, ipsam postquam Christum ex Spiritu Sancto concepit, & Virgo peperit, alios ex Josepho conjuge liberos procreaſse, qui Fratres Domini in Evangelio vocarentur. Eumdem errorem eodem sæculo docuit Bonosus Sardicensis Episcopus. Quamobrem ab Anysio Theſsalonicensi, & cæteris Jllyrici Episcopis, quibus fuerat a Capuana Synodo A. 389. causæ illius cognitio demandata, damnatus est. Ejus errorem damnavit etiam S. Siricius Papa, ut constat ex ejus Epistola ad Anysium, & cæteros Episcopos per Jllyricum constitutos. *Sane*, inquit, *non poßumus negare de Mariæ filiis jure reprehenſum; meritoque veſtram Sanctitatem abhorruiſſe, quod ex eodem utero virginali, ex quo ſecundum carnem Chriſtus natus eſt, alius partus effuſus ſit. Neque enim elegißet Dominus Jeſus naſci per Virginem, ſi eam judicaßet tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam Aulam Regis æterni, concubitus humani ſemine coinquinaret.*

Apollinaris. 198. De Apollinaristis testatur S. Epiphanius Hær. LXXVII. & initio Hær. LXXVIII. quæ est Antidicomarianitarum, Apollinarem ipsum, vel ejus diſcipulos

pulos sensisse, quod Beata Maria, postquam peperit Christum, cum Josepho conjuge suo consuetudinem habuerit, & liberos ediderit. Nec est absimile vero Apollinarem hujusmodi aliquid effutiisse; ut erat intemperantis ac profusi sermonis, & in opinando mutabilis ac præceps: tum qui Sanctissimæ Virginis dignitati plurimum, immo totum detrahebat, si negavit, Verbum ex illius utero carnem sumpsisse. Ejusdem erroris insimulari solet etiam Tertul. qui Lib. de Monogamia, Cap. VIII. affirmare ausus est: *Et Christum quidem Virgo enixa est, semel nuptura post partum, ut uterque titulus Sanctitatis in Christi censu dispungeretur, per matrem, & Virginem, & univiram.* Sed ex illo loco non satis colligitur, Tertullianum nefariam illam opinionem secutum esse; quia verba illa, *semel nuptura post partum* ita interpretari possumus, ut *nubere* vocet *uterum resignari* & virginitatis, ut appellant, sigillum aperiri. Sic enim Lib. de Carne Christi, Cap. XXIII. *Etsi Virgo conceperit, in partu nupsisse* illam asserit. Extinctum Helvidii errorem a Novatoribus quibusdam Sæc. XVI. suscitatum fuisse testatur Venerab. Petrus Canisius Libro II. de Beata Maria.

199. Conclusio I. Dogmatica. Beata Maria Virgo fuit ante partum, illæsaque prorsus virginitate Christum de Spiritu Sancto concepit. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Rasin Rege Syriæ, & Phacee Rege Israel Hierosolymam obsidentibus, cum Achaz Rex Juda signum a Deo petere detrectaret, Isaias Cap. VII. v. 13. dixit: *Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc vaticinium in Christo impletum fuisse diserte testatur S. Matth. Cap. I. *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*

B. Maria Virgo fuit ante partum.

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. Prob. II. Auctoritate Patrum, qui Cerinthum & Ebionem confutarunt. S. Irenæi Lib. III. adv. Hær. Cap. XXI. Tertul. Lib. de Carne Christi, Cap. XVIII. Eusebii Lib. III. Hist. Eccl. Cap. XXI. S. Epiphanii Hær. XXVIII. & XXX. Theodoreti Lib. II. Hæret. Fabul. Cap. I. SS. Philastrii Brixiensis, & S. Aug. in Libris de Hær. Prob. III. Auctoritate Symbolorum, Apostolici: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Constantinopolitani: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* Prob. IV. Auctoritate Conciliorum, Ephesini præcipue & Chalcedonensis, de quibus paulo inferius dicemus. Quod vero Beata Maria, antequam Christum conciperet, Virgo fuerit, patet ex Cap. I. Lucæ. *Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam viro.* Et ex verbis Mariæ ad Angelum v. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

In partu. 200. Conclusio II. Dogmatica. Beata Maria Virgo fuit in partu. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Isaiæ VII. dicitur: *Ecce Virgo concipiet & pariet.* S. Matth. vero Cap. I. utramque oraculi partem in Maria impletam fuisse docet. Ergo illæsa Virginitate Filium suum peperit. Prob. II. selectissimis Patrum Græcorum ac Latinorum testimoniis. S. Greg. Nyss. in Orat. de Nat. Christi ait: *Puer pannis involutus, & in præsepio requiescens: & illa post partum Virgo incorrupta mater fovet filium.* S. Ephræm. in Orat. de Margarita pretiosa: *Non perdidit sigillum*

natura

natura Virginis Chriſto concepto: & ob id neque eo genito reſerata eſt, ut partum in lucem ederet. Neque vero rupta eſt, dum gigneret, nam neque rupta eſt, dum conciperet. - - Spiritus erat, qui puerperam thori maritalis neſciam in partu adjuvabat; quapropter neque quod natum eſt, ſigillum Virginitatis commovit: neque Virgo laborem ac dolorem in partu ſenſit. S. Isidorus Pelusiota Lib. I. Epist. CDLXXXIV. *Quemadmodum Virgine manente natura, partus Domini contigit: nec incarnati Verbi progreſſus ullam caſtitati deceſſionem attulit: ſic obſignato ſepulcro, facta reſurrectio eſt: quippe Dei facti hominis utraque propria fuerunt.* S. Ambr. Epist. VII. ad Siricium: *Hæc eſt Virgo, quæ in utero concepit, Virgoque peperit Filium. Sic enim ſcriptum eſt: Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet Filium. Non enim concepturam tantummodo Virginem, ſed & parituram Virginem dixit.* Idem Lib. de Instit. Virg. Cap. VII. *Quæ eſt hæc porta, niſi Maria? ideo clauſa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Chriſtus intravit in hunc mundum, quando virginali fuſus eſt partu, & genitalia virginitatis clauſtra non ſolvit. Manſit intemeratum ſeptum pudoris, & inviolata integritatis duravere ſignacula, cum exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus ſuſtinere non poſſet.* S. Aug. Serm. XXI. de Tempore. *Virgo genuit, quia Virgo concepit. Inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: & ſine corruptione gravida, & in partu Virgo puerpera.* Et Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum: *Ipſa virtus per inviolatæ matris virginea viſcera membra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia membra juvenis introduxit. Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* S. Leo Serm. II. de Nativit. Cap. II. *Nova autem nativitate genitus eſt, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, ſine paternæ carnis concupiſcentia, ſine maternæ integritatis injuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui & in ſe haberet humanæ*

manæ ſubſtantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta neſciret. S. Petrus Chryſologus Serm. CXLII. de Annunt. *Qui egreditur & ingreditur; & introitus ſui & exitus nulla veſtigia relinquit, divinus habitator eſt, non humanus: & qui conceptu ſuo Virginem ſervat, & ortu ſuo relinquit Virginem, non terrenus homo eſt, ſed cœleſtis.* S. Fulgentius Lib. I. de Veritate Prædeſtinationis, Cap. II. *Dominus namque verus veram ex Virgine ſuſcipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis ſumpſit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat, ut integritatem virginitatis Creator humanæ carnis Dominus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ ſuſceptor Dominus, quod fecerat redempturus, virginitatem carni, de qua naſcebatur, auferret.* S. Hormisdas Epist. LXXIX. ad Justinum Imperat. *Ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret Filius hominis, & naſceretur ex tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, & Virginitatem Matris Deitatis virtute non ſolvens. Dignum plane Deo naſcente myſterium, ut ſervaret partum ſine corruptione, qui conceptum fecit eſſe ſine ſemine.* Pro eadem doctrina pugnant Proclus Constantinopolitanus Orat. I. in Deiparam. Theodotus Ancyranus Hom. in Nativit. Dom. Theodoretus in Dialogo II. Sophronius Jerosol. in Epistola Synodica, quæ probata est in Constantinopolitano III. Act. XI. Hesychius Hom. II. de B. Virg. Andreas Jerosol. in Orat. de Salutat. Angel. S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthod. Cap. XV. S. Hier. in Lib. contra Jovinianum. S. Paulinus Epist. XVI. S. Gaudentius Tract. IX. Gennadius Lib. de Eccles. Dogmat. Cap. LXIX. Pelagius I. Papa in Confeſs. Fidei Epist. XVI. ad Childebertum Regem subjecta. S. Ildephonsus Toletanus Lib. de illibata Virginitate S. Mariæ. S. Bernardus Serm. XXXIII. in Cantica. S. Petrus Damiani Opusculo XXXVI. de Omnipotentia Dei. Vide Petavium de Incarnatione, Lib. XIV. Cap. VI.

201. Conclusio III. Dogmatica. Beata Maria semper fuit Virgo, etiam post partum. Prob. I. Auctoritate Patrum. S. Ambr. Lib. de Institut. Virginis, Cap. VI. ait: *An vero Dominus Jesus eam sibi matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare cœlestem, quasi eam cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam? Cujus exemplo exteræ ad integritatis studium provocantur, ipsa ab hujusmodi, quod per se cæteris propositum foret, munere deviaret? -- Nec fieri poterat, ut quæ Deum portaverat, portandam hominem arbitraretur. Nec Joseph vir justus in hanc proruisset amentiam, ut Matri Domini corporeo concubitu misceretur.* S. Hier. Lib. de perpetua Virginitate B. M. Helvidium ita alloquitur: *Tu vero templum Dominici corporis succendisti: Tu contaminasti Sacrarium Spiritus Sancti, ex quo vis quadrijugam fratrum, & sororum processisse congeriem. -- Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus,* S. Epiphanius Hær. LXXVIII. contra Antidicomarianitas perpetuam B. Mariæ Virginitatem probat ex eo, quod ab omnibus Christianis Virgo per antonomasiam vocetur: *Quis ullo tempore unquam extitit, qui Sanctæ Mariæ nomen appellare auderet, & non rogatus subinde Virginis vocabulum adjiceret? -- Sic Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Hæc enim perpetuo incorrupta permansit.* Atque etiam ex eo, quod Christus in cruce moribundus non alteri quam Joanni Matrem commendarit. *O furor cœcus, & in proprium exitium mens vesana! Dicis ad crucem Domini matrem ejus fuisse præsentem: dicis Joanni discipulo ob viduitatem & solitudinem commendatam: quasi juxta te non haberet quatuor filios, & innumeras filias quarum consortio frueretur.* Gennadius Lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, Cap. LXIX. *Integra fide credendum est, Beatam Mariam Dei Christi matrem, & Virginem concepisse, & Virginem genuisse, & post partum Virginem permansisse.* Denique Patres eorum opinionem, qui B. Mariæ plures filios adscribunt,

Post partum, semper intemerata.

bunt, detestantur. Origenes Hom. VII. in Lucam vocat insanam opinionem. S. Ambr. Lib. de Instit. Virg. Cap. V. sacrilegium. S. Epiphanius Hær. LXXVIII. blasphemiam. S. Siricius Epist. V. ad Theophilum & Anysium, perfidiam Judaicam. S. Basilius Hom. XXV. de Nativitate Christi, intolerabilem auribus amantium Christum. S. Hier. Lib. contra Helvidium, impiam, & rabiosi hominis. Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Chalcedonenses Patres in sermone prosphonetico ad Marcianum Imperatorem aſserunt, Deum adversus hostis in Ecclesiam conatus, *Patres excitaſſe velut luminaria in errore degentibus: qui fidei intelligentiam omnibus expoſuerunt, & Incarnationis beneficium accurate prædicarunt: quemadmodum ab initio illius ex utero perfectum ſit myſterium; quomodo ſit Dei Genitrix, propter eum, qui Virginitatem ipſi etiam poſt conceptum largitus eſt, atque ut Deo dignum erat, uterum obſignavit, ut nullius injuriæ deinde pateret.* Ephesinum & Chalcedonense Mariam vocant *ſemper Virginem*, CPolitanum II. *Semper Virginem immaculatam.* CPolitanum III. *Mariæ Virginitas ante partum, in partu, & poſt partum intemerabilis.*

Argumenta contraria refutantur.

Miſera Socinianorum effugia.

202. Objic. I. contra 1mam Conclusionem, Infirmitas argumenti. Vaticinium illud Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet &c.* intelligendum est de uxore Regis Achaz, quæ Ezechiam Filium propediem erat paritura. Ergo. P. A. Ortus Meſsiæ e Virgine, qui post VII. sæcula erat futurus, non potuit dari in signum obsidionis mox solvendæ. Ergo in signum datus eſt ortus Ezechiæ. R. N. A. Quando Ezechias Patri ſucceſsit, natus erat annos XXV; Achaz vero ejus pater regnavit annis XVI. ut dicitur Lib. IV. Regum Cap. XVI. v. 2. Et Cap. XVIII. v. 1. Ergo quamvis Isaias oraculum istud edidiſset primo anno Regis Achaz, Ezechias jam tunc novem annos ætatis suæ numerabat. Ad *prob.* R. I. N. A. Non omne signum con-

confirmativum debet semper præcedere tempore & complemento executionem actualem promiſsionis, cujus gratia offertur. Sic Exodi III. dicitur: *Hoc habebis ſignum, quod miſerim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Quod ſignum impletum non est, nisi post eductionem populi. R. II. Isaias ut ostenderet Deum posse ac velle liberare urbem de manibus Regis Syriæ, argumentum ducit a majori ad minus: Si Deus nobis aliquando daturus est quod majus, quod difficilius, quod stupendum prorsus & inauditum est, ut Virgo concipiat & pariat Emmanuelem, de cujus promiſsionis complemento nemo vestrum dubitat: quanto magis Deus vobis daturus est quod minus est ac facilius, nimirum ut liberemini e manibus duorum Regum, qui modo vos vexant? Quod quidem argumentum eo firmius erat, quod Meſsias e domo David nasciturus eſset. Illa igitur exscindenda non erat a duobus illis Regibus. Porro Isaias vaticinium illud non ad præsentes tantum Judæos, sed ad omnem Davidis domum retulit. *Audite ergo domus David.* Neque absurdum fuiſset, si Isaias Judæis, ad quos loquebatur, signum dediſset, quod ipsorum dumtaxat posteris eſset actu exhibendum. Sic Gen. XIII. Abrahamo promiſsa fuit terra Chanaan, quæ tamen promiſsio longo post tempore legitur adimpleta. Et Gen. XXVII. Jacobo promiſsum est, futurum illum Dominum fratrum suorum: & tamen Esau ipse numquam subjectus fuit Jacobo, sed Idumæi posteri Esau, quando tempore Davidis subacti fuerunt.

203. Dices I. Christus neque vocatus fuit Emmanuel, neque butyro & melle pastus legitur, neque juxta Catholicos ignorantiæ capax erat; quæ omnia tamen l. c. Isaias affirmat. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Ergo vaticinium Isaiæ aptari nequit Christo. R. Nomina Emmanuelis & Jesu æquipollentia eſse, non sono, sed sensu; cum enim Christus

verus

verus fuerit Deus, vere nobiscum erat Deus, quod interpretatur Emmanuel. Neque τὸ *vocari* in Scriptura semper refertur ad appellationem exteriorem nominis, sed interdum ad efficientiam: interdum ad applicationem rei per nomen designatæ: quo sensu, hoc vel illo nomine vocandus dicitur, cui hoc vel illud nomen optimo jure competit, ac illius significatum implet. Verba illa, *butyrum & mel comedet*, nil aliud innuunt, nisi puerum illum etsi admirabili ac supernaturali modo conceptum & natum, consueto tamen more educandum, cibisque communibus nutriendum, quales erant inter Judæos butyrum & mel, quæ solebant infantibus exhiberi præcipue in Judæa, quæ in Scripturis dicitur fluere lacte & melle. Posteriora verba, *Ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, non innuunt ignorantiam in puero illo, quæ accedente rationis usu paulatim fugetur, sicut in vulgo puerorum: sed significant auferenda esse Samariæ Damascique spolia, antequam eam attigerit ætatem, qua pueri boni eligendi, & mali reprobandi sunt capaces; antequam & ipse exterius indicia præbeat, se bonum inter & malum discernere. Quamvis enim Christus rerum omnium perfectissimam scientiam habuerit etiam qua homo a primo conceptionis suæ momento; eam tamen a primis annis non demonstrabat, sed paulatim, prout crescebat ætate, ne verus homo non videretur.

204. Dices II. Oraculum illud non referendum est ad Christum, sed ad filium ipsius Isaiæ, quem paulo post ex Prophetissa conjuge sua suscepit. Ergo. R. N. A. Nam I. Isaias filium illum suscepit ex Prophetissa uxore sua, quæ certe tunc non erat Virgo. Atqui Oraculum loquitur de Filio Virginis. II. Ipsi etiam Judæi, quamvis nomine *Halma* Virginem denotari inficientur, fatentur tamen intelligi fœminam ætate virentem, qualis tunc certe non erat uxor Isaiæ. III. Isaias vaticinatus est Samariam devastandam, antequam natus ex Virgine perveniret ad annos discretionis, Cap. VIII. v. 4. *Antequam sciat*

puer

puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ. Atqui regnum Samariæ eversum fuit anno VI. regni Ezechiæ, ut habetur Lib. IV. Reg. Cap. XVIII. quo filius Isaiæ decimum sextum, ad minimum, annum attigerat, siquidem anno IV. vel V. Regni Achaz hoc vaticinium editum fuerit.

205. Dices III. Quamvis illa verba intelligenda forent de Matre Meſsiæ, non tamen evincunt, eam illæsa virginitate concepiſse. Ergo. P. A. In textu Hebraico legitur, *Ecce Halma concipiet:* quæ vox denotat adolescentulam, sive dein Virgo sit, sive virum cognoverit. Atque ita vertunt Symmachus, Aquila, & Theodotion: *Ecce adoleſcentula concipiet, & pariet Filium.* R. N. A. Ad *prob.* N. A. Vox *Halma* adolescentulam denotat, non qualemcumque, sed Virginem; derivatur enim a verbo *Halam*, quod est abscondere, eamque significat, quæ numquam virorum patuit aspectui, & magna parentum diligentia custoditur. Hinc S. Hieronymus Lib. Commentariorum in Isaiam ad Cap. VII. fidenter Judæos provocat, ut ostendant in Scripturis alicubi positum *Halma*, ubi adolescentulam tantum, & non virginem sonet adolescentulam. Præterea Isaias ut Judæos ad spem futuræ liberationis excitaret, nasciturum ex Virgine filium vaticinatus est, tamquam inauditum & obstupescendum prodigium: At vero nullum omnino prodigium est, sed res communi usu trita, quod adolescentula quæ antea erat virgo, postmodum nuptui tradita, concipiat & pariat. Symmachum Ebionitam, Aquilam, & Theodotionem, prius Christianos, dein Judæorum proselytos non moramur; constat enim eos Scripturas interpretatos ese, ut Christianorum interpretationes subverterent, quorum castra deseruerant. Fidem malam Theodotioni exprobrat S. Irenæus apud Eusebium Hist. Eccl. Lib. V. Cap. VIII. S. Chrys. Hom. V. in Caput I. Matth. S. Hier. Præfat. in Job. De Aquila Pontico refert S. Epiphanius Lib. de Mens. & Ponder. Cap. XV.

Ad interpretandum ſeſe contulit, non ſincera animi inductione, ſed ut quædam Scripturæ loca depravaret, adverſus LXX. Interpretes impetum omnem conatumque dirigens, atque ut expreſſa ſacris litteris de Chriſto teſtimonia aliter ederet.

206. Dices IV. Quamvis ortus Meſsiæ nihil habuerit singulare, & diversum a communi conditione hominum, ipse tamen adventus Meſsiæ erat obstupescendum prodigium, quod nempe Dei Filius humanam non eſset adspernaturus naturam. Ergo ex eo quod Isaias rem miram & insolitam vaticinatus est, legitime inferri nequit, prædixiſse Meſsiam concipiendum, & nasciturum ex Virgine. R. C. A. N. C. Adventus Meſsiæ, quantumvis obstupescendus, probe cognitus erat Judæis omnibus, neque ad hunc cognoscendum Isaiæ vaticinio indigebant: At vero Isaias rem insolitam & ante hac inauditam, quam Judæi ignoraverant, & quam ex Scripturis hactenus non dixerant, ad fidem suis dictis aſserendam prædixit, nempe ortum Meſsiæ, non qualemcunque, sed ex Virgine.

Et argumenta ex Scriptura.

207. Objic. II. Auctoritas Scripturarum. Joseph diserte dicitur *Pater* Christi Lucæ II. v. 33. *Erat Pater ejus & Mater mirantes.* Et v. 48. *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce, pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* II. Maria non tantum a Christo, sed etiam ab Apostolo ad Galat. IV. *mulier* vocatur: *Factus ex muliere.* At mulier dicitur illa, quæ viro est cognita. Ergo. III. Matth. I. Christum fuiſse Filium Abrahæ & David ex eo probat, quia Joseph ex David descendit. Atqui hoc argumentum nullius roboris foret, siquidem Joseph verus Christi Pater non fuiſset. Ergo. R. Ad I. S. Josephum Patrem Christi appellari, non quod vere Pater illius fuerit, sed quod Pater haberetur secundum communem persuasionem. Hinc Lucæ III. v. 23. dicitur: *Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, Filius Joſeph.* Ab ipsa autem Dei Matre appellatur S. Josephus Pater Christi, quia Christus vere natus

est

est ex Maria, quam inter & Josephum verum dabatur matrimonium, licet numquam consummatum. Ad II. N. m. *Mulier* Hebræis erat quæcunque fœmina, sive virgo, sive corrupta. Sic Eva, antequam cognosceretur ab Adamo, vocatur *mulier*. Gen. III. v. 4. *Dixit autem ſerpens ad mulierem.* v. 6. *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.* v. 12. *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno.* Ad III. R. C. M. N. m. Nam I. apud Hebræos generationum catalogus texi solebat non per progenitores fœminarum, sed virorum, quem morem secutus est S. Matthæus. At vero S. Lucas genealogiam Christi texuit per Mariam. II. Hoc ipso, quod S. Matthæus ostenderit S. Josephum ex stirpe David progenitum esse, ostendit etiam Mariam ex eadem stirpe descendere; cautum enim erat apud Hebræos, ne, pro eo saltem casu, quo filia succedebat in hæreditatem Patris absque prole mascula decedentis, alteri viro jungeretur quam de Tribu sua, ut legitur Numerorum XXXVI. *Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient: ut hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, ut a Domino ſeparatæ ſunt.* Ergo cum omnibus notum fuerit Patrem Deiparæ prole mascula caruisse, S. Matthæus ostendendo tribum & familiam S. Josephi, hoc ipso ostendit etiam tribum & familiam Mariæ.

208. Objic. III. Sequela. Si Christus conceptus fuisset de Spiritu Sancto illæsa Matris virginitate, Spiritus Sanctus fuisset Pater Christi. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. N. M. Spiritus Sanctus nihil de sua substantia ad formationem naturæ humanæ Christi contulit, nec fœtum ejusdem secum naturæ edidit, quod ad generationem vitalem & denominationem Patris exigitur. Ergo Christus non fuit Filius Spiritus Sancti, neque de illo natus, sed conceptus fuit. Quod autem Matth. I. scriptum est: *Quod in ea natum, de Spiritu Sancto eſt*, non sic intelligendum est, quasi de Spiritu Sancto natum dicatur

Et ſequelis petita.

naturali quodam modo, sicut naturaliter de B. Virgine natum est. Sed eum videlicet sensum habet, ut de Spiritu, id est, operante, non tamen gignente Spiritu Sancto sit, quod ex Maria Virgine genitum est ac natum. Ea porro Sancti Spiritus efficientia seminis instar fuit, juxta S. Hilarium Lib. II. de Trinit. quoad vim nempe & virtutem activam. Quod si dicas tali modo Christum æque dici posse conceptum de Patre, ac de Spiritu Sancto, quia opera Dei ad extra communia sunt toti Trinitati. Resp. verissimum id esse; sed Incarnationem speciali modo adpropriari Spiritui Sancto, quia maximum opus fuit amoris & gratiæ, quæ Spiritui Sancto tribuuntur.

Virginitati B. Mariæ in partu neque Scripturæ.

209. Objic. IV. Contra II. Conclusionem. Auctoritas Scripturæ. Lucæ II. Christum oblatum fuisse in Templo legimus: *Quia omne masculinum primogenitum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur.* Ergo B. Maria illæsa virginitate non peperit Christum. II. Ipsa B. Maria contulit se in Templum, *postquam impleti sunt dies purgationis ejus*, ut purificaretur. Ergo erat immunda. Resp. C. A. N. C. Apud S. Lucam *ro aperire vulvam* nihil aliud significat, quam nasci, & materno ex utero prodire: quod ita fert communis & naturalis fœtus profundendi modus, ut aperto utero in lucem exeat. Usus est namque S. Evangelista hoc genere sermonis ex Moyse accepto, quo primogenitus significatur. In ferendis porro legibus id spectat Legislator, quod naturaliter accidit, & ordinarium est, non quod extra ordinem, nec sine miraculo evenit. Ad II. N. C. S. Thomas III. Parte, Quæst. XXXVII. Art. IV. scribit: *Licet B. Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis observantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis præceptum; ipsa enim secundum se purgatione non indigebat.* Et paulo ante dixerat: *Sicut plenitudo gratiæ a Christo derivatur in Matrem, ita decuit, ut Mater humilitati filii conformaretur. Et ideo sicut Christus, quamvis non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem, & alia legis onera subire, ad demon-*

stran-

ſtrandum humilitatis & obedientiæ exemplum, & ut approbaret legem, & ut calumniæ occaſionem Judæis tolleret: propter easdem rationes voluit & Matrem ſuam implere legis obſervantias, quibus tamen non erat obnoxia.

210. Objic. V. Auctoritas Patrum. Origenes Hom. XIV. in Lucam scribit: *Matris vero Domini eo tempore vulva reſerata eſt, quo & partus editus.* Tertul. Lib. de Carne Christi, Cap. XXIII. *Et quid ultra retractandum eſt? Cum hac ratione Apoſtolus non ex Virgine, ſed ex muliere editum filium Dei pronuntiavit, agnovit adapertæ vulvæ nuptialem paſſionem.* II. Alii etiam Patres dixerunt in Nativitate Christi apertam fuiſse vulvam Matris. Ergo senserunt B. Mariam in partu non amplius fuiſse Virginem. P. A. S. Athan. in Epist. ad Epictetum probat Christi carnem similem nostræ fuiſse ex eo, quod *oblatum ſit ſacrificium, propter apertum ab eo, qui eſt natus, matris uterum.* S. Basil. in Orat. de Nat. Dom. *primogeniti* vocem explicans, quatenus in Christum convenit, *Appellari*, ait, *primogenitum, qui primus aperit vulvam, non qui poſt ſe alios fratres habeat.* Similia habent S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. LXVI. S. Ambr. Lib. II. in Lucam. S. Hier. Lib. II. adv. Jovinianum. S. Epiphan. Hær. LXXVII. S. Greg. Nyss. in Orat. de Occursu Domini. S. Isidorus Pelusiota Lib. I. Epist. XXIII. S. Amphilochius in Orat. de Occursu Dom. III. Auctor Libri de Ortu Salvatoris narrat, obstetrices ad partum B. Mariæ accurriſse. Tertull. Lib. de Carne Christi, Cap. IV. & XX. ait, Christum eadem inquinatione naturalium Virginis in lucem editum fuiſse. Resp. ad I. Origenes dubiæ fidei homo est, nulliusque auctoritatis, ubi recedit a Patrum doctrina. De Tertulliano idem est S. Hieronymi judicium Lib. contra Helvidium, Cap. IX. *De Tertulliano nihil amplius dico, quam Eccleſiæ hominem non fuiſſe.* Ad II. D. A. Apertam fuiſse vulvam Matris per fractionem, quo modo reliqui omnes mortales nascuntur, N. A. Per compenetrationem, illæso virginitatis claustro, C. A. N. C. Ape-

Neque Patres adverſantur.

Aperire vulvam apud Patres illos nihil aliud significat quam nasci, & materno ex utero prodire; quod ita fert communis & naturalis fœtus profundendi modus, ut aperto utero in lucem exeat. Dici etiam verisimiliter potest, juxta Patres illos Christum nascendo aperuisse vulvam Matris, quia dedit ei fœcunditatem, sicuti Gen. XX. dicitur conclusisse Deus vulvam domus Abimelech, steriles illius uxores reddendo, & impediendo ne parerent. Nullum profecto dubium est, Patres illos Catholice omnino sensisse hac in re, ut patet expendenti textus in probatione II. Conclusionis exhibitos. S. Irenæus Lib. IV. adversus Hær. Cap. LXVI. aperte mentem suam explicat: *Filius Dei, Filius hominis, purus puram aperiens vulvam eam quæ regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit.* Ad III. Resp. Pervetustum illum fabulatorem, qui Librum de Ortu Salvatoris edidit, nulla fide dignum esse, sed a cordatis conspuendum. Audiendus est hac in re S. Hier. Lib. contra Helvidium: *Nulla ibi obstetrix, nulla mulierciularum sedulitas, interceſſit: ipsa pannis involvit infantem, ipsa & Mater, & obstetrix fuit. Quæ sententia apocryphorum deliramenta convincit.* Neque minus rejiciendi sunt, qui consuetos puerperis dolores Virgini tribuunt; ut enim scribit S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthod. Cap. XV. *Cujus voluptas nulla præceſſit, neque dolor ullus eſt subsecutus.* Et S. Bernardus Serm. IV. in Vig. Nativ. *Conceptus Christi fuit sine pudore, partus sine dolore.*

Aut impossibilitas, vel incertitudo hujus Mysterii.

211. Objic. VI. Impossibilitas atque incertitudo hujus mysterii. Christus clauso Matris utero nasci non potuit. Ergo natus est aperto Matris utero. Ergo B. Maria Virgo non fuit in partu. II. Incertum est, in quo tandem sit integritas virginalis. Ergo perperam docet Ecclesia, Mariam permansisse Virginem etiam in partu. Resp. ad I. N. A. Eo modo Christus clauso Matris utero nasci potuit, quo clauso ostio egressus est e sepulcro, quo clausis januis discipulos invisit: nimirum modo prorsus mirabili.

bili, & naturæ vires excedente, per compenetrationem cum utero Matris. Incredulis Calvinistis monitum illud S. Aug. repetimus Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Ad II. C. A. N. C. Theologi docent, in quocumque demum Virginitas consistat, quod examinare ad Medicos spectat, non ad Theologos, quos verecundos esse oportet, Beatam etiam in partu Virginem permansisse. Neque hoc novum aut paradoxum est; docent enim Theologi cum Ecclesia, Christum assumpsisse naturam humanam per unionem hypostaticam, Adæ posteros nasci infectos peccato originali; quin tamen penitus exploratum ac liquidum sit, in quonam constituenda sit unio hypostatica, aut quid sit peccatum originale, ut est moraliter nostrum.

212. Objic. VII. Contra III. Conclusionem, Auctoritas Scripturæ. Matth. I. v. 18. dicitur: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Ergo Scriptura denotare videtur, eos postea convenisse, seu matrimonium consummasse. S. Matth. eodem Cap. I. v. 25. de Joseph ait: *Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum.* Ergo postea illam cognovit; hunc enim sensum facere videtur particula *donec.* III. Christus sæpe vocatur in Scripturis *Primogenitus* Mariæ Filius. Ergo illa plures enixa est liberos post Christum. Resp. ad I. C. A. N. C. Scriptura quid antea factum non sit, notat: quid postea factum aut non factum fuerit, silet. Argumentatio hæc Helvidii similis est huic: Judas antequam pœnitentiam ageret, laqueo sibi gulam fregit. Ergo postea pœnitentiam egit. Quo quid absurdius? Congruentius nos ita argumentamur: Josephus Virginem tangere ausus non fuit usque ad diem partus, ob reverentiam ejus quem gestabat in utero, de quo sibi tanta ac talia nunciata fuerant ab Angelo. Ergo eamdem ob causam, etiam post partum Virginis, nullum ausus fuit cum illa habere marita-

Helvidius frustra se Scripturarum auctoritate tuetur.

le

le commercium; quia oculis suis in puero nato miracula Divinitatem illius testantia usurpavit, & Angelos canentes audivit *Gloria in altissimis Deo.* Ad II. N. iterum C. Particula *donec* in Scripturis sæpe denotat illud solummodo tempus, ante quod aliquid factum est, vel non factum: neque simul significat contrarium accidere, vel non accidere post illud tempus. Sic Psal. CXXII. dicitur, *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Quibus verbis David certe denotare noluit, averti oculos nostros a Deo, postquam misertus fuerit nostri. I. ad Cor. XV. v. 25. ait de Christo Apostolus: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Neque tamen Regnum Christi destruetur post devictos hostes. Ad III. Resp. Primogenitum in Scripturis dici illum, ante quem nullus genitus est, sive dein post illum alius genitus sit sive non. Sic Num. XVIII. offerri Deo jubentur primogenita, & primo post partum mense redimi. At vero si primogenitus non foret, nisi post quem alii geniti sunt, primogenita non fuissent primo mense Deo & Sacerdotibus debita; sed tamdiu expectandum fuisset, donec alia fuerint procreata, ne forte partu postea non sequente unigenitus sit, & non primogenitus.

213. Dices. Scriptura sæpius Fratrum Domini meminit, Joan. Cap. II. v. 12. *Descendit Capharnaum ipse, & Mater ejus, & fratres ejus.* Matth. XIII. v. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas, & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Apostolus ad Galat. Cap. I. v. 19. ait: *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domini.* Respondent aliqui I. Fratres Domini fuisse filios S. Josephi, non ex B. Maria, sed ex priori, quam is duxerat conjuge. Ita complures ex Patribus sentiunt, nempe Eusebius Hist. Eccl. Lib. II. Cap. I. S. Greg. Nyss. Orat. II. de Resurrectione Christi S. Epiphan. Hær. XXIX. & LXXVIII. S. Hilar. Can. I. in Matthæum. Hilar. Diaconus in Cap. I. Epist.

Epist. ad Galatas. S. Cyril. Alexandr. Lib. IV. Commentar. in Joan. Theophilactus in Cap. XXVII. Matth. Euthymius in Cap. XII. Matth. &c. Respondent alii II. per fratres usitato Scripturæ more non intelligi fratres vere ac proprie tales, sive ex utroque sive ex alterutro parente natos, sed consanguineos tantum & agnatos. Sic Abraham Loth nepoti suo dixit: *Fratres enim sumus.* Gen. XIII. Et Laban ad Jacob filium sororis suæ, Gen. XXIX. *Quia frater meus es, gratis servies mihi?* Negant itaque S. Josephum viduum fuisse, quando Deiparam duxit uxorem, & ex alia conjuge antea liberos suscepisse. Hanc de Virginitate S. Josephi sententiam propugnant S. Hier. Lib. contra Helvidium: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio Virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit: & aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit quam maritus, relinquitur Virginem eum mansisse cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari.* Item Auctor Serm. XIV. in Nativit. Dom. olim S. Augustino adscripti, nunc in Appendicem rejecti, & Theodoretus Comment. in Cap. I. Epist. ad Galat. *Vocatur quidem frater Domini* (Jacobus) *sed non erat natura. Nec vero fuit Josephi filius, ut quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed Cleophæ filius erat, Domini consobrinus. Matrem enim habuit Matris Domini sororem.* Atque hæc secunda responsio præferenda videtur priori, tum quia magis pia est, tum quia nihil habet incommodi. Et Virginem esse decebat Virginis perpetuæ custodem, Matris Domini conjugem, Christi putatitium Patrem ac nutritium. Accedit quod alii Patres, qui Josephi Virginitati adversantur, opinionem hanc hauserint ex commentitio Petri Evangelio, aut libro Jacobi, ut S. Hier. observat Comment. in Cap. XII. Matth. *Quidam fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum.* Vide Nata-

lem Alexandrum Diſsertat. XLVIII. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi IV.

CONTROVERSIA VII.

AN IN CHRISTO UNICA TANTUM DETUR PERSONA?

CONTRA NESTORIANOS.

Notio Vocum quarumdam.

214. Ad intelligendam hanc & sequentes Controversias, neceſsario declaranda est notio quarumdam vocum quæ in hac materia frequenter occurrunt. *Natura*, prout hic a Theologis accipitur, significat eſsentiam cujuscunque substantiæ in definitione importatam. Sic v. g. natura humana importat eſse animal rationale, præscindendo adhuc utrum in se an in alio subsistat. *Subſiſtentia* in concreto sumpta, dicit naturam ut subsistentem: in abstracto autem sumpta, est forma denominans rem subsistentem. Subsistere *in ſe* dicitur res aliqua, quando ipsa non existit in alio tamquam pars, nec trahitur per unionem ad aliud tamquam ad totum dignius. Per alienam subsistentiam sive *in alio* subsistere dicitur aliqua res, quando existit in alio tamquam pars, & trahitur per unionem ad aliud tamquam ad totum dignius. Sic v. g. natura humana Petri habet propriam subsistentiam, quia non existit in alio tamquam pars, nec per unionem physicam trahitur ad aliud tamquam ad totum dignius: contra vero manus v. g. & pedes Petri non habent propriam subsistentiam, quia hæc omnia trahuntur per unionem ad constituendum Petrum, cujus sunt pars. Natura humana Christi Verbo unita non subsistit subsistentia propria, sed subsistentia Verbi; quia per aſsumptionem, seu per unionem physicam cum Verbo trahitur ad totum dignius, quod est Christus. Contra vero Verbum divinum subsistit subsistentia propria, quia non trahitur ad aliquod totum dignius: complexum enim ex natura humana & Verbo divino non est aliquid

quid dignius, quam solum Verbum, dignitatis & excellentiæ omnino infinitæ. *Suppositum* est naturæ completæ individua subsistentia. Ad suppositum itaque requiritur Imo, ut habeat propriam subsistentiam, in sensu paulo ante explicato. II. Ut sit natura completa. III. Ut res illa subsistens sit individua, hoc est, singularis & determinata. IV. Ut res illa subsistens non possit communicari pluribus per identitatem. Hinc quia natura divina communicatur tribus personis per identitatem, non potest illa dici suppositum. *Persona* est naturæ rationalis & completæ individua subsistentia; nec a supposito differt per aliud, quam per τὸ *rationalis*; suppositum enim convenit brutis, persona substantiis rationalibus. *Unio Hypostatica* vocatur nexus ille seu vinculum, quo natura divina & humana in una Verbi divini persona intime, physice, ac realiter copulantur.

Nestorii initia.

215. Nestorius, Theodori Mopsuesteni discipulus, Germanicia Syriæ oppidulo oriundum, ac Monasticam vitam in Laura S. Euprepii prope Antiochiam professus, demortuo Sisinnio, CPolitanæ Ecclesiæ præficitur A. 428. a Theodosio juniore, quod pascendis sana doctrina populis maxime idoneus crederetur. Initio statim sui Episcopatus Arianos, Macedonianos, ac Quartodecimanos insectatus est, omnibusque hæresibus bellum indixit, authorque fuit Theodosio ferendæ adversus omnes hæreticos legis, ad Florentium Præfectum Prætorio directæ. Sed dum in hæreticorum perniciem totus incumbit Nestorius, hæreticus & ipse, immo architectus & princeps novæ est hæresis factus. Quam jam ante animo conceptam, non longo quam CPolim advenit spatio, proferre ac profiteri non est veritus, adhibitis blasphemiarum suarum præconibus Dorotheo quodam Episcopo, & Anastasio Presbytero. Hi dum inter Sacra sermonem ad populum de more facerent, consceleratam hanc vocem audacter protulerunt, præsente Nestorio: *Deiparam Mariam nullus nominet. Nam Maria homo erat: impossibile est autem, ut homo Deum pariat.* Cæterum

illa vox simul atque audita est, magnos in populo rumores ac tumultus excitavit, moxque a Synaxibus abstinere cœperunt Monachi, Senatusque & Populi CPolitani maxima pars, ne se Nestorii communione polluerent. Quin etiam Proclus, qui postea CPolitanam sedem obtinuit, Cyzici ab Sisinnio designatus Episcopus, sed a populo rejectus & CPoli tunc degens, cum Dominica quadam die A. 429. concionem habere rogatus esset, præsente Nestorio eam dixit homiliam de laudibus B. Virginis, quæ initio Concilii Ephesini præfixa legitur, in qua Θεοτοκον Mariam Virginem nominavit.

Impia doctrina.

216. At vero Nestorius temeritatem impietatemque Dorothei & Anastasii adeo non repressit, ut etiam laudaret, eique in suis ad populum concionibus suffragaretur. Negabat ille veram, realem ac physicam unionem naturæ divinæ & humanæ, & moralem tantum admittebat: hanc ipsam conjunctionem moralem Verbi cum homine Christo asserens factam non fuisse in ipso ortu vitæ Christi, sed post intervallum temporis, postquam nimirum Christus homo eamdem conjunctionem fuit promeritus. Porro unionem hanc moralem variis modis exponebat. I. Voluit eam esse unionem affectus dumtaxat & concordiæ, qua duo amici inter se uniuntur. II. Habitationis, qua Verbum in homine Christo habitabat tamquam in templo. III. Operationis, per quam Verbum utebatur homine Christo tamquam instrumento in patrandis miris illis operibus a Christo factis. IV. Participationis, per quam Verbum homini Christo dignitatem suam impertivit, ut Filius Dei vocaretur. Quamobrem Incarnationis mysterium nihil esse aliud existimabat, quam habitationem Dei in homine velut in domicilio suo vel in Templo, quemadmodum in Moyse ac Prophetis reliquis habitasse dicitur. Hinc Christum *Deiferum* appellabat, non vere Deum, sed hominem potius cum Deo tamquam dignitatis æqualitate conjunctum.

217.

217. Ex hac autem unione morali tamquam ex fonte ac capite impuri dogmatis, sequebatur Imo, duas in Christo esse personas, unam Dei, alteram hominis; quia v. g. unio moralis, qua inter se duo amici conjunguntur, non facit unam ex ipsis reapse personam. II. Duos esse Filios, unum naturalem, ab æterno ex Patre natum; alium in tempore factum, Filium Mariæ, & Filium Dei, non natura, sed adoptione tantum. III. Hominem ex Maria natum purum hominem esse nec proprie Deum, sed tantum nuncupative, propter moralem cum Verbo conjunctionem. IV. B. Virginem non posse dici Deiparam, sed Christiparam; eoquod Verbum non genuerit, sed purum hominem. Atque in hoc vocabulo Χριστοτοκον tota Nestorianæ impietatis ac veneni vis collecta continetur. Porro Nestorius, tametsi re vera ita sentiret, numquam tamen filios vel Christos duos, neque personas duas verbo professus est, ne Pauli Samosateni affinis hæresi esse videretur, quam sciret tanto ante damnatam & proscriptam esse, & apud Christianos pessime audire, quoniam diserte nudum hominem esse Christum docuerat. Immo ausus etiam fuit sensa sua ambiguis & in speciem Catholicis vocibus involvere, asserens duplicem in Christo esse naturam, Filium singularem: & Mariam vocari posse aliquo sensu Deiparam, modo pro Dea non habeatur. Verum solito hæreticorum privilegio æquivocationum latebras captavit ad tegendos errores. Filium singularem vocavit sensu improprio, ob unitatem moralem Verbi cum homine, ideoque dolose ac fraudulenter, ut monet Vincentius Lerinensis in aureo suo Commonitorio, Cap. XVII. quod triennio post condemnationem Nestorii conscripsit, anno videlicet 434. *Aut ergo fraudulentiæ causa quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum, & unam Christi personam credere se jactitat, aut certe post partum jam Virginis ita in unum Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptus, seu partus virginei tempore, & aliquanto postea duos Christos fuisse contendat; ut cum*

Sequelæ.

scilicet

scilicet Christus homo communis primum & solitarius natus sit, & necdum Dei Verbo personæ unitate sociatus, postea in eum assumentis Verbi persona descenderit; & licet nunc in Dei gloria maneat assumptus aliquamdiu, tamen nihil inter illum & cæteros homines interfuisse videatur. Quonam autem sensu B. Mariam vocari posse Deiparam admiserit, patet ex Epistola I. Nestorii ad Cœlestinum, in qua scribit: *Ferri potest hoc vocabulum Θεοτοκον propter ipsam considerationem, & quod solum nominetur de Virgine hoc Verbum, propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa; non quia ipsa mater sit Dei Verbi: nemo enim antiquiorem se parit.*

Magistri & Præformatores.

218. Hæresin Nestorii, ex parte saltem, præformarant antiquiores hæretici, Cerinthus, Ebion, ac Paulus Samosatenus, ut manifeste ostenditur ex Patribus, qui hæreticos illos impugnarunt, nempe ex S. Irenæo Lib. III. adv. Hær. Cap. XIX. S. Ignatio M. Epist. ad Ephesios, S. Justino M. in utraque Apologia, Tertul. Lib. contra Praxeam, ac S. Dionysio Alexandr. in Epist. adversus Samosatenum. Marius Mercator in Epistola de discrimine inter hæresin Nestorii, & dogmata Samosateni scribit: *Nestorius circa Verbum Dei non quidem ut Paulus sentit, qui non substantivum, sed prolatitium potentiæ Dei efficax esse Verbum definit. -- In eo igitur Paulo Samosateno conjungitur, in quo habitatorem & habitaculum pro meritis separat, dividens quod unicuique eorum sit proprium, ex diversitate naturæ; quod quidem illis ambobus cum Ebione & Photino, & Galata Marcello commune est. In eo vero, quod substantiale Dei Verbum confitetur, & esse ab æterno cum Patre Deum asserit, a memoratis recte dissentit, & fidei rectæ conjungitur.*

Artes & conatus.

219. Nestorius, quo hæresis suæ venena latius spargeret, tractatum suum de Incarnatione, variasque homilias, fidorum sibi hominum opera usus, per universam Ægyptum disseminavit. Quibus auditis S. Cyril. Alexandr. Patriarcha, ut malo obviam iret, varias scripsit Epistolas. Ac primo quidem ad Monachos

nachos Ægyptios, ut illos contra pestilentem hæresin præmuniret: tum ad ipsum Nestorium, ut pravam suam doctrinam revocaret ac corrigeret, missо etiam eisdem temporibus CPolim ad Theodosium Imp. & Reginas Libro de Recta Fide, quo late Catholicam de Incarnatione professionem exposuit: Denique, ne imponeret illi Nestorius, ad ipsum Cœlestinum Romanum Pontificem. Extat ea Epistola Parte I. Concilii Ephesini, sicque inscribitur: *Beatissimo, Deoque dilectissimo Patri Cœlestino in Domino salutem. Vetus*, inquit, *Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res Sanctitati tuæ communicentur. - - Non prius autem illius communionem palam aperteque deserimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias præscribere; quo liquido nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denuntiare: Neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat.* His cognitis S. Cœlestinus Romæ A. 430. Synodum Episcoporum habuit, ex qua, collaudata Cyrilli doctrina ac constantia in tuendo religionis negotio, hunc in modum ad eum rescripsit: *Auctoritate tecum nostræ Sedis adscita, vice nostra usus, hanc exequêris districto vigore sententiam, ut aut infra decem dies ab hujus conventionis die numerandos, pravas prædicationes suas scripta professione condemnet, - - aut nisi hoc fecerit, mox Sanctitas tua illi Ecclesiæ provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum.*

220 Cyrillus Cœlestini Papæ & Occidentalis Ecclesiæ auctoritate fretus, ad Joannem Antiochenum, aliosque de Nestorio scripsit. Joannes quoque Nestorium ad resipiscendum hortatus est. Sed cum obfirmatus in hæresi semel animus nullis machinis expugnari posset, Cyrillus A. 430. die III. Novembris congregata Alexandriæ diœcesis suæ Ægyptiacæ Synodo, Epistolam ex ea ad Nestorium scripsit, cum duodecim capitulis, quæ totidem anathematismis illius feriebant hæresin, denuntians ei, nisi damnato

Frustra monitus a S. Cyrillo.

errore

errore capitulis istis subscriberet, latam in ipsum a Cœlestino ratam fore sententiam. Dedit & ad CPolitanos litteras, Clerum videlicet ac Populum, nec non ad Monachos, quibus eadem illa significabat. At Nestorius in furorem actus, duodecim & ipse capitula sive anathematismos Cyrilli totidem opposuit, quibus contra Catholicum dogma hæresim affirmavit suam. Tum vero Joannem Antiochenum & Syriæ Episcopos contra Cyrilli capitula armavit, tamquam Apollinaris errore fœdata, & Theodosium Imperatorem adversus Cyrillum calumniis suis commotiorem reddidit, adeo ut ille acres & minaces ad eum litteras daret, quibus ipsum imprudentiæ & inquieti animi, ac turbarum appetentis accusat.

Ephesi damnatur.

221. Tandem Oecumenicam Synodum, quam Cyrillus & boni omnes congregari postulabant, Theodosius Imperator indixit, & ex universis diœcesibus Episcopos ad diem Pentecostes anni sequentis Ephesum vocavit, convocationem ratam habente Cœlestino Pontifice, ut constat ex ejus ad Theodosium Epistola. Anno itaque 431. convenere ad Concilium Episcopi CCLXXIV. si Mario Mercatori credimus, quibus præfuit S. Cyrillus, ut Legatus Sedis Apostolicæ, donec alii Legati a Cœlestino Papa, & Occidentis Synodo sunt missi. Venit Ephesum & Nestorius cum decem suarum partium Episcopis, cui socium honoris causa se addiderat Irenæus Comes. Venerat & Candidianus Domesticorum Comes, a Theodosio Imperatore missus tumultus compescendi gratia, & ut Monachos ac Sæculares, quorum opera nihil istic necessaria foret, ab urbe submoveret: atque ut neminem Episcoporum, nisi absoluta Synodo, redire domum pateretur. Solus ad conditam diem Ephesi non adfuit Joannes Antiochenus cum suis, quos ex Orientali diœcesi delegerat, sive quod de industria moras traheret, ut gratificaretur Nestorio; sive quod Episcopos suos ob locorum distantiam tam cito cogere non potuisset. Tandem diebus omnino sexdecim frustra expectatus, cum abesset ipse itinere quin-

que

que tantum aut sex dierum, Alexandrum Apameæ, & Alexandrum Hierapoleos Metropolitas Ephesum misit cum litteris excusatoriis ad Cyrillum Alexandrinum. Cumque hi testarentur, non semel sed sæpius sibi datum in mandatis a Joanne, ne Sacra Synodus prorogaretur, si ipsum tardare amplius contingeret, factum est Synodi initium die XXII. Junii in Ecclesia B. Mariæ. In prima itaque Actione citatus est Nestorius, qui per internuntios missis a Synodo Episcopis responsum dedit, adfuturum se, cum omnes advenerint Episcopi. Designabat autem Orientales Episcopos, qui adhuc in itinere morabantur. Sed tergiversante Nestorio, ad rem Patres aggressi sunt. Lectæ initio fuere Imperatoris Theodosii Epistolæ, tum Nestorii, Cyrilli, Cœlestini, ac Capreoli Carthaginensis; recitatisque antiquorum Patrum testimoniis, de communi sententia damnatus est Nestorius tum ex auctoritate Canonum, tum ut diserte professi sunt Patres, ex præscripto & Epistola Cœlestini Romani Pontificis, atque Episcopali dignitate, & Sacerdotali omni gradu, & consortio privatus. Sententia Concilii postridie significata est Nestorio, & scripto transmissa, cum hac epigraphe: *Sancta Synodus Nestorio novo Judæ. Agnosce te propter impias prædicationes tuas, & adversum Canones contumaciam, vigesimo secundo die mensis Junii præsentis, juxta Ecclesiasticarum Sanctionum decreta a Sancta Synodo depositum, atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum esse.*

222. Paucis post damnatum Nestorium diebus Joannes Antiochenus Ephesum pervenit, in comitatu habens Episcopos viginti duos, quibus se adjunxerunt illico, qui cum Nestorio erant, & Pelagiani quidam Episcopi ex Italia proscripti, Orientalium patrocinium emendicaturi. Joannes vix e curru descenderat, pulverulentus adhuc in diversorio clandestinum Episcoporum conventum habuit, in quo instigantibus Irenæo Comite & Candidiano, depositionis sententiam dixit adversus S. Cyrillum, & Memnonem Ephesiorum Episcopum, quasi ille Arii, Apollinaris, *Et quamvis Joannem Antiochenum patronum nactus sit.*

& Eunomii hæreses suis capitulis doceret, iste per violentiam cuncta in civitate gereret: excommunicationis vero in alios Patres, nisi post constitutam diem, relictis Cyrillo & Memnone, ad suas partes transirent. Tum dein Theodoreti Cyrensis opera usus est in confutandis duodecim Cyrilli anathematismis. Interim die X. Julii Cœlestini Pontificis, & Occidentalis Synodi Legati, Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter Ephesum pervenerunt, & excepti sunt a Concilio, celebrataque Actio secunda, in qua lectis solemni ritu Cœlestini litteris, Legati postularunt communicari sibi Acta Synodalia damnationis ac depositionis Nestorii. Quibus perlectis Actione III. damnationi & depositioni Nestorii assensi sunt Legati, & Summi Pontificis, Occidentalisque Synodi nomine subscripserunt. Actione IV. rogantibus Cyrillo & Memnone citarunt Patres Joannem Antiochenum per ternos Episcopos, ad rationem facti sui coram Synodo reddendam. Renunciarunt illi, se ad Joannis diversorium venisse, sed aditu a dispositis militibus prohibitos fuisse. Demum Clericos aliquos responsum hoc attulisse ab Joanne: nihil sibi commune deinceps fore cum excommunicatis ac depositis. Denique Actione V. Joannes postremo citatus venire cum detrectaret, Sacra Synodus Joannem, ejusque Episcopos communione, & Sacerdotali omni functione mulctavit, & irrita esse omnia decrevit, quæ adversus Cyrillum & Memmonem ab eo gesta erant.

Suorumque artibus Theodosium Jun. circumvenerit.

223. Interim Orientales schismatici cum Nestorianis nihil non machinabantur ad opprimendam Catholicam Synodum, & Acta ejus obliteranda. Quippe fictis adversus illam calumniis ac mendaciis aures Imperatoris ac Principum impleverunt, strenuam ad hoc operam navantibus Candidiano & Irenæo Comitibus. Qui vias omnes, portus, ac navigia in potestate habentes, sedulo id egerunt, ne quid litterarum ab Oecumenica Synodo ad Imperatorem perveniret, quo rem, ut gesta erat, certo cognosceret: cum interim soli Schismaticorum commentarii & epistolæ

stolæ CPolim perferrentur. Ex quo factum est, ut Imperator falsa Schismaticorum relatione delusus ad Ephesinam Synodum per Palladium Magistrianum scripserit, jubens irrita esse quæ hactenus gesta fuerant, ac de integro legitimum de omnibus judicium institui. Et quamvis certiora cognovisset Imperator a Synodi Patribus ex Epistolis, quas mendicus arundine inclusas CPolim detulerat, Schismaticorum tamen artibus iterum circumventus, eo se duci passus est ut ratam juberet trium esse depositionem, Nestorii, Cyrilli, ac Memnonis, quos omnes a legitima Synodo damnatos esse arbitrabatur. Qua de re scripsit ad Ephesinos Patres per Joannem Comitem sacrarum largitionum. Hic cum Ephesum pervenisset, tres illos in privatam custodiam dedit, ac litteras Imperatoris illis legit, quibus Patribus abeundi potestas fiebat, pacatis inter se disidiis ac simultatibus. Interea Clerus CPolitanus supplicem libellum pro Sacra Synodo Imperatori porrexit, quo obtinuit, ut septem ex utraque parte Legati CPolim mitti juberentur, qui de omnibus in Synodo gestis certiorem facerent Principem. Missi itaque sunt a Catholicis Episcopi septem, quos inter Arcadius Cœlestini Legatus. Cognita demum rei æquitate Imperator rem ita decidit, ut Cyrillus & Memnon in Ecclesiis suis manerent, Nestorio sufficeretur Maximianus, Monachus Presbyter, probatæ vir fidei ac pietatis: tum ut ad suam quisque Episcopus reverteretur Ecclesiam.

Cognita tandem fraus.

224. Paulo post Cœlestinus Papa litteras ad Theodosium Augustum exaravit, quibus illi ob præstitum causæ fidei patrocinium, ob Nestorii abdicationem illius Edictis confirmatam, ob Maximiani ordinationem illius jussu factam gratulatus est: & Nestorii deportationem postulavit, ne plures perderet, novasque in Ecclesia turbas excitaret. At Nestorius Antiochiam reversus in monasterio suo annos quatuor habitavit. Sed cum illic complures colloquiis ac litteris suis corrumperet, Joannis Antiocheni monitu, Theodosius illum in Oasim relegari jussit, initio an-

Lege Cæsarea in exilium missus, paulo post moritur.

ni 435. Ubi multis ærumnis & barbarorum incursionibus, ac crebris locorum mutationibus confectus, miserrime vitam finiit, lingua eadem, qua sacrilegas in Dei Matrem voces emiserat, vermibus exesa. Eodem anno 435. religiosissimus Imperator Lege lata, & directa ad Leontium Præf. Prætorio, Nestorii sectatoribus publicam infamiæ notam inusit, edicens ut Simoniani, non Christiani vocarentur. Vetuit etiam lectionem librorum Nestorii, eosque undequaque conquisitos ultricibus flammis devoveri jussit.

Joannes Antiochenus pacem iuit cum S. Cyrillo.

225. Soluta jam Synodo Ephesina per triennium adhuc tenuit Joannis Antiocheni cum S. Cyrillo discordia. Tandem adnitente Imperatore resipuit Joannes, & cum Cyrillo in gratiam rediit. Posteaquam enim Joannes Paulum Emesenum Episcopum Alexandriam ad Cyrillum misit, qui suo & Orientalium Episcoporum nomine cum illo transigeret, Cyrillus duos e suis Diaconis cum Aristolao Tribuno, & Paulo Emeseno Antiochiam proficisci jussit, chartamque ipsis tradidit, confessionem fidei, pacisque conditiones continentem, quam si acciperet Joannes Antiochenus, illique subscriberet, litteras ei communionis redderent. Conditiones pacis erant, anathema in doctrinam Nestorii, assensus illius depositioni, & ordinationis Maximiani approbatio. Consensit Joannes omnibus conditionibus pacis, & confessioni fidei a S. Cyrillo missæ subscripsit, Paulumque Emesenum Alexandriam rursus misit cum litteris ad Sanctissimum Antistitem, quæ professionem fidei continebant Orientalium Episcoporum, a Cyrillo dein probatam, & responsoriis suis ad Joannem litteris, quarum initium, *Lætentur cœli &c.* insertam. Cæterum quamvis Joannes Antiochenus, & Orientales Episcopi Nestorianæ hæreseos vehementer fuerint suspecti, ut patet ex relatione Patrum Ephesinorum ad Imperatorem, & Cœlestinum Pontificem, atque ex Synodica Epistola ad Clerum CPolitanum; Nestorii tamen personæ dumtaxat, non causæ aut errori favisse multo probabilius est. Patet id ex Epistola S. Sixti III. ad S. Cy-

Personæ non causæ Nestorii favit.

Cyrillum, in qua ait Pontifex: *Non ſe exuli veſtro* (Nestorio) *Sanctus Frater noſter noſter Joannes addiderat; non ejus eſt blaſphema prædicatione deceptus: nam, quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit:* tum ex Epistolis S. Cyril. ad Acacium Melitenum, & Valerianum Iconii Episcopum. Quare Orientales Episcopi non errore juris & odio fidei Catholicæ, sed mero errore facti S. Cyrilli Capitula, atque Ephesinam Synodum impugnarunt; quia Capitula illa in extremum errorem vergere, & Apollinaris venenum propinare falso existimabant: Ephesinam vero Synodum non censebant Oecumenicam, quæ illorum Patriarcha, ipsisque absentibus, celebrata esset, & quæ Nestorium non satis discuſsa causa damnaſse, & studio partium, nimiumque præcipiti judicio omnia egiſse ipsis videbatur.

S. Cyrillus in Apollinariſtarum errores numquam eſt lapſus.

226. S. Cyril. Alexandr. dum Nestorium impugnat, in oppositum Apollinaris errorem lapsum non eſse, ejusque scripta omni prorsus erroris labe vacare, auctoritate Pontificum & Conciliorum manifeste evincitur. S. Cœlestinus Epist. ad Cyrillum scribit: *Quin & nos quoque, dilecte Frater, nonnulla additurі eramus, niſi eadem omnia quæ nos ſentimus ac tenemus, te itidem ſentire ac tenere perſpiceremus.* Idem in Epist. ad Nestorium: *Alexandrinæ Eccleſiæ Sacerdotis fidem & probavimus, & probamus. Et tu admonitus per eum, eadem ſentias nobiſcum, ſi vis eſſe nobiſcum, O frater! Si tibi ſenſus datur, damnatis omnibus, quæ hucusque ſenſiſti, ſtatim hæc volumus prædices, quæ ipſum videas prædicare.* Ephesina Synodus in relatione ad S. Cœlestinum post Act. V. ait: *Lectæ dein ſunt litteræ, quas Sanctiſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Cyrillus ad eum* (Nestorium) *ſcripſerat, quas Sancta Synodus approbavit, ut recte inculpateque exaratas, atque in nullo diſſentaneas divinis Scripturis, traditæ videlicet fidei, & expoſitæ in magna illa Synodo a SS. Patribus, quæ Nicææ Bithyniæ olim convenerunt: ſicut tua quoque Sanctitas id recte probans teſtificata eſt.* Chalcedonense

Actio-

Actione I. ait: *Semper memoria Cyrilli. Cyrillo æterna memoria. Si quis retractat, anathema ſit. Siquis ſuper iſta inquirit, anathema ſit. Maledictus qui addit; maledictus qui aufert; maledictus qui innovat.* Et Actione II. *Omnes ſic credimus. Sicut Cyrillus, ita credimus. Æterna memoria Cyrilli.* Denique Vta Synodus Generalis, CPolitana II. Can. XIII. nonnulla Theodoreti scripta, & Can. XIV. defensores Epistolæ Ibæ ad Marim Persam non alia de causa confixit, quam quia Theodoretus & Ibas scripta S. Cyrilli adversus Nestorium pro fidei defensione impugnaſsent.

Quidquid Proteſtantes de illo ſentiant.

227. Inventi tamen fuere ex Protestantibus, qui Cyrillum arguerent, & Nestorio patrocinarentur. Lutherus Lib. de Conciliis, Nestorium & Eutychetem ex inscitia solum aliqua, & in modo loquendi lapsos dicit: nam alioqui utrique zelum bonum, animum sincerum, & fidem rectam tribuit. Totam vero causam tumultus, & tragœdiarum eo tempore excitatarum, in Episcopos Catholicos Leonem videlicet & Cyrillum refert; eoque progreditur, ut dicat vereri se, ne in extremo judicio aliqui hæretici sedeant judices, & Episcopi, qui eos in Conciliis damnaverunt, æternum pereant. Tantum non aperte dicens, Nestorium & Eutychetem cum Christo judices futuros: Sanctos vero Cyrillum & Leonem in æternum perituros. Plures idipsum ex Calvini grege cum Luthero senserunt, nempe Albertinus in Opere de Eucharistia, Ægydius Gaillard, Joannes Crojus, & Anonymus Calvinista, qui An. 1645. pestilentiſsimum edidit librum, quo demonstrare conatus est, Nestorium impuriſsimum hæresiarcham, pium & Catholicum fuiſse: illos autem a quibus condemnatus est, Cyrillum nempe & Ephesinam Synodum, hæreticos & impios: a quibus injuste ac per vim & tyrannidem oppreſsus Nestorius, non solum inter Ecclesiæ Doctores & magistros sit habendus, sed inter Martyres quoque numerandus. Temerarium hunc circulatorem late castigavit Petavius toto Libro VI. Theologicorum Dogmatum de Incarnatione. Symbolam quo-

que

que suam liberaliter ævo nostro contulit, Patrum omnium totiusque venerandæ antiquitatis Zoilus maledicentiſsimus, Joannes Laurentius Moshemius Tomo I. Instit. Historiæ Christianæ; pag. 403. hæc scribens: *Inhoneſtis artibus & ſtudiis haud parum in hoc Concilio* (Ephesino I.) *datum fuiſſe, Cyrillumque animi potius commotionibus, quam juſtitiæ & pietati obſecutum eſſe nemo bonus & ſapiens facile negaverit.* Et pag. 404. *Sunt tam veterum, quam recentiorum longe plurimi, qui idem ipſum* (Nestorium) *quam Epheſinos ſenſiſſe, alio vero modo locutum eſſe arbitrantur, omnemque culpam funeſtiſſimi hujus diſſidii in Cyrilli turbulentum ingenium, & iniquam erga Neſtorium voluntatem conjiciunt. -- Æquis diſceptari armis poterit, uter pejus de re Chriſtiana promeritus ſit, Cyrillus an Neſtorius.* O blasphemam impudentiſsimi hominis vocem!

228. Conclusio I. Dogmatica. Verbum per veram, realem, ac physicam unionem unitum fuit Sanctiſsimæ Humanitati. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Joan. I. dicitur: *Verbum caro factum eſt.* Hæc verba in sensu proprio sumpta non denotant tantum unionem moralem, qualis datur inter duos amicos. Ergo veram, realem, ac physicam. P. A. Quantumlibet arcta sit duorum amicorum unio, numquam tamen in sensu proprio dici potest, quod unus factus sit alter; sicut tamen de Verbo dicitur, quod sit caro factum. Ergo. Ad Philipp. II. scribit Apostolus: *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* Ex quibus hoc argumentum efflorescit: Verbum, juxta Apostolum, semetipsum exinanivit uniendo se naturæ humanæ. Atqui uniendo se naturæ humanæ unione tantum morali, affectus nimirum, inhabitationis &c. non recte diceretur semetipsum exinaniſse. Ergo. P. m. Et Pater, & Spiritus Sanctus unione morali affectus & inhabitationis uniuntur homini justo. Joan. XIV. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum*

Verbum per veram & hypoſtaticam unionem unitum fuit humanitati:

eum faciemus. I. ad Cor. III. *Spiritus Dei habitat in vobis;* quin idcirco dici posſint exinaniti. Ergo Verbum unitum est naturæ humanæ unione vera, physica, ac reali. Urget hoc argumentum S. Cyril. Epist. I. ad Monachos.

229. Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Ephesini, quod Anathematismos S. Cyrilli approbavit, quorum tertius ita sonat: *Siquis in uno Chriſto dividit ſubſtantias poſt unitatem, ſola eas connexione conjungens, eamque, quæ ſecundum carnis dignitatem ſit, vel etiam auctoritatem & poteſtatem, ac non potius conventum, qui per unitatem factus eſt, naturalem, anathema ſit.* Et CPolitani II. Collatione VIII. Anathematismo IV. *Siquis dicit ſecundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum honoris æqualitatem, vel ſecundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, & non ſecundum compoſitionem, ſive ſecundum ſubſiſtentiam, unitionem Verbi ad carnem factam eſſe; anathema ſit.*

230. Prob. III. Auctoritate Patrum Ephesino Concilio antiquiorum. S. Ignatius M. Epist. ad Ephes. ait: *Singuli viri communiter omnes in gratia, ex nomine convenite in una fide, & in uno Jeſu Chriſto, ſecundum carnem ex genere David, Filio hominis, & Filio Dei.* S. Greg. Nazianz. Orat. LI. *Siquis Divinitatem in eo* (Christo) *velut in Propheta, per gratiam operatam fuiſſe, non autem ſecundum eſſentiam copulatam fuiſſe, atque copulari dixerit, a præſtantiori afflatu vacuus ſit, immo contrario impleatur.* Et Orat. XXXI. *Non duo factus, ſed unum ex duobus fieri ſuſtinens. Deus enim ambo ſunt, id quod aſſumpſit, & quod eſt aſſumptum: Naturæ duæ in unum concurrentes, non duo Filii. Nolo contemperationem illam mentita ratione quiſpiam explicet.* S. Hilar. Lib. IX. de Trinit. *Mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & illo ipſo inter Deum & hominem mediatoris Sacramento utrumque unus exiſtens, dum ipſe ex unitis in idipſum naturis naturæ utriuſque res eadem eſt, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus*

eſſe

esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset.

231. Prob. IV. Ratione Theologica. Illa est vera, realis, ac hypostatica unio, cujus virtute consurgit compositum hypostaticum Deus idem & homo. Sed virtute unionis, quæ intercedit Verbum inter & humanitatem, fit & consurgit compositum hypostaticum Deus & homo, unus idemque qui dicitur Christus. Ergo unio intercedens inter humanitatem & Verbum, est vera, realis, ac hypostatica unio.

Ideoque unica datur in Christo persona.

232. Conclusio II. Dogmatica. In Christo unica tantum datur persona, nimirum divina. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Unus idemque in Scripturis constanter asseritur Filius Dei, & Filius hominis, Deus, Verbum, homo. Ad Rom. IX. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* I. Joan. Cap. III. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Joan. VIII. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Joan. X. *Ego & Pater unum sumus.* Ad Ephes. IV. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Atqui non est idem secundum naturas, id est, propter identitatem naturæ humanæ & divinæ. Ergo propter identitatem personæ. Ergo in Christo unica tantum datur persona, eaque divina, duabus naturis humanæ ac divinæ, vere, physice, ac substantialiter unita: atque adeo ob hanc personæ unitatem in Christo possunt prædicata naturæ divinæ propria affirmari de homine, & prædicata naturæ humanæ propria affirmari de Deo, v. g. dicendo: *Homo est Deus. Deus est homo. Deus passus ac mortuus est.*

233. Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Ephesini, quod Anathematismos S. Cyrilli approbavit, quorum II^dus^ sic sonat: *Siquis non confitetur carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul & hominem; anathema sit.* VI. *Siquis dicit Deum esse, vel Dominum Christi Dei Patris Verbum, & non*

magis eumdem ipsum confitetur Deum simul & hominem, propter quod Verbum caro factum est secundum Scripturas; anathema sit. Chalcedonense in professione fidei, Actione V. ait: *Confitemur unum eumdemque Filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis inseparabiliter, inconfuse, indivise, immutabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, atque subsistentiam concurrente.*

234. Prob. III. Auctoritate Patrum, qui ante Ephesinum floruerunt. S. Ignatius M. Epist. ad Ephes. ait: *Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, secundum dispensationem Dei ex semine David.* S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XVIII. luculenter e Scripturis adstruit, *unum & eumdem esse Verbum Dei, & hunc esse unigenitum, & hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum, Dominum nostrum.* Ac qui in duos illum partiuntur, acriter redarguit; quos & *solvere Jesum Christum* ait, ut S. Joannes Epist. I. Cap. IV. loquitur, hoc est, dividere, & arctissimam illam unionem dirimere. Tertul. in calce libri de Carne Christi: *Sicut & definiens* (Paulus I. ad Cor. VIII.) *ipsum quoque Christum unum, multiformis Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum; alium elapsum de mediis turbis, alium detentum.* S. Dionysius Alexandr. in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum, redarguit illum, quod asseveraverit *dari in Christo duas hypostases, duasque personas, sive Christos duos, duosque Filios.* S. Athan. in libello de Incarnatione: *Sicut homo persona est una, & animal unum e spiritu & carne concretum: ita Christus intelligi debet unus esse, & non personæ duæ: quod recens impietas violenter invehere conatur.* S. Ambr. Lib. de Incarnatione, Cap. V. *Incarnationis Sacramenta suscepit, non divisus, sed unus: quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel Divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.*

Ge-

Generatio generationi non præjudicat, nec caro Divinitati. S. Hier. in Cap. I. Epist. ad Ephes. *Benedictus Deus ejus, qui aßumptus eſt hominis, & Pater ejus, qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quo alius aſſumptus homo, & alius ſit Sermo, qui aſſumpſerit: ſed quo unus atque idem pro veritate cauſarum, nunc ſublimis, nunc humilis prædicetur.* S. Aug. in Enchiridio, Cap. XXXVI. *Ut quemadmodum eſt una perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis & caro; ita ſit Chriſtus una perſona, Verbum & homo.* Quæ Patrum, eadem & Symbolorum doctrina est, Apostolici, Nicæni, & Constantinopolitani, quod posteaquam declaravit Christum eſse *Deum de Deo, lumen de lumine, Conſubſtantialem Patri*, illico subjungit: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.*

235. Prob. IV. Ratione Theologica. Nisi eadem persona quæ est Filius Dei, etiam sit homo, id est, vere, realiter ac physice conjuncta cum humanitate, funditus evertitur mysterium Incarnationis Dominicæ, neque Filius Dei vere dici potest incarnatus, & homo factus. Sicut enim nemo vere dicitur doctus per eam scientiam, quæ est in alia persona: ita nec Filius Dei eſset homo per humanitatem in altera persona subsistentem. *Et B. Virgo vere ac proprie fuit Mater Dei.*

236. Conclusio III. Dogmatica. Beatiſsima Virgo vere proprieque Mater Dei Θεοτοκος dicenda est. Prob. I. Auctoritate Scripturarum, quæ innumeris locis testantur, Verbum verum eſse Deum, & carnem in utero Virginis induiſse ex substantia Matris, ac pro nobis hominem eſse factum. Prob. II. Auctoritate Conciliorum, Ephesini, quod Anathematismos S. Cyrilli approbavit. Imus sic habet: *Siquis non confitetur Deum eſſe veraciter Emmanuelem, & propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem; peperit enim ſecundum carnem, carnem factum Dei Verbum, ſecundum quod ſcriptum eſt, Verbum caro factum eſt; anathe-*

ma ſit. Chalcedonensis Actione V, *Conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum. -- Ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos & noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem.* Constantinopolitani II. Can. VI. *Siquis abuſive & non vere Dei Genitricem dicit Sanctam glorioſam ſemper Virginem Mariam; vel ſecundum relationem, quaſi homine puro nato, ſed non Deo Verbo incarnato, & nato ex ipſa, -- talis anathema ſit.* Nicæni II. Actione VII. *Confitemur autem & Dominam noſtram Sanctam Mariam proprie ac veraciter Dei Genitricem: quoniam peperit carne unum ex Sancta Trinitate, Chriſtum Deum noſtrum.*

237. Prob. III. Auctoritate Patrum, qui ante Ephesinum scripsere, & B. Mariam vel expreſsis, vel æquivalentibus verbis Dei Genitricem appellarunt. S. Ignatius M. Epist. ad Ephesios ait: *Deus noſter Jeſus Chriſtus a Maria in utero geſtatus eſt. -- Unus eſt medicus carnalis & ſpiritualis, factus & non factus, qui in carne fuit Deus, in immortali veraque vita, & ex Maria, & ex Deo.* S. Justinus in Dialogo cum Tryphone ait, *Chriſtum prius extitiſſe Filium Conditoris omnium, ac Deum, qui genitus eſt homo per Virginem, eidem nobiſcum patiendi legi ſubjectus, & carnem habens.* S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XXXI. *Verbum exiſtens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis.* S. Dionysius Alexandr. in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum: *Quinam tu dicis hominem eximium Chriſtum, & non Deum verum exiſtentem, & adoratum ab univerſa creatura cum Patre & Spiritu Sancto, incarnatum e Sancta Virgine, & Dei Genitrice Maria?* Et in Responsione ad Quæstionem V. Samosateni. *Oſtendit* (Isaias) *Dei Genitricem Virginem quemdam concepiſſe: quem quidem nos agnovimus Deum noſtrum, & Patri coæternum Filium Verbum.* S. Athanasius Orat. IV.

contra

contra Arianos: *Itaque divinæ Scripturæ ſcopus iſte eſt, & formula propria, ut dupticem agnoſcamus in ea de Salvatore loquendi rationem: Nimirum tum Filium fuiſſe ſemper, & eſſe Deum; qui ſit Verbum, & ſplendor ac ſapientia Patris: tum poſtea propter nos eumdem illum aſſumpta carne de Virgine Dei Genitrice Maria, hominem eſſe factum.* S. Cyril. Hierosolym. Catech. IV. *Crede hunc unigenitum Dei Filium, propter peccata noſtra e cœlo in terram deſcendiſſe, & aſſumpſiſſe iiſdem nobiſcum ſubjectam affectionibus humanitatem, & ex Sancta Virgine ac Spiritu Sancto eſſe genitum.* S. Basil. Hom. XXV. de humana Christi generatione, B. Virginem Θεοτοκον appellat. S. Greg. Nazianz. Epist. I. ad Cledonium, seu Orat. LI. *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem eſt.* S. Hilar. Lib. IX. de Trinit. *Natus igitur Deus ex Virgine homo, & ſecundum plenitudinem temporum in ſemetipſo provecturus in Deum hominem.* S. Hier. Lib. contra Helvidium: *Natum Deum eſſe de Virgine credimus, quia legimus.* Similia habent & reliqui Patres, S. Hippolytus M. apud Theodoretum Dial. I. Tertul. Lib. de Præscript. Cap. XIII. Lactantius Lib. IV. Divin. Instit. Cap. XII. Julius Firmicus Lib. de errore profanarum Religionum, Cap. XXVI. S. Ambr. Lib. de Incarnat. Cap. V. S. Chrys. Hom. II. in Matth. S. Amphilochius Orat. IV. S. Ephrem in Orat. de Margarita pretiosa. Quare merito S. Cyril. Lib. de recta Fide ad Reginas scribit, vocem hanc *Deipara* veteribus Patribus fuiſse familiarem, hocque ipso agnovit Joannes Antiochenus in Epist. ad Nestorium: *Etenim nomen hoc* Θεοτοκον, inquit, *nullus umquam Eccleſiaſticorum Doctorum repudiavit. Qui enim illo uſi ſunt, & multi reperiuntur, & apprime celebres: qui vero illud non uſurparunt, numquam erroris alicujus eos inſimularunt, qui illo uſi ſunt.*

238. Prob. IV. Ratione Theologica. Quamvis B. Maria ipsam Divinitatem non pepererit, illum tamen peperit secundum humanitatem, qui propter rea-

realem & hypostaticam unionem naturæ humanæ cum Verbo Divino, vere, proprie, ac natura Deus est. Ergo B. Maria vere ac proprie est Mater Dei. Utitur hoc argumento S. Cyril. Epist. I. ad Monachos: *Si Deus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quomodo Dei Genitrix non eſt, quæ illum genuit Sancta Virgo?* Et Epist. III. ad Nestorium, Cap. II. *Quia vero Sacra Virgo Deum carni ſecundum hypoſtaſin unitum corporaliter genuit, ob id illam quoque Deiparam eſſe dicimus; non quod Dei Verbi natura exiſtendi initium ex carne traxerit; ſed quia humana natura ſecundum hypoſtaſin ſibi unita, corpoream ex utero nativitatem expertum eſt.* Brevius idem argumentum sic proponitur. Maria est vere Mater Jesu Christi. Jesus Christus est verus Deus. Ergo Maria est vere Mater Dei.

Argumenta contraria refutantur.

Unioni hypoſtaticæ non refragatur Scriptura.

239. Objic. I. contra I. Conclusionem, Auctoritas Scripturarum. Humanitas Christi sæpe in Scripturis comparatur templo, & domui. Hinc ipse Christus ait Joan. II. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. - - Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Ad Coloss. II. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Joan. I. *Et habitavit in nobis.* Ergo Verbum habitavit in Christo homine, tamquam in templo, quæ habitatio nullam dicit veram ac substantialem unionem. R. C. A. N. C. In his comparationibus neque datur, neque requiritur plena comparatorum inter se convenientia, sed aliqua tantum: nimirum, quod sicut Divinitas speciali modo est in templis manufactis, ita speciali modo sit in humanitate Christi, quamvis is ipse specialis modus sit diversus; cum Divinitas physice sit unita humanitati, non vero templis manufactis. Certe in Scripturis etiam corpus nostrum dicitur tabernaculum animæ. II. ad Cor. V. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati.* II. Petri I.

Velox

Velox est depositio tabernaculi mei. Neque tamen idcirco Nestoriani dicent, animam nostram non esse physice unitam corpori. In IIdo textu hoc ipso, quod Apostolus addat *corporaliter*, intelligit Divinitatem unitam fuisse naturæ humanæ Christi eo modo, quo anima unitur corpori per veram, realem, & hypostaticam unionem. Verba illa, *Et habitavit in nobis*, idem significant ac *nobiscum*, juxta illud Baruch. Cap. III. v. 38. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

240. Objic. II. Auctoritas Patrum. S. Athan. Lib. de Incarnat. Eusebius Lib. IV. Demonstrationis Evangelicæ, Cap. XIII. S. Joan. Damascenus Lib. III. de Fide Orthod. Cap. XIII. Humanitatem Christi vocant instrumentum Divinitatis. Atqui instrumentum moraliter tantum unitur artifici. Ergo. II. Eustathius Antiochenus apud Theodoretum Dial. I. S. Greg. Nyss. Lib. II. contra Eunomium, humanitatem vocant templum Divinitatis. R. ad I. C. M. N. m. universaliter sumptam. Nam etiam v. g. manus est instrumentum animæ, & tamen huic est physice unita. Humanitas igitur Christi potest innoxie vocari instrumentum Divinitatis, non separatum, sed Verbo physice conjunctum & unitum. Ad II. D. A. Vocatur templum, in quo Verbum habitavit per meram assistentiam, N. A. Per veram, hypostaticam, ac realem unionem, C. A. Quam innoxiæ sint hæ voces, *instrumentum*, *templum*, vel ex eo dignoscitur, quod ipse S. Cyril. Nestorii impugnator acerrimus, sæpius illis fuerit usus in Dialogo de Incarnatione, & Lib. VI. in Joannem. *Non auctoritas Patrum.*

241. Objic. III. Novitas & obscuritas vocabuli. Non potest ostendi, quod Patres ante Ephesinum Concilium mentionem fecerint unionis hypostaticæ. II. Explicari nequit quid sit unio illa hypostatica. III. Cyrillus temere & arbitrarie unionem illam vocat naturalem, substantivam, & hypostaticam. R. ad I. Etsi aliqui Patres hanc vocem *Unio hypostatica* non adhibuerint, usi tamen sunt verbis æquivalentibus, *Non obscuritas aut novitas vocabuli.*

bus, adunationis, contemperationis, mistionis &c. Certe admiserunt unitatem personæ, ut late ostendimus Conclusione II. & III. Ergo etiam unionem hypostaticam, quam necesario consequitur unitas personæ. Alii vero Patres Anteephesini signate utuntur nomine unionis, ut Irenæus, Athanasius, Gregorius Nyssenus, Basilius, Chrysostomus, Augustinus. Ad II. O. A. N. C. Sufficienter explicari nequit æterna Verbi generatio. Ergo non datur? Sufficit nobis scire, unionem hypostaticam nil aliud esse quam nexum, seu vinculum formale, quo natura divina & humana in una Verbi persona intime, physice, ac realiter copulantur, quamvis natura hujus vinculi, omnesque ejus proprietates clare & ad captum explicari nequeant. Nil autem mirum est Theologos in explicanda unione hypostatica laborare, cum hactenus Philosophorum nemo inventus sit, qui liquido explicarit unionem animæ rationalis cum corpore materiali. Quare recte ait S. Cyril. Lib. de recta Fide ad Theodosium, Num. XXIII. *Incarnationis modus admodum subtilis est, vereque inexplicabilis; talis demum, qui cogitationis, captusque nostri angustias multis partibus excedat. -- Nempe ut periculo non vacat curiosius in ea inquirere quæ humana non sunt: ita extremæ dementiæ videtur, ea quæ mentis nostræ aciem excedunt, humani judicii trutinæ subjicere moliri.* Ad III. N. A. Cyrillus unionem illam vocat *naturalem*, non prout opponitur liberæ; Deus enim nulla necessitate adactus carnem assumpsit: sed prout opponitur unioni morali tantum. Quare naturalem vocat I^mo, ut denotet eam unionem veram esse, a parte rei, & proprie dictam, quo sensu naturam sumit Apostolus ad Ephes. II. *Eramus natura filii iræ*, id est, vere ac proprie. II. Quia ex ea unione fit unum aliquid proprie & per se. III. Quia sola natura hominis, non vero persona hominis, quæ in Christo numquam data est, cum Verbo conjungitur. Unionem illam vocat etiam *substantivam*, quia substantiæ ipsæ, divina & humana, per sese copulantur invicem, & unum per se substan-

stantivum, hoc est, personam unam, eamque divinam seu Dei verbi constituunt. Vocat *hypostaticam*, seu secundum hypostasin, quia per illam unionem ex duabus naturis fit res una subsistens.

242. Objic. IV. contra II. Conclusionem, Auctoritas Scripturæ. Ad Hebr. VII. Filius Dei dicitur esse sine Matre, & sine Genealogia: Mariæ autem Filius juxta Evangelistas & Matrem habuit, & Genealogiam. Ergo alius est Filius Mariæ, & alius Filius Dei, Verbum. II. In Scripturis Deus dicitur immortalis & impassibilis: Filius Mariæ dicitur pro nobis passus & crucifixus. Ergo alia est persona Verbi, & alia persona hominis, quem inhabitabat Verbum. P. C. Si eadem fuisset hominis, & Verbi persona, tunc ipsa Divinitas fuisset passa ac mortua. Atqui id sine hæresi affirmari nequit. Ergo. R. D. A. Filius Dei secundum naturam divinam dicitur esse sine Matre & sine Genealogia, C. A. Filius Dei secundum naturam humanam, N. A. & C. Hæc minime contradictoria sunt in Christo, habere Matrem & Genealogiam, illisque carere; quia cadunt supra diversas Christi naturas, vel supra Christum ut subsistentem in diversis naturis. Ad II. eadem est responsio. C. A. N. C. Filius Mariæ passus pro nobis & crucifixus est secundum humanitatem, non secundum Divinitatem. Ad *prob.* N. M. Rem hanc optime explicat Vigilius Tapsensis Lib. II. contra Eutychetem & Nestorium: *Passus est Deus in unione personæ, non in proprietate naturæ. Siquidem passionis injurias etiam Divinitas pertulit, sed passionem sola ejus caro persensit. Sicuti solis radium, vel flammæ corpulentiam recte dicimus posse gladio secari, non posse tamen dirimi: ita Verbum Dei jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem sensisse. Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo effectibus, apparet Deum Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro ejus non solum pertulit, sed & sensit, & cessit, merito ac jure dicimus, Dominum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum*

Pluralitatem personarum neque Scriptura.

tam in carne ſua, ſine ſenſu vel mutatione Divinitatis ſuæ. Ergo perferre paſſionem naturæ eſt utriuſque: ſed cedere paſſioni, non eſt utriuſque naturæ, cum ſit unius ejuſdemque perſonæ. Et Lib. V. *Ergo proprium eſt illi mori, propter naturam carnis, quæ mortalis eſt: & proprium eſt illi non mori, propter naturam Verbi, quæ mori non poteſt. Item propter ineffabile myſterium unionis utrarumque naturarum, communis in ipſo fuit mortalitas carnis Verbi naturæ quæ mori non potuit: & communis in ipſo eſt immortalitas Verbi naturæ carnis, quæ morti ſuccubuit.*

Neque S. Chryſoſtomus.

243. Objic. V. Auctoritas S. Chrys. qui Hom. III. in Cap. I. Epist. ad Hebræos scribit, quod ibi Apostolus feriat Judæos & Hæreticos, Samosatenum, Arianos, Sabellium & Marcionem. *Judæos quidem oſtendens duas perſonas, & Deum, & hominem.* Ergo S. Chrys. duas admisit in Christo personas. R. cum Sixto Senensi Lib. VI. Bibliothecæ Sanctæ, Adnotatione 329. Græcum Chrysostomi Codicem longe probabilius depravatum fuiſse: neque legendum eſse *Deum & hominem*, sed *Deum & Deum*, id est, Deum Patrem, & Deum Filium. Rationes quibus nititur aſsertio nostra, sunt hæ potiſsimum. I^ma, quia *Deus & Deus*, aptiſsime congruit cum proposita Pauli sententia ad exprimendas duas personas contra Judæos, qui unicam tantum in Deitate personam agnoscunt. II^da. Ipse S. Chrys. eadem Pauli verba, *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*, de duabus Sanctiſsimæ Trinitatis personis, Patre nempe & Filio intellexit Hom. V. de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos. III^tia. Theophilactus hæc eadem S. Chrysostomi verba refert, omiſsa hominis mentione, & nomine Dei bis posito: *Hoc adverſus Judæos, & Sabellium, & Marcellum pugnat, tamquam duas perſonas indicans, Deum & Deum.* IV^ta. Nestoriani, eorumque fautores hunc Chrysostomi locum numquam pro se allegarunt; facturi utique illius mentionem magno verborum apparatu, si inveniſsent. Quod si quis

per-

pertinaciter contendat, genuinam hanc esse Chrysostomi lectionem, dico per *hominem*, Christi Dei simul & hominis personam significari; per *Deum* vero personam Patris. Et quamvis torta videatur hæc expositio, præstat tamen Chrysostomum sic explicare, quam eum Nestoriani erroris reum agere nulla de causa: præcipue cum Cœlestinus Papa Epistola ad Clerum & Populum Constantinopolitanum scribat, nullum umquam in Constantinopolitana Sede Præcessorem Nestorii duas in Christo personas admisisse. Vide Tournely de Incarn. Quæst. VII. Art. I.

Neque aliorum Patrum auctoritas.

244. Objic. VI. Auctoritas aliorum Patrum. S. Basil. Christum vocat hominem *Deiferum*. S. Athan. hominem *Deificatum*. H. S. Ambr. Lib. V. de Fide, Cap. V. Et S. Aug. Lib. XI. de Civitate Dei, Cap. II. asserunt hominem fuisse a Verbo assumptum. Ergo etiam assumpta fuit persona humana. P. C. Verbum assumpsit humanitatem completam. Ergo etiam subsistentiam humanam, quæ est proprietas naturæ humanæ pertinens ad ejus dignitatem; alias dicendum foret, humanitatem Christi semper fuisse in statu violento. III. SS. Aug. & Nazianz. dicunt Christum esse *aliud* præter Verbum, & *aliud* præter hominem. IV. S. Aug. Tract. IV. in Joan. Verbum vocat Sponsum, & naturam humanam Sponsam. Atqui Sponsus & Sponsa sunt duæ personæ. Ergo. V. Patres dicunt unionem factam esse in persona, non in natura. Ergo persona Verbi unita fuit cum persona hominis. R. ad I. non de verbis, sed de sensu verborum quærendum esse. S. Basilius non ipsum Christum, sed carnem Christi vocat Deiferam propter unionem hypostaticam cum Divinitate. Immo ipse Christus ob hanc unionem vocari potest Deifer in sensu Catholico; licet hos loquendi modos in Nestorio reprehenderit S. Cyrillus ob pravam Nestorii explicationem, intelligentis ea verba de unione tantum morali. Ad II. C. A. N. C. Patres hi, Nestoriana hæresi nondum exorta, securius loquebantur, concretum sumentes pro abstracto, hominem pro humanitate;

nitate; centies enim docuerant unam tantum in Christo dari personam. Ad *prob.* D. A. Verbum assumpsit humanitatem completam in ratione naturæ, C. A. In ratione personæ, N. A. & C. Subsistentia qualiscumque, vel propria nempe vel aliena, est proprietas naturæ humanæ; non tamen determinate subsistentia propria, quæ supernaturaliter separari potest a natura humana, minusque illi optabilis fuerat; cum melius illi fuerit subsistere in Verbo quam in se ipsa. Ad III. R. per ea verba denotari distinctionem naturarum, non personæ. Ad IV. R. non ibi institui comparationem adæquatam, sed aliquo modo, & in sensu sano exprimi intimam conjunctionem Verbi cum natura humana, & perfectam bonorum communicationem. Ad V. N. C. Gemina de causa dicitur unio hypostatica facta fuisse in persona, non in natura. 1ma est, quia unio in eo proprie ac immediate facta dici debet, ex quo unus resultat Christus: atqui unus resultat Christus ex unione humanæ naturæ cum una Verbi persona, non cum una natura. II. Quia si unio immediate facta fuisset in natura divina, Pater & Spiritus Sanctus non minus incarnati dicendi forent quam Filius, cum natura divina una & eadem numero sit in tribus divinis personis.

Vel sequelæ evincunt.

245. Objic. VII. Sequelæ. Si unica datur in Christo persona, verissima foret propositio Monachorum Scytharum: *Unus de Trinitate passus, & crucifixus est carne.* Atqui hanc propositionem damnavit S. Hormisdas Papa. Ergo. II. Si unica datur in Christo persona, hoc ipso non erit composita. Atqui persona Christi est composita, ut Vta Synodus, seu CPolitana II. definivit Collatione VIII. Can. IV. *Sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam.* Ergo. R. C. M. N. m. Hormisdas neque propositionem illam, neque Monachos Scythas eam propugnantes damnavit ut hæreticos; sed judicavit tantum disceptationem

tionem hanc intempestivam esse, & turbandæ potius Ecclesiæ, quam ædificandæ opportunam. Monachos ipsos merito insectatus est, ut ipse loquitur in Epistola ad posseſsorem, *Ut contemptores auctoritatum veterum, ut novarum cupidos quæſtionum, eousque tumoris elatos, ut ad arbitrium ſuum utriuſque orbis putarent inclinandum eſſe judicium, nec in numero Fidelium deputarent ſequaces traditionis paternæ, ſi ſuæ viderent cedere nolle ſententiæ.* Satis itaque habuit, quin sententiam de ipsa propositione ferret, coercere tumultuantes Monachos, intacta & indiscusa propositione, cujus prædicationem tunc nocituram potius prævidebat, quod nonnullam specie tenus affinitatem cum Petri Fullonis recens proscripto dogmate habere videri posset iis, qui rem subtilius non discuterent: & quod absque ejus ope Synodus Chalcedonensis Eutychetis & Nestorii hæresin confixisset. Quia tamen Scythæ Monachi, eorumque adversarii Acœmetæ Orientem turbare non desinebant, Joannes II. Papa rogatus a Justiniano Imperatore, coacta Romæ Synodo propositionem illam ratam habuit, & Acœmetas Monachos velut Nestorianos damnavit, ut ipse Joannes II. refert in Epistola ad Justinianum Imp. A. 534. data, atque altera ad Senatores Avienum & Liberium. Idem paulo post in V^ta^ Synodo definitum est Can. X. *Si quis non confitetur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne, Deum eſſe verum, & Dominum gloriæ, & unum de Sancta Trinitate; talis anathema ſit.* Vide Henr. Card. Norisii Disert. de uno ex Sanctissima Trinitate passo, & Natalem Alexandrum Disert. II. in Hist. Eccl. Sæc. VI. Ad II. R. Persona Christi secundum se, & secundum id quod importat in recto, est omnino simplex; in recto enim importat personalitatem Verbi, quæ est simplicissima: at vero si eadem consideretur secundum id quod dicit in obliquo, in quo dicit duas naturas humanam & divinam inter se unitas, est persona composita, id est, subsistens in duabus naturis. Atque hoc sensu Constantinopolitanum II. personam Christi dicit esse

com-

compositam, sive unitionem factam esse secundum compositionem. Illico enim post citata verba subjungit: *Unitio enim per compositionem in Mysterio Christi non solum inconfuse ea quæ convenerunt conservat, sed nec divisionem suscipit.* Id est, nec naturas confundit, ut Eutyches docebat; nec personas dividit seu multiplicat, ut contendunt Nestoriani.

Maternitas Dei Nestorianorum ratiunculis minime subruitur.

246. Objic. VIII. contra III. Conclusionem, variæ ratiunculæ. I. Beata Virgo non genuit Divinitatem. Ergo dici nequit Deipara. II. Non potest dici Mater Verbi. Ergo neque Mater Dei. III. Mater debet esse Filio consubstantialis. Atqui B. Virgo non est Deo consubstantialis. Ergo non est Mater Dei. IV. Filius Dei extitit ab æterno. Ergo generari non potuit ex Maria in tempore. V. Si B. Virgo dicatur Mater Dei, dicitur etiam Mater Patris & Spiritus Sancti; quia vox *Deus* significat Deum ut communem tribus personis. VI. Si Maria est Mater Dei, sequitur Mariam esse Deam. VII. Ex una substantia non possunt generari duæ substantiæ. Atqui Deus & homo sunt duæ substantiæ. Ergo Maria non est simul Deipara, & Christipara. Resp. ad I. ratiunculam, C. A. N. C. Satis est, quod B. Virgo Deum genuerit incarnatum, hominemque factum: non quod Deo initium dederit existendi absolute, sed tantum in carne, id est, in natura hominis, cui eodem, quo genita est, momento copulatum & unitum est Verbum secundum hypostasin. Responsionem hanc paritate illustrat S. Cyril. Epist. ad Monachos: *Etsi mulieres istæ non nisi terrenorum sint corporum matres: nihilominus cum totum animal pepererint ex anima & corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, exempli causa, Elisabetham matrem Joannis carnis esse genitricem, non animæ: peperit enim animatum Baptistam, ac sic tamquam unum aliquid ex ambobus hominem, anima videlicet ac corpore.* Ad II. N. A. Est, & dicitur Mater Dei. Ergo etiam Verbi; cum Verbum & Filius Dei sint idem, & Joan. I. dicatur: *Verbum Caro factum est.* Ad III. D. M. Debet esse con-

consubstantialis ex aliqua parte, scilicet ratione naturæ humanæ, C. M. Ex omni parte, & ratione etiam naturæ divinæ. N. M. Cum B. Virgo Filium genuerit duabus constantem naturis, divina & humana, sufficit, quod illi consubstantialis fuerit secundum humanitatem: Neque Verbum fuit Filius Mariæ ratione Divinitatis, sed ratione humanitatis Verbo personaliter unitæ. Ad IV. Resp. C. A. D. C. Ergo non potuit ex Maria generari in tempore, qua Deus, C. C. Qua homo, N. C. Ut Maria Deum in tempore genuisse dicatur, plus non requiritur, quam ut natura humana, quam in tempore generavit, fuerit in primo conceptionis instanti assumpta a Verbo per unionem hypostaticam. Ad V. Resp. Quando B. Virgo Mater Dei dicitur, vox *Deus* ex mente Ecclesiæ determinatur ad Filium, sive secundam personam. Pari modo in Scripturis vox *Deus* determinatur ex circumstantiis ad Filium, ut v. g. Act. XX. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ad VI. N. illatum. Maria enim non genuit Divinitatem sine carne; sed carnem, quam assumpsit Deus per hypostaticam unionem. Ad VII. D. M. Si duæ substantiæ separatim generentur, C. M. Si una per se non generetur, sed ratione alterius, atque in unam hypostasin concurrant, N. M. Et sic distincta minore, N. C.

247. Dices. Beata Virgo tantum improprie vocari potest Mater Dei, eo fere modo, quo Mater Regis aut Sacerdotis dicitur, quæ genuit illum qui postea Regale solium conscendit, aut Sacerdotio initiatus est. Ergo. Resp. N. A. Beata Virgo vere ac proprie loquendo est Mater Dei, quia humanam naturam Christi genuit, jam in primo conditionis suæ instanti a Verbo assumptam per unionem hypostaticam. Juvat Vincentium Lerinensem audire Commonitorii Cap. XXI. ita diserentem. *Absit, ut quisquam Sanctam Mariam divinæ gratiæ privilegiis, & speciali gloria fraudare conetur: est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, Filii autem sui munere verissime*

ac beatiſſime Θεοτοκος *confitenda: ſed non eo modo* Θεοτοκος, *quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur, quæ aſſerit Dei Matrem ſola appellatione dicendam, quod eum ſcilicet pepererit hominem, qui poſtea factus eſt Deus, ſicut dicimus Presbyteri matrem, aut Epiſcopi, non jam Epiſcopum aut Presbyterum pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſtea Presbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita, inquam, Sancta Maria* Θεοτοκος; *ſed ideo potius, quoniam ut ſupra dictum eſt, jam in ejus ſacrato utero ſacroſanctum illud myſterium perpetratum eſt, quod propter ſingularem quamdam, atque unicam perſonæ unitatem, ſicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus eſt.*

CONTROVERSIA VIII.

AN CHRISTUS QUA HOMO FUERIT FILIUS DEI ADOPTIVUS?

CONTRA FELICEM, ET ELIPANDUM.

Quid ſit adoptio?

248. *Adoptio* a Jurisperitis describitur, gratuita personæ extraneæ ad hæreditatem aſsumptio. Persona autem extranea dicitur illa, quæ vi originis suæ jus non habet ad hæreditatem, ad quam adoptatur. Porro adoptio alia est humana, qua ad humanam; alia divina, qua ad divinam hæreditatem persona extranea aſsumitur per gratiam sanctificantem, quæ sola jus confert homini ad cœlestem hæreditatem. Hinc omnis & sola creatura intellectualis capax est adoptionis divinæ, cum omnis & sola fieri poſsit capax beatitudinis æternæ, quæ in Dei visione intuitiva & amore fruitivo consistit.

Elipandi, & Felicis error.

249. Post Nestorii vel extinctam vel compreſsam hæresin, quædam ejus semina pullularunt in Hispaniis auctoribus Episcopis duobus, qui Christum Deum hominemque confeſsi totidem quot naturæ sunt in eo Filios ineſse docuerunt; alterum naturalem, qui est Deus & Verbum: alterum adoptivum, qui est homo. Felix Urgellitanus Episcopus, teste Eginhar-

do

do in Annalibus ad annum 792. ab Elipando Toletano per litteras consultus, dicendusne foret Christus ut homo Filius Dei proprius & naturalis, an vero adoptivus: contra antiquam Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad Elipandum libris pravam opinionem pertinacissime defendit. Tum vero hi duo Episcopi conjunctis studiis diversas provincias erroris sui veneno inficere aggressi sunt: Elipandus Asturiam & Gallæciam: Felix Septimaniam, seu Narbonensem Galliam. Multo verisimilius est, utrumque idem cum Nestorio sensisse, quamvis Nestorii dogma disertis verbis non tradiderint, neque plures esse in Christo personas palam & aperte asseruerint. Præterquam enim, quod Christum in duos filios diviserint, naturalem unum, alterum adoptivum, Agobardus in Lib. contra Felicem scribit, post illius mortem cognovisse se per quosdam fideles Fratres, qui ab illo audierant, Felicem dixisse, *Deum, Dei Patris Filium, nullatenus dici debere passum, aut crucifixum, sed ab eo hominem assumptum; confirmare hoc nitens exemplo Isaac, qui a Patre ductus ad immolandum, non ipse, sed aries pro eo est immolatus, tamquam in Isaac figuratus sit Filius Dei, & in ariete Filius hominis.* Nestorianismum certe utrique exprobrarunt Patres Francofordienses in Epist. ad Episcopos Hispaniæ: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali Sancta Ecclesia refutata est, & damnata?* Paulinus Aquileiensis Lib. I. contra Felicem: *Modo Arium obvium amplectitur, modo prævium Nestorium gressu sequitur errabundo.* Jonas Aurelianensis Lib. I. de Cultu Imaginum, Agobardus Lugdunensis Lib. contra Felicem.

250. Elipando in Hispaniis palam restiterunt Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Presbyter. Quam primum vero Feliciana hæresis caput in Galliis & Germania exeruit, adnitente Carolo Magno qui rerum tunc potiebatur, in disquisitionem adducta pluribusque in Synodis damnata & elisa est. In Italia A. 791. habita est, Præside S. Paulino Aquilejæ Patriar- *Ab Ecclesia damnatur.*

cha, Synodus Forojuliensis, in qua decretum est, Christum proprium esse Dei Filium, non adoptivum, nec duos in illo Filios inesse. Qua professione hæresis hæc, sed nondum appellatis auctoribus, proscripta est. A. 792. ut Annales Francorum referunt, in judicium vocatus est Felix coram Carolo Magno Ratisbonæ, ubi Synodo congregata convictus, errore agnito Romam ad Hadrianum Pontificem ire jussus est, eoque deductus ab Angilberto Abbate coram Hadriano hæresin suam damnavit. At biennio post levis homo cum in pristinum errorem relapsus esset impellente Elipando, Carolus Magnus A. 794. ex omnibus ditionis suæ provinciis Episcopos & eruditionis fama celebres viros Francofurtum ad Synodum accivit, in qua unanimi consensu damnata iterum fuit hæresis, & anathema dictum in Felicem & Elipandum eorumque sectatores, nisi ad sanam mentem & fidem redirent. Data etiam fuit Synodica Epistola ab Episcopis Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ & Britanniæ ad Hispaniæ Episcopos, dogma Catholicum confirmans, & hæreticorum argumenta diluens, quam una cum Epistola Hadriani Papæ, & libello Sacrosyllabo Paulini Aquilejensis ad ipsos misit Carolus M. addita luculentissima Epistola Fidei professionem continente, & Elipandum ejusque sectatores ad ejurandum errorem adhortante. Anno 799. occasione libelli, quem contra Alcuini Epistolam Felix scripserat, & in quem damnatæ ab Ecclesia, & ab ipso semel iterumque ejuratæ hæreseos capita conjecerat omnia, Leo III. Romæ Synodum habuit Episcoporum LVII. qui anathemate Felicem confixere. Demum eodem A. 799. in causa Feliciana ultima habita est Synodus Aquisgrani, in qua Flaccus Alcuinus Abbas Sancti Martini Turonensis coram Carolo M. & Episcopis qui aderant, sex continuis diebus, nempe a secunda usque ad septimam Sabbathi, ut refert Anonymus in Vita Alcuini, cum Felice disputavit, eumque per plura fugientem latibula hæresis tandem ac malæ fidei convictum ob corruptos Sanctorum Patrum codices, ad sanam

men-

mentem reduxisse visus est. Felix damnatis iterum erroribus suis Communioni quidem restitutus est, non tamen Ecclesiæ suæ cui præerat, & quod vitæ superfuit, Lugduni transigere est jussus. Ex eo tempore hæresin suam numquam amplius ausus fuit palam defendere ac profiteri. An vero serio atque ex animo detestatus fuerit errores suos, aut saltem an in sana mente ac fide constans fuerit, a multis merito dubitatur ob schedulam post ejus obitum Lugduni inventam, de qua Agobardus Lugdunensis hæc habet initio libri adversus Felicem: *Post obitum Felicis illius, qui fuerat quondam Episcopus in Sede Urgellitana, inventa est a nobis quædam schedula ab eo edita sub specie interrogationis & responsionis: quam cum legentes consideraremus, inspeximus hominem diligenter & fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore Episcopatus depositus. Qui licet aliqua verba, quæ prius imprudenter efferebat, postea suppresserit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit.* Ado etiam Viennensis in Chronico de Felice scribit: *Quem ferunt in eodem ipso suo errore mortuum.* Elipandus pervicacissimus senex veritati diu restitit. Utrum vero ad sanam mentem & Catholicam Fidem aliquando redierit, omnino incertum est.

Christum, qua homo est, naturalem esse Dei Filium, ostenditur ex Scripturis

251. Conclusio Dogmatica. Christus, qua homo, proprius ac naturalis fuit Dei Filius, non adoptivus. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Cœlestis Pater semel iterumque hominem illum, quem coram mortales intuebantur, Filium suum esse testatus est. Matth. III. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Lucæ IX. v. 35. *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Christus Caiphæ dicenti, *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*, Matth. XXVI. respondit: *Tu dixisti.* Atqui non de alio quam vero & germano, id est, naturali Dei Filio percontatus est Summus Sacerdos, ut reum affectatæ Divinitatis facere possent Judæi

apud Pilatum, quod & reipsa præstiterunt, dicentes Joan. Cap. XIX. *Nos habemus legem, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, non adoptivum utique, quo nomine populus Judæorum universus, vel saltem præstanti sanctitate illustres in Scripturis afficiuntur; sed naturalem. Petrus interroganti Christo, quem se esse crederent, utique cum ipsis ambulantem, & pro homine se gerentem, ex cœlestis Patris instinctu respondit Matth. XVI. *Tu es Christus Filius Dei vivi:* & ob eam confessionem, illius quem prædicarat ore laudatus, ac præmio donatus est. Paulus ad Rom. VIII. scribit: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex quibus verbis hoc efflorescit argumentum: Ille, quem Pater tradidit, est proprius seu naturalis Dei Filius. Atqui Pater tradidit pro nobis omnibus Christum qua hominem. Ergo Christus qua homo proprius est ac naturalis Dei Filius.

Patribus Græcis.

252. Prob. II. Auctoritate Patrum tam Græcorum quam Latinorum. S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XX. *Cum interrogasset discipulos, Quem me homines dicunt esse Filium hominis? Petrus tum respondit, Tu es Christus Filius Dei vivi: & cum laudatus esset ab eo, quoniam caro & sanguis non revelavit ei, sed Pater qui est in cœlis, manifestum fecit, quoniam Filius hominis, hic est Christus Filius Dei vivi.* S. Dionysius Alexandr. in Epist. Synod. contra Paulum Samosat. *Ejectus itaque es revera, qui nec duos Christos, nec duos Filios Dei potes dicere.* S. Athan. Epist. ad Epictetum: *Propterea taceant, qui aliquando dixerunt eum, qui ex Maria processit, non ipsum esse Christum, & Dominum, & Deum. Nisi enim Deus esset, quinam statim atque ex Maria prodiit, vocatus est Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus?* S. Greg. Nazianz. Epist. ad Cledonium: *Si quis duos induxerit Filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex Matre: non autem unum & eumdem; is ab ea filiorum adoptione excidat, quæ recte credentibus est promissa.* S. Greg. Nyss. in

Libro

Libro contra Apollinarem: *Qui Apollinaris patrocinantur dogmatibus - - objiciunt, quosdam ex Ecclesia Catholica duos in suo dogmate filios agnoscere, alterum naturalem; alterum, qui adoptione postmodum accessit. Quod nescio a quonam audierint, aut cum qua persona luctentur. Nam hactenus neminem novi, qui talia perperam effutiret.* S. Cyril. Alexandr. in Dialogo de uno Christo, vehementer deplorat Filiorum binarium, quem non nulli perperam introducunt. *Binarius*, inquit, *filiorum inæqualis naturæ nobis exoritur, ac divina gloria servus ornatur: & spurius quidam filius pari, ac naturalis verusque, honoris excellentia decoratur. Etenim quomodo non diversus ille ac separatus est ab naturali, & vero filio, qui nuda solaque affinitate honoratus est, & ministri loco assumptus, & filii dignitate donatus, quemadmodum & nos ipsi?*

Eadem fuit Latinorum etiam Patrum doctrina. S. Hilar. Lib. III. de Trinit. de Christo ait: *Non solum nomine conteſtatus est esse se filium, sed & proprietate, qua dicitur tuum. Multi enim nos Filii Dei: sed non talis hic Filius est. Hic enim & verus & proprius est Filius, origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione: nativitate non creatione.* S. Damasus Epist. ad Paulinum Antiochenum: *Anathematizamus etiam eos, qui duos filios esse profitentur, unum ante sæcula, & alium post carnis assumptionem ex Virgine.* S. Ambr. Lib. V. de Fide, Cap. III. *Sed Ecclesiastica fide & Dei Patris, & David idem atque unus est Filius.* S. Hier. in Comment. ad Cap. IV. Epistolæ ad Ephesios, ad illa verba: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos*, hæc adnotat: *Hic locus adversum Ebionem & Photinum vel maxime facit. - - Nec non & contra eos, qui duos filios insano errore confingunt, filium videlicet Dei, & filium hominis. Ecce hic apertissime dicitur, quod ipse sit ascendens, atque descendens. Nec statim ista dicentes, locum alteri hæresi damus, quæ dimidiatam Christi asserit dispensationem. Sed sic unum & Dei & hominis filium confitemur, ne dispensationem assumpti hominis, qua salvati sumus,* *Et Latinis.*

ſumus, ex parte credentes, ex parte truncemus. S. Aug. in Enchiridio, Cap. XXXV. *Unus Dei Filius, idemque hominis Filius: unus hominis Filius, idemque Dei Filius: non duo Filii Dei Deus & homo, ſed unus Dei Filius.* S. Leo M. in celebri ad Flavianum Epistola, Cap. IV. *Unus enim idemque eſt, quod ſæpe dicendum eſt, vere Dei Filius, & vere hominis Filius.* Similia habent Leporius in libello emendationis, cui Africani Episcopi, atque hos inter S. Augustinus, subscripserunt. Cassianus Lib. II. de Incarnat. Cap. VI. Ferrandus Diaconus in Epist. ad Severum. Gennadius Lib. de Dogmat. Ecclesiast. Cap. II. S. Fulgentius Lib. III. ad Trasamundum, Cap. VI. & Lib. de Incarnat. Cap. II. S. Faustus Rejensis Epist. III. ad Gregorium Diaconum. Vigilius Tapsensis Lib. V. contra Eutychetem & Nestorium. Pelagius I. Epist. XVI. ad Childebertum Francorum Regem. S. Gregor. M. Lib. XVIII. Moralium, Cap. XXVII. Alcimus Avitus in fragmentis Operum. S. Jldephonsus Lib. de illibata Virginitate B. Mariæ &c.

Ex Conciliis. 253. Prob. III. Auctoritate Conciliorum, a quibus confosa fuit Feliciana hæresis. Forojuliense in Libello Episcoporum Italiæ ait: *Eos valde execramur, qui eum* (Christum) *adoptivum impio grunniunt ore: quia adoptivus dici non poteſt, niſi is, qui prius alienus eſt ab eo, a quo adoptari deſiderat.* Francofordiense in Epist. Synodica: *Unitas perſonæ Chriſti adoptionis tollit injuriam. Adoptio nullam habet ſignificationem, niſi ut Chriſtus Filius Dei proprius, & naturalis non ſit. Si vere Deus, & vere Filius: & ſi verus Filius, nequaquam adoptivus. Adoptivus dici non poteſt niſi is, qui alius eſt ab eo, a quo dicitur adoptatus.* Eadem Synodus in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, ex Scripturæ, Synodorum, ac veterum Patrum silentio negat Christum eſse adoptivum Filium. *Tu vero quisquis es,* inquit, *qui Chriſtum prædicas adoptivum, unde tibi iſte ſenſus veniſſet, voluiſſem ſcire: ubi hoc nomen didiciſſes, oſtende. Patriarchæ neſcierunt, Prophetæ non dixerunt, Apoſtoli non prædicaverunt, Sancti tractatores*

hoc

hoc nomen tacuerunt, Doctores Fidei noſtræ non docuerunt. Forte in tertium cœlum raptus fuiſti, & ibi audiſti arcana verba, quæ hucuſque Sanctæ Dei Eccleſiæ ignota eſſent, ſi tu in tertium cœlum raptus non eſſes. Aut ſuper pectus Domini recubuiſti, & ibi audiſti, quæ B. Joannes audire non meruit? Aut te per choros Angelorum Agnus ducens, hoc tibi nomen oſtendit? Aut tibi Leo de tribu Juda librum ſeptem ſigillis clauſum aperuit, unde hæc myſteria intelligeres, & nomina proferres, quæ quatuor animalibus incognita manſiſſent, immo toti mundo inaudita, niſi tu novus doctor ad declarandum tuum nomen veniſſes? Alcuinus Lib. VII. contra Felicem, Catholicum hoc dogma probat ex illis verbis, quibus Ecclesia orationes suas claudere solet: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat &c.*

Et ratione Theologica.

254. Prob. IV. Ratione Theologica. 1ma est. Essentia adoptionis postulat, ut adoptatus alienus sit respectu ejus, a quo adoptatur. At Christus nusquam alienus a Deo fuit, etiam qua homo. Ergo non est Filius Dei adoptivus. Ita Episcopi Italiæ in libello Sacrosyllabo. II. Adoptio cadit in personam extraneam, quæ non ex origine ac natura, sed favore ac gratia vocatur ad hæreditatem. Atqui nulla est in Christo Domino extranea persona, sed unica eaque divina, quæ ex natura sua & origine jus habet ad hæreditatem paternam, ut Ephesina Synodus contra Nestorium definivit, & priori Controversia late a nobis fuit ostensum. Ergo Christus nulla ex parte dici potest Filius Dei adoptivus. Ita PP. Francofordienses, & S. Paulinus Aquilejensis Lib. I. contra Felicem. III. B. Virgo est vere ac proprie Dei Genitrix. Atqui talis non foret, nisi Christus quatenus est hic homo, id est, qua genitus est ex B. Virgine, reipsa proprieque naturalis eſset Dei Filius in humana natura subsistens. Ergo. Ita Alcuinus Lib. I. contra Felicem.

Argu-

Argumenta contraria refutantur.

Felicianis neque patrocinatur Scriptura.

255. Objic. I. Auctoritas Scripturarum. Christus qua homo in Scripturis sæpius vocatur servus & creatura, ut v. g. Isaiæ XLII. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Isaiæ XLIX. *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi.* Act. II. *Et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Ad Rom. I. *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Ergo hoc ipso Christus qua homo in Scripturis implicite saltem vocatur Filius Dei adoptivus. R. D. A. Christus vocatur in Scripturis servus in sensu latiori, & creatura secundum essentiam ac naturæ humanæ proprietatem, C. A. Vocatur servus in stricta significatione, & creatura quoad subsistendi modum, sive personam, N. A. & C. Servus in rigore ac stricta significatione is tantum dicitur, qui sui juris non est, sed alieni, nec per se ullum jus habet ad bona Domini, cum sit persona extranea. In latiore significatione servus quandoque dicitur, qui dependentem habet naturam, qui alterius voluntati obtemperat, eique subditus est. Sic filii dicuntur servire patri, & injunctum opus exequi. Hinc diversæ inter se Patrum de servitute Christi sententiæ facile conciliari possunt. Christum servum quoad humanitatem posse nuncupari docere videntur. S. Athan. Orat. I. contra Arianos. S. Greg. Nazianz. Orat. XXXVI. S. Greg. Nyss. in Opusculo de Fide ad Simplicium. Theodotus Ancyranus Hom. I. contra Nestorium. S. Cyril. Alexandr. in responsione ad Theodoreti reprehensionem ad Anathematismum VI. S. Ambr. Lib. V. de Fide, Cap. III. S. Aug. Enarr. in Psal. CVIII. S. Hilar, Lib. XI. de Trinit. Contra negant alii Patres Christum, etiam qua hominem, servum extitisse, ut S. Dionysius Alexandr. in Epist. contra Paulum Samosatenum. Theodoretus in confutatione sexti Anathematismi Cyrilliani. S. Joan. Damasc. Lib. III. de Fide Orthod.

thod. Cap XXI. S. Aug. Tract. III. in Joan. Etherius & Beatus in Lib. contra Elipandum. Flaccus Alcuinus Lib. V. contra Felicem. Francofordiensis Synodus in Epist. Synodica: *Si enim Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum, vel adoptivum.* Et S. Hadrianus I. in sua ad Hispaniæ Episcopos contra Elipandum Epistola: *Adoptivum eum Filium quasi purum hominem, et, quod pudet dicere, servum eum impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos a servitute diaboli liberavit?* Primi itaque admittunt Christum qua hominem, servum vocari posse in latiore significatione: Posteriores negant id de Christo affirmari posse in rigore, ac stricto sensu. Quæ sibi nullo modo invicem opponuntur. Pari ratione conciliari inter se possunt veteres illi Patres, quorum alii Christum, qua hominem, esse creaturam asserunt, habito nempe respectu ad naturam humanam, ut S. Athan. Orat. I. & III. contra Arianos. S. Greg. Nazianz. Orat. XXXVI. S. Cyril. Alexandr. Epist. I. ad Successum. S. Joan. Damasc. Lib. III. de Fide Orthodoxa, Cap. III. S. Hilar. Lib. XII. de Trinit. S. Ambr. Lib. I. de Fide, Cap. VI. Et Sermone V. in Psalm. CXVIII. S. Hier. Comment. ad Caput II. Epist. ad Ephes. S. Aug. in Enchiridio, Cap. XXXVIII. S. Leo M. Serm. II. de Pentecoste. S. Fulgentius in responsione ad Quæstionem II. Ferrandi. Vigilius Tapsensis Lib. IV. contra Eutychem & Nestorium. Alii autem negant Christum ut hominem dici posse creaturam, nempe quoad modum subsistendi, sive personam, ut S. Ambr. in Epist. ad Gratianum Imp. quæ præfixa est Libris de Fide. Faustinus in Lib. contra Arianos. S. Epiphan. Hær. LXIX. S. Proclus Orat. V. Joannes Maxentius in Dialogo secundo &c. Vide Petavium de Incarn. Lib. VII. Cap. VI. VII. VIII. & IX.

Neque S. Hilarius.

256. Objic. II. Auctoritas S. Hilarii. S. Doctor Lib. II. Cap. XXVII. de Trinitate scribit: *Aliud intelligitur, aliud videtur: aliud oculis, aliud mente conſpicitur. Parit Virgo; partus a Deo eſt: Infans vagit; laudantes Angeli audiuntur. Panni ſordent: Deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Ergo juxta S. Hilarium Christus qua homo est Filius Dei adoptivus. R. I. N. C. Caro adoptata nihil aliud hic significat, quam carnem fuiſse aſsumptam per unionem hypostaticam: Quam alienus enim fuerit S. Hilarius ab errore Feliciano, seu Adoptionariorum, paulo inferius pluribus demonstrabitur. R. II. Locum illum B. Hilarii genuinum non eſse, sed vitiatum, teste Hincmaro Rhemensi, Sæculi IX. Scriptore, qui in Tractatu de non trina Deitate scribit: *Felix Urgellitanæ quondam Civitatis Epiſcopus infelix, in libro B. Hilarii, ubi idem Sanctus dixerat, carnis humilitas ADORATUR, tempore Caroli M. Imperatoris, quoscunque hinc codices arripere potuit, in omnibus adulteravit, carnis humilitas ADOPTATUR; ut quia per veritatem non poterat, de mendacio ſuam adſtipularetur ſententiam.* Eamdem Hincmarus instauravit accusationem duobus annis post in Præfatione Tractatus de Prædestinatione: *Sicut ipſorum, qui interfuerunt* (Aquisgranensi A. 799.) *relatione didicimus, quando divæ memoriæ Dominus Carolus Felicem, infelicem Urgellitanæ Civitatis Epiſcopum, Synodali Decreto hæreticum comprobatum, atque damnatum comperit, etiam revictum invenit, quia corrupto muneribus juniore Bibliothecario Aquenſis palatii librum B. Hilarii raſit; & ubi ſcriptum erat, quia in Dei Filio carnis humilitas ADORATUR, immiſit, carnis humilitas ADOPTATUR.* Hæc autem tempora non adeo remota erant ab Hincmari ætate, ut is non potuerit facile plures videre ex iis, qui Concilio interfuerant, & cum iis versari. Hincmari narratio confirmatur I. Auctoritate vetustiſsimi codicis, qui antè nongentos annos harum rerum peritis descriptus videtur, adeoque æqualis temporum Felicis

&

& Alcuini. Hic codex, qui nunc quidem asservatur in Monasterio Sangermanensi, antea vero fuit in Bibliotheca Corbeiensi, olim Aquisgranensi, postremas hasce syllabas *ptatur* loco abraso exhibet: atque adeo is ipse esse videtur, quem Hincmarus a Felice Urgellitano adulteratum fuisse conquestus est. II. Auctoritate Alcuini, qui Lib. II. contra Felicem scribit: *Nunc operæ pretium est aliqua ex Sanctorum Doctorum libellis testimonia proferre, quæ tu etiam contrario sensu flectere ad tuæ partis confirmationem niteris, quæ omnino tibi esse adversaria, & tui erroris sectæ valde contraria intelligentur. Insuper & quædam calliditatis tuæ nequitia subtrahis, quæ tuam hæresin damnare videntur. Quædam vero consueta tibi versutia immutare non times; ut in libris B. Hilarii feciße videris: ubi ille præcipuus Doctor & Catholicus ait, Potestatis dignitas non amittitur; tu omnino perversissime dicis, ADOPTATUR, ubi B. Hilarius ait, ADORATUR. Carnis equidem a Magis humilitas adorata est, & mystici munerum speciebus honorata, non adoptata. Quod perspicue ex antecedentibus verbis ejusdem Doctoris intelligi potest.* Ex quibus aperte colligitur, non modo a Felice corruptos fuisse codices aliquos S. Hilarii; verum etiam Alcuinum in suis codicibus legisse *adoratur*, non *adoptatur:* alias his verbis compellare ausus non fuisset adversarium: *Tu omnino perversissime dicis, ADOPTATUR, ubi B. Hilarius ait ADORATUR.* Si enim jam tum in codicibus Hilarii non vitiatis lectum fuisset *adoptatur*, Felix Hilarii verba non perversisime, sed fideliter recitasset.

257. Dices I. Alcuinus in libris suis contra Felicem fraudem hanc Aquisgrani commissam numquam illi exprobravit. Ergo Hincmari narratio merito suspecta esse debet. R. C. A. N. C. Alcuinus scripsit equidem libros illos post Felicis condemnationem; sed non ideo scripsit post Aquisgranense Concilium, in quo fraus hæc a Felice commissa est: sæpius enim Felix damnatus est, nempe A. 792. in Ratisbonensi

Concilio, deinde etiam ab Hadriano I. Pontifice: tum duobus post annis in Francofordiensi A. 794. atque iterum Romæ in Synodo, quam ibi Leo III. A. 799. celebravit. Contra Elipandum Toletanum scripsit Alcuinus libros IV. post commissam Aquisgrani a Felice fraudem, quin tamen illius meminerit, tum quia Elipandus eo non utebatur loco, quem Felix Aquisgrani adulteraverat: tum quia Felicem amplius vexare noluit, quod ad sanam mentem rediisse, ac Catholicam veritatem amplexus esse videretur, Alcuino plene reconciliatus.

258. Dices II. Agobardus Lugdunensis, inventa post mortem Felicis scheda, qua veterem suum errorem instaurabat, librum contra Felicem scripsit, ut ejus improbitatem ac nequitiam omnibus notam faceret: neque tamen fraudis hujus Aquisgrani commissæ meminit. Ergo. R. Scelus id Agobardum tunc latebat. Aquisgranenses enim Patres, cum Felix errorem omnino abjecisse videretur putantes Catholicæ unitatis interesse, ut Felicis merita extollerentur, contractam ab illo Aquisgrani infamiam ex perfida codicum violatione non modo obliterare, sed etiam hominem magnis laudibus cumulatum voluerunt: neque passi sunt, ut postea Felix, quem in veritate tuenda constantem fore deinceps existimabant, a quoquam Catholico vellicaretur, & scriptis vexaretur. At vero ubi vulgato Agobardi libro Felicis nequitia, & in errore ad mortem usque pertinacia innotuit, factum est, ut illi qui adhuc in vivis supererant ex Aquisgranensi Concilio Patres, non amplius religioni sibi duxerint ea palam enarrare, quæ idem Felix perfide Aquisgrani gesserat.

259. Dices III. Quamvis daretur, Aquisgranensem S. Hilarii codicem a Felice vitiatum fuisse, probari tamen nequit Felicianam lectionem genuinam non esse, eamque in pluribus codicibus Felice antiquioribus non extitisse. Ergo. R. N. A. Nam I. Alcuinus falsi crimen impegit Felici: neque is ab hoc crimine se umquam purgavit, immo Aquisgrani novam fraudem

dem postea molitus est. Ergo non Gallicani modo, sed Hispanici etiam codices, antequam a Felice vitiarentur, habebant *adoratur*. II. Si Hincmarus in sinceris S. Hilarii exemplaribus legisset *adoptatur*, numquam ille pro sua æquitate & prudentia Felici exprobrasset, quod in Aquisgranensibus codicibus verbo *adoratur* posterius illud *adoptatur* perfide substituerit. Porro siquid Hincmaro hac in re improvide excidisset ac falso dictum, profecto non tacuissent Gothescalcus, Ratramnus, cæterique adversarii Hincmari: nec si isti eum mendacii arguissent, ipse eamdem, ac falsi convictam narrationem denuo instaurare ausus fuisset in Tractatu de Prædestinatione. III. Lectioni *adoratur* favent antiquæ editiones Georgii Cribelli, Badii Ascensii, Erasmi Roterodami, Ludovici Miræi &c. & antiquissimi codices, quibus editores illi usi sunt in adornandis suis editionibus. IV. Id evincere videtur stylus S. Hilarii, & consueta ejus loquendi ratio. Quotiescunque enim S. Hilarius de Incarnatione loquitur; loquitur autem sæpissime, semper ait naturam humanam a Verbo divino esse *assumptam*, vel susceptam, nusquam dicit *adoptatam*. Cujus rei juvat aliqua exempla referre. Tract. in Psalm. LXV. ait, *in æternam gloriam transferri assumptæ ex Virgine carnis naturam*. Tract. in Psalm. CXXIV. docet, *Christum esse montem supereminentem & excelsum, in quo ipsi nosmetipsos speculamur per assumptionem carnis nostræ, corporisque*. Tract. in Psalm. CXLIII. postquam retulit illum Evangelii versum, ubi Christus Dominus ait: *Omnia data sunt mihi in cœlo, & in terra*, statim adjicit: *Data post hominis assumptionem*. Eodem rursum in loco: *Formam servi assumens, usque ad mortem obediens fuit. Obedientiæ ergo illi, per quam habitus servilis assumitur, & habitui illi servili id donatur*. Lib. VI. de Trinit. *Neminem tam alienum a communi sensu existimo esse, ut cum in omnibus Evangeliorum libris ex professione fidei assumptionem corporeæ humilitatis intelligat*. Et Lib. IX. de Trinit. ait, *in formam Dei assumi assumptionem formæ servilis*. Unicus Hilarii locus

cus est, in quo adoptionis nomen videtur sumi pro assumptione. Tract. in Psalm. CXXVII. *Docemur eum esse, qui promissus sit gentibus, cuique a Patre Ecclesiæ hæreditas per adoptionem corporis, quod ex Virgine præsumpturus esset, desponsa sit.* Ita locum hunc exhibent manuscripti duo codices, Regius scilicet, & Turonensis. Verum cæteræ omnes editiones, cæterique codices manuscripti omnes pro ista voce *adoptionem*, alteram hanc habent *adeptionem.* Neque vero mirari debemus, quod S. Hilarius, quoties de suscepta a Verbo divino natura humana loquitur, verbum *adoptandi* tam sollicite devitet. Intelligebat scilicet acutissimus Vir, atque eximius Doctor, isto vocabulo abuti posse novatores illos, qui Christum Filium Dei dumtaxat adoptivum esse mentiebantur: quam hæresin ipse disertissime, ac sæpissime impugnat. Nam quamquam Nestorio & ejus asseclis multo est antiquior; quia tamen manus sæpe conseruit cum Arianis, ex quorum hæresi consequens erat Christum non esse vere, proprie ac secundum naturam, sed tantum per adoptionem & nuncupationem Filium Dei; istud etiam ipse diserte confutat, & in eo confutando libri sexti de Trinitate partem longe maximam insumit. Cum ergo S. Hilarius tam studiose, tam sæpe adoptionis nomen a Christo amoverit; cum eos hæreticis adnumeret, qui docuerant Christum esse Filium Dei adoptivum: cum adoptandi verbum, ubicunque agit de suscepta a Verbo divino naturæ nostræ infirmitate, sollicite fugiat, minime credendum est ipsum scripsisse, *carnis humilitas adoptatur*, ubi Alcuinus legebat, *carnis humilitas adoratur.*

260. Dices IV. Agobardus Lugdunensis in Libro contra Felicem Cap. XL. illum S. Hilarii locum examinans, admittit S. Hilarium dicere, *Carnis humilitas adoptatur:* sed ait Felicem malum fuisse S. Hilarii interpretem, eoquod Felix ad Filii adoptionem a Patre ea transtulerit, quæ de carnis assumptione vel susceptione dicta fuerant. Ergo ita legebatur in Lugdunensibus S. Hilarii codicibus. R. Codices S. Hi-

Hilarii, quos Agobardus in manibus habuit, non esse ab omni suspicione immunes. Nam I. cum scripserit librum illum Agobardus A. 837. id est, annis XXXVIII. post Aquisgranense Concilium, facile contingere potuit, ut Lugdunenses S. Hilarii codices ex illo corrupto Aquisgranensi codice manarint; XXXVIII. enim annorum spatio potuit Feliciana lectio spuria latissime propagari. II. Felix jam ab initio aliquot habuit Lugduni discipulos, ut patet ex Epistola LXIX. Alcuini ad Fratres Lugdunenses. III. Ab Aquisgranensis Concilii temporibus ad mortem usque Felix Lugduni substitit, atque ibi multos exteriori pietatis specie delusos sibi devinxit, ut ipse Agobardus testatur in eodem libro contra Felicem, Cap. II. Ergo facile potuit adulterinam suam lectionem in Lugdunenses S. Hilarii codices invehere. IV. Agobardus Felicis fraudem atque insidias præcavere non potuit, quippe qui non modo perdiu profugus fuerit; sed etiam ea ignoraverit, quæ Aquisgrani gesta erant. V. Hincmarus, qui XX. circiter annis post Agobardum geminum illum Tractatum de non trina Deitate, ac de Prædestinatione scripsit, palam affirmare ausus non fuisset semel atque iterum, rasis perfide codicibus locum hunc D. Hilarii a Felice corruptum fuisse, nisi Lugdunenses S. Hilarii codices illis adnumerasset, qui vel a Felice adulterati, vel ex adulteratis exscripti fuerant. Vide, quæ hac de re per duodecim Capita fuse disserit Vir eruditissimus, Bartholomæus Germon Lib. II. Parte II. de veteribus hæreticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus.

261. Objic. III. Auctoritas aliorum Patrum. I. S. Irenæus Lib. III. adv. Hæreses, Cap. XXI. scribit: *Propter hoc Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* II. S. Cyril. Alexandr. Dialogo II. contra Arianos: *Constat igitur, id quod recte se habere tute ipse confiteris, consentaneum esse, ut tunc datum existimemus fuisse Filio nomen illud, quod* *Aut alii Patres.*

est

eſt ſuper omne nomen, quando & formam noſtri ſimilem ſubiens, tamquam unus ex nobis in Filium adſcriptus eſt Dei, adoptatus nobiſcum & propter nos ille verus ac germanus, ut & nos propter ipſum filii ſimus, gloriæ illius, quæ naturam ſuperat, comprehenſores, ac participes. S. Augustinus Lib. de Prædestinatione Sanctorum, Cap. XV. *Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe Salvator, ipſe Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparavit? -- Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus.* R. ad I. Verba illa S. Irenæi, *ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei*, non referenda eſse ad Christum, sed ad homines qui per Christum adoptionem filiorum percipiunt, ut constat ex textu Græco apud Theodoretum Dial. I. qui testimonium hoc S. Irenæi laudat, quemque Jacobus Billius ita latine reddit: *ob eam enim cauſam Verbum hominem induit, & filius Dei filius hominis factus eſt, ut homo Verbi capax effectus, atque adoptionem conſecutus, filius Dei efficiatur.* Hunc legitimum eſse S. Irenæi sensum antecedentia ac consequentia demonstrant; illico enim post verba in objectione laudata subjungitur: *Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, niſi adunati eſſemus incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari poſſemus incorruptelæ & immortalitati, niſi prius incorruptela & immortalitas fuiſſet id quod & nos, ut abſorberetur, quod erat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale, ab immortalitate, ut filiorum adoptionem perciperemus?* R. ad II. SS. Cyrillum & Augustinum longe remotos fuisse ab errore Felicis & Elipandi, demonstrant loca, tum in hac, tum in priori Controversia a nobis laudata. Quare sensus illorum Patrum est, naturam humanam gratis, & absque ullis præcedentibus meritis adoptatam fuisse, id est, aſsumptam ad unionem hypostaticam cum Verbo. Non itaque de persona

Chri-

Christi loquuntur, sed de natura: neque enim persona hominis, sed ejus natura a Verbo assumpta fuit, & quidem gratuito, ex mera Dei liberalitate; quæ assumptio adoptio hic dicitur sensu longe diverso ab eo, de quo hic controversia movetur. Porro Christus prædestinatus dicitur ab Apostolo, & Augustino, non quod illi a Patre cœlestis hæreditas ex mera gratia decreta fuerit, ad quam ratione originis ac naturæ suæ, utpote verus, naturalis, ac proprius Dei Filius jus habebat; sed quia ex gratuito favore ac mera gratia Deus humanam naturam prædestinavit ad intimam illam & arctissimam cum Deo conjunctionem, ut eamdem haberet cum Deo personam. Atque hanc Christi prædestinationem vult Augustinus esse exemplar, atque archetypon illius, qua electi ad gratiam prædestinati esse dicuntur. Quemadmodum enim Deus humanam naturam, sine ullis antecedentibus meritis, ex mera gratia prædestinavit, ut per unionem hypostaticam assumeretur a Verbo: ita etiam ex gratuito prorsus & liberali favore, absque ullis præcedentibus meritis, electi prædestinantur ad gratiam, ut Filii Dei sint adoptivi.

262. Objic. IV. Ratio Theologica. I. Christus, qua homo, habuit gratiam sanctificantem, quæ est ratio adoptionis. Ergo qua homo fuit Filius Dei adoptivus. II. Christus, qua homo, dicitur passus ac mortuus. Ergo nihil obest quo minus dicatur Filius adoptivus. III. Christiani sunt filii Dei adoptivi, & membra Christi. Ergo habent caput adoptivum quod sit ejusdem rationis cum membris. IV. Christus ut homo Filius est naturalis Davidis. Ergo ut homo non est Filius naturalis Dei, sed adoptivus; quia unus homo duos patres naturales habere nequit. V. Humanitas Christi non est genita ex Dei substantia. Ergo Christus ut homo non est naturalis Filius Dei. R. ad I. rationem, C. A. N. C. Duplex est gratiæ sanctificantis effectus. Primarius est, eum cui inest sanctum efficere: secundarius, & absolute separabilis est, facere filium adoptivum Dei, siquidem *Neque Ratio Theologica.*

subjectum hujus denominationis sit capax. At vero Christus, etiam ut homo, cum non sit persona Deo extranea, non est subjectum capax hujus denominationis. Ad II. R. Denominationes illæ, *paßus*, *mortuus*, hisque similes, conveniunt Christo ratione naturæ humanæ: contra denominatio filii adoptivi afficit personam, quæ cum unica in Christo fuerit, eaque divina, dici is nulla ratione potest Filius Dei adoptivus. Ad III. R. N. C. cum ratione addita. Siquis enim naturalis filius quempiam adoptet, non sequitur adoptantem eſse filium adoptivum Patris, a quo genitus est; sed tantum eſse patrem adoptivum ejus, quem adoptavit. Alcuinus Lib. II. contra Felicem putidam hanc objectionem hoc modo retorquet: *Si Chriſtus, qui eſt caput omnium noſtrum, adoptivus eſt propter membra adoptiva, quod nos ſumus, nonne vides ea ratione poße dici Deum Patrem eße adoptivum, qui caput eſt Chriſti? Nam caput in corpore membrum eſt; Et qui caput eſt capitis, quomodo propter adoptionem capitis, quod Chriſtus eſt, non erit & illud principale caput adoptivum? Quod quam impium & abſurdum ſit, nemo ſanum ſapiens non intelligit.* Ad IV. N. A. David inter progenitores Christi numerari potest, quia Christus ex Bma Virgine orta ex stirpe David carnem sumpsit: At vero Pater Christi dici nequit, quia B. Virgo fructum ventris sui absque viri opera edidit. Ergo Christus etiam qua homo alium naturalem Patrem non habuit quam cœlestem, cum una fuerit in Christo persona, eaque divina, quam Deus Pater genuit. Ad V. N. C. Ut Christus qua homo, naturalis sit Dei Filius, neceſse non est, ut humanitas Christi ex Dei substantia sit genita; sed satis est, quod tota Christi persona genita sit ex substantia Dei Patris: sicut homo naturalis dicitur patris sui filius, quamvis anima a patre non sit genita.

263. Dices I. Christus ut homo non est Deus. Ergo ut homo non est Filius Dei naturalis, sed adoptivus. P. C. Christus eatenus est Filius naturalis Dei, quatenus est Deus, & habet Patris naturam. Atqui

qua-

quatenus est homo, non est Deus, nec habet Patris naturam. Ergo quatenus est homo, non est Filius naturalis Dei. R. C. A. N. C. Deus denotat naturam divinam; Filius vero denotat personam in similitudinem naturæ genitam. Jam vero Christus secundum naturam humanam non est a Deo genitus, ideoque non est Deus: Persona vero, quæ terminat naturam humanam, est a Deo Patre genita, ideoque Christus ut homo est Filius naturalis Dei. Ad *probat.* N. M. Christus non est Filius Dei, quatenus est Deus, & Patris naturam habet, alias etiam Spiritus Sanctus foret Filius Dei; sed Christus Filius Dei est, quatenus a Deo est genitus in similitudinem naturæ. Atqui persona Verbi ut terminans naturam humanam, est persona genita in similitudinem naturæ. Ergo persona Verbi ut terminans naturam humanam, est Filius naturalis Dei.

264. Dices II. Christus, juxta dicta, eatenus est Filius Dei, quatenus est a Deo Patre genitus. Atqui Christus ut homo, non est genitus a Deo Patre, sed a B. Virgine. Ergo ut homo non est Filius Dei. R. C. M. D. m. Ut homo non est genitus a Deo Patre, sed a Matre, ratione naturæ humanæ in tempore assumptæ, C. m. Ratione personæ divinæ assumentis, & terminantis naturam humanam, N. m. Persona divina, ad quam terminatur generatio temporalis, est ab æterno genita in similitudinem naturæ Patris æterni. Ergo Christus qua Deus & qua homo, est Filius Dei naturalis. Nimirum Christus qua homo non est Filius Dei naturalis propter æternam generationem; si quidem naturam humanam in tempore assumpsit: sed propter unionem personalem, sive hypostaticam, cujus beneficio Christus ut homo substitit eadem subsistentia, qua substitit ut Deus. Unde cum ille qui subsistit subsistentia Verbi, sit naturalis Dei Filius, Christus ut homo subsistens subsistentia Verbi, est pariter naturalis Dei Filius. Quare Filiatio naturalis Christi qua hominis fundatur in unio-

unione hypostatica, ratione cujus Christus qua homo est Filius Dei naturalis.

265. Dices III. Quamvis Christus qua homo in concreto sumptus, Filius sit naturalis Dei; in abstracto tamen, id est, humanitas Christi dici potest ac debet Filia adoptiva Dei; Ergo. R. N. A. Humanitas Christi in abstracto Filiationis sive naturalis sive adoptivæ non est capax; cum hæc denominatio non afficiat naturam, sed personam. Atqui humanitas in abstracto non est persona, sed natura. Ergo.

CONTROVERSIA IX.

AN IN CHRISTO DUPLEX DETUR NATURA, DIVINA ET HUMANA, IMPERMIXTA ET INCONFUSA?

CONTRA EUTYCHIANOS.

Eutychetis errores.

266. Cum adversus Nestoriani dogmatis impietatem vehementer, ut par erat, insurgerent Catholici; Presbyter quidam provectæ jam ætatis, cui nomen Eutyches, celeberrimi in Urbe CPoli Monasterii Archimandrita, imperitia magis quam versutia, justo longius progressus est. Eodem quippe abutens principio, quo & Nestorius in errorem lapsus fuerat, multiplicatis nempe naturis necesse esse ut & personæ multiplicentur, naturarum in Christo discrimen sustulit, unam ut hypostasin ita & naturam ei tribuendam esse contendens. Triplex autem ab Ecclesiasticis Auctoribus Eutychis flagitium enumeratur. Primum, quod carnem Christi ex Virgine negabat esse sumptam, sed de cœlo a Verbo delatam, ut referunt S. Flavianus Epist. ad S. Leonem. Theodoretus Lib. IV. Hæret. Fab. Cap. XIII. S. Fulgentius in Responsione ad Quæstionem IV. Ferrandi. Gennadius Lib. de Eccl. Dogmat. Cap. II. Vigilius Tapsensis initio Lib. III. contra Eutychem. Liberatus in Breviario Cap. XI. Secundum caput erroris fuit, quod ante unitionem naturas in Christo fuisse duas asserebat. Quæ opinio perfatua omnino est,

atque

atque hæretica, cum ne momento quidem ante Incarnationem Verbi sive unitionem, humana Christi natura extiterit; alias datæ fuissent in Christo duæ personæ, saltem successive. Tertium ac præcipuum erat, quod unam tantum agnosceret in Christo naturam post unionem. Hinc S. Flavianus in Epist. ad S. Leonem Eutychetis errorem his verbis describit: *Ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse, humanitatis & Divinitatis: post unitionem vero unam naturam factam.* Et Catholici passim in condendis professionis Catholicæ formulis, ad intercludendum Eutychianæ perfidiæ venenum, usurpare solebant illud: *Ex duabus, & in duabus perfectis naturis Christum sine ulla confusione subsistere.* At vero quo sensu docuerit Eutyches post adunationem unam esse in Christo naturam; an scilicet unam voluerit esse per commixtionem, an per compositionem, aut conversionem: Item an existimarit divinam naturam in humanam, vel vice versa humanam potius in divinam fuisse conversam, atque ab eadem absorptam penitus, liquidum id atque exploratum non est. Posterius id probabilius videtur sensisse, si Vigilio Tapsensi, & Gelasio credimus Lib. de duabus in Christo naturis adversus Eutychetem & Nestorium. Apud Theodoretum certe in Dialogo *Inconfusus*, cum dixisset Orthodoxus: *Doce nos quomodo unam post unionem dicas naturam: an quod una ex ambobus facta sit? an quod altera deleta, altera remanserit?* Respondet Eranistes Eutychianorum causam agens: *Ego dico mansisse Divinitatem, ab hac vero absorptam esse humanitatem.* Et statim id explicat exemplo maris. *Ut mare mellis guttam si accipiat*, inquit, *statim enim gutta illa evanescit, aquæ maris permixta.* Quod si dicas conciliari id non posse cum Incarnationis mysterio, quod Eutyches admittebat. R. Eutychen verbotenus Incarnationem confessum fuisse, sed adorandum illud Mysterium reipsa evertisse, ut passim ipsi exprobrant Sancti Patres: & duo hæc adeo pugnantia, absque ulla rationis specie, atque incohærenter omnino propugnasse,

gnaſse, Verbum scilicet fuiſse incarnatum, & in eo carnis non fuiſse naturam post unitionem. Atque idcirco hominis imperitiam ac vecordiam S. Leo M. paſsim sugillat.

A veteribus hæreticis præformati.

267. Præformatores erroris sui habuit Eutyches veteres hæreticos, Phantasiastas, Valentinum, Manichæos, & Apollinaristas, sive Apollinaris Laodiceni discipulos, quorum aliqui divinam ipsam Verbi substantiam in carnem conversam eſse effuticbant, ut colligitur ex S. Greg. Nyss. in Opusculo contra Apollinaristas, ex S. Ambr. Lib. de Incarnat. Cap. VI. ex S. Leone Serm. IX. de Quadrag. ex Gennadio Lib. de Dogmat. Eccles. Cap. II. ex Facundo Hermianensi Lib. VI. pro defens. Synodi Chalced. Alii vero corpus Christi Divinitati consubstantiale eſse aſserebant; ex quo sequebatur patibilem eſse Divinitatem Verbi, ac revera cruciatus & mortem eſse perpeſsam. Id constat ex S. Athanasio Lib. de Incarnat. Verbi contra Apollinarium, & in Epistola ad Epictetum, ex S. Epiphanio, & Theodoreto Dialogo III. Quin, quod mirandum magis, Nestorianæ quoque hæreseos partem, a qua tamen vehementer abhorrere videbatur, imprudens adoptavit. Cum enim duas ante unitionem naturas extitiſse admiserit, & carnem Christi ex Virgine assumptam negaverit, geminam succeſsive in Christo personam extitiſse fatetur, & cum Nestorio sentit Mariam non modo dici non poſse Deiparam, sed etiam Christiparam non fuiſse; quod tamen Nestorius numquam aſseruit. Merito itaque de Eutyche scribit S. Leo M. Epist. XI. ad Julianum Coensem: *Quid prodeſt imprudentiſſimo ſeni, Neſtorianæ hæreſeos nomine, lacerare opinionem, quorum piiſſimam convellere non poteſt fidem? cum quantum Neſtorius a veritate diſceſſit, Deitatem Verbi ab aſſumpti hominis ſubſtantia ſeparando, tantum a recto tramite etiam iſte deſciſcat, qui Unigenitum Dei Filium ſic de utero B. Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit? De quo prodigio falſitatis*

ſtatis, quis non videat, quæ opinionum monſtra naſcantur? Negator enim mediatoris Dei & hominum hominis Jeſu Chriſti, neceſſe eſt ut multis impietatibus implicetur, eumque aut Apollinaris ſibi vindicet, aut Valentinus uſurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Chriſto humanæ carnis credidit veritatem.

268. Celebrabat A. 448. S. Flavianus CPoli Synodum ad dirimendam litem Florentii Sardorum Episcopi, Lydiæ Metropolitani, adversus duos Episcopos suæ provinciæ Joannem & Caſsinium. Eusebius Dorylæi Episcopus, amicus ante hac Eutychis, qui delirantem senem aliquoties frustra monuerat, gliscentem errorem ejus, quem edito etiam libro per Monasteria diſseminabat, congregatis in Synodo Patribus, Episcopis XXXII. Abbatibus XXIII. diligenter exposuit, eos per Sanctam & Homousion Trinitatem obtestatus, ut hominem ad causam dicendam vocari postularent. Citatur Eutyches: tergiversatur semel atque iterum, excusationem valetudinis, senii, & solitudinis claustralis obtendens. Impetratis tandem septem dierum a Synodo induciis, Eutyches implorata Chrysaphii ope, qui gratia plurimum pollebat apud Theodosium juniorem, septima die ad Concilium venit cum turbulenta Monachorum phalange, prætorianorumque militum manu, Florentio Patricio, & magno Silentiario stipatus. Rogatus a Patribus ut mentem suam aperiret, respondit: *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem vero unam naturam confiteor. Ego legi ſcripta B. Cyrilli, & Sanctorum Patrum, & S. Athanaſii. Quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem: poſt Incarnationem autem & adunationem, non jam duas, ſed unam naturam dixerunt.* Aliud ab eo responsum, quo apertius mentem suam proderet, exsculpi non potuit. Cumque errorem suum præfracte tueretur, damnatus est a Synodo, omnique Sacerdotali officio, ac primatu Monasterii spoliatus. *Eutychetis initia.*

269. Damnatus a Flaviano & CPolitana Synodo Eutyches patrocinium S. Petri Chrysologi Ravennatis Epis- *Et artus.*

Episcopi imploravit, ut ipsi faveret apud S. Leonem Romanum Pontificem; moxque ad ipsum S. Leonem mendaces dedit litteras, quibus conquerebatur, injuste se ab Eusebio accusatum, atque a Synodo CPolitana damnatum, insuper habita ad Romanum Pontificem appellatione, quam tamen minime interposuerat. Leo cum diu suspensus hæsisset, acceptis tandem Flaviani litteris, & Concilii Actis, Eutychis damnationem ratam habuit, & inter alias celeberrimam illam Epistolam ad Flavianum scripsit, qua Incarnationis Dominicæ dogma Catholicum uberrime declaravit. Dum hæc aguntur, Eutyches in Oriente cuncta miscebat, nixus præcipue Chrysaphio atque Dioscoro. Chrysaphius Eunuchus in Aula Theodosii potentissimus, quem de sacro fonte susceperat Eutyches, uti magna huic familiaritate devinctus, & erroribus ejus imbutus: ita Flaviano, a quo quæ expectaverat dona non fuerat consecutus, gravissime erat infensus. Dioscorus Præsul Alexandrinus, S. Cyrilli olim Archidiaconus, postea successor, invidia in Flavianum pridem exulceratus, & homo alioquin corruptissimus, facile se adduci passus est ut causam amplecteretur Eutychis, qui nihil aliud sibi propositum esse clamabat, nisi adversus novos Nestorianos Catholica Cyrilli dogmata propugnare. His ergo adnitentibus effectum est, ut Theodosius junior, Imperator, bonus quidem ac pietati deditus cæteroqui Princeps, sed simplicioris ingenii, datis ad Patriarchas litteris Generalem Synodum congregari jusserit Ephesi, cui non sine maxima in Ecclesiasticas regulas injuria, speciali rescripto præesse voluit Dioscorum, collato etiam suffragandi jure Barsumæ Syro, flagitiosissimo Archimandritæ, & sicario, quem nominatim invitavit, ut vices ageret omnium Monachorum Orientales Episcopos accusantium.

Acta Ephesi. 270. Leo Papa cum a Theodosio obtinere non potuit, ut vel Synodum Ephesinam omnino revocaret, vel in aliquam Italiæ urbem transferret, Legatos misit Ephesum Julium Puteolanum, cujus tamen vices

in

in ipso Concilio gesit Julianus Coensis Episcopus, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum, qui suo nomine Concilio interesent, & auctoritate sua cuncta peragerent. Confluxere ad Ephesinum latrocinium, & prædatoriam Synodum Episcopi CXXX. datumque illi fuit initium IV. Idus Augusti A. 449. præsentibus Elpidio Comite Sacri Consistorii, & Eulogio Tribuno, & Notario Prætoriano, quos cum militari manu Ephesum destinavit Theodosius, ut pacate ac sine tumultu omnia peragerentur. Intromisi in Concilium Legati Leonis Papæ, teste Liberato in Breviario, Cap. XII. non consederunt Dioscoro, ut Sedis Apostolicæ consulerent dignitati. Cumque postularent, ut in ipso Synodi ingressu S. Leonis litteræ ad Synodum per legatos missæ legerentur, Dioscorus earum lectionem se procuraturum solemni juramento spopondit; sed promissis non stetit, elusitque iteratam Legatorum petitionem. Tum vero introductus Eutyches, posteaquam confessionem fidei obtulit simulationis plenam & ambage verborum perplexam, in Sacerdotii gradum & Monasterii principatum restitutus est, lata sententia depositionis in Flavianum & Eusebium Dorylæi, cui cæteri Episcopi alioqui Orthodoxi, metu fracti vique adacti subscripsere, ut ipsi contestati sunt Act. I. Conc. Chalcedonensis. Quidam Episcopi, quod in gratiam Flaviani ad pedes Dioscori accidentes, ejus iracundiam frangere tentaverint, a militibus & Monachis Eutychetis, qui cum gladiis & fustibus ad fores adstabant, jubente Dioscoro sunt repulsi. Eadem sententia plurimi alii cum Flaviano Episcopi perculsi sunt, quos inter Ibas Edessenus propter Epistolam ad Marim Persam, & Theodoretus Cyrensis ob ea quæ contra Capitula S. Cyrilli scripserat. Flavianus pro eo quod oppressus a Dioscoro de more Romanum Pontificem appellasset, & appellationis libellum per legatos Apostolicæ Sedis, tam ad ipsam, quam ad Occidentales Episcopos misisset, tot pugnis calcibusque contusus est, ut intra triduum, cum in exilium pergeret, plagarum do-

lore confectus Martyrii palmam fuerit adeptus. Authorem cædis Evagrius Lib. II. Hist. Eccles. Cap. II. designat Dioscorum; Acta vero Concilii Chalcedonensis Barsumam Archimandritam, cum Monachis suis clamantem, *Occide.* Actione enim IV^ta^ Diogenes Episcopus Cyzicenus dixit: *Barsumas, qui inter alios intravit, occidit B. Flavianum. Ipse enim inflabat, & dicebat, Occide.* Episcopi vero Syriæ exclamaverunt: *Omnem Syriam Barsumas evertit: duxit super nos mille Monachos. - - - Homicidam Barsumam mitte foras: homicidam in arena: anathema Barsumæ: Barsumam in exilium.* In Legatos dein Apostolicos, damnationi Flaviani obfirmate resistentes, desæviit impotens Dioscori furor, quos violata fide publica in custodiam detrusit. Unus Hilarus fuga elapsus, post varias circuitiones Romam tandem delatus est, & S. Leonem de omnibus Ephesi gestis certiorem fecit. Demortuo Flaviano Diaconum suum & Apocrisiarium Anatolium, qui ab Eutychis factione minime alienus videbatur, surrogavit Dioscorus; & ne quid audaciæ vel furoris abesset, post Ephesinum illud latrocinium, apud Nicæam, novo & inaudito hactenus molimine, excommunicationis sententiam contra Leonem Papam tulit, coactis ad subscribendum decem circiter Episcopis, qui ex Ægypto cum eo profecti fuerant.

Romæ rescissa. 271. Leo Magnus cognita Ephesina perfidia, Romæ Synodum Episcoporum celebravit, in qua Ephesini latrocinii Acta & Decreta rescidit, damnavitque, vibrato in Dioscorum & Eutychetem anathemate. Tum vero pluribus litteris Theodosium Imperatorem urgere non destitit, ut rescisa prædatoria Synodo Generale Concilium in Italia celebrandum indiceret. Scripsit etiam Valentinianus III. Occidentis Imperator: scripsere Reginæ, Galla Placidia, & Licinia Eudoxia, ut S. Leonis votis annueret. Verum Eutychianis fabulis ac dolis irretitus Theodosii animus nullis litteris, nullis precibus, nulla suorum necessitudine flecti potuit: quin potius publicis Legibus Flavianum Sanctissimum Martyrem damnavit, & Ephesi-

nam

nam II. Synodum Nicænæ jussit æquari. At non multo post infelix Princeps, equo cui insidebat collapso, graviter elisus, nullo hærede relicto interiit. Successit in Imperio S. Pulcheria Theodosii Soror, quæ suffragante Senatu in Imperii consortem & conjugem assumpsit Flavium Marcianum, virum fortissimum atque integerrimum, adjecto servandæ etiam in matrimonio Virginitatis pacto. Novorum itaque Augustorum pietate effectum est, ut Catholica Religio pulchrius efflorescceret. Chrysaphius malorum omnium incentor jussu Pulcheriæ occiditur: Flaviani corpus honorifice CPolim revectum, in Basilica Apostolorum, in qua Episcopi illius Urbis sepeliri solebant, collocari jussum est: Eutyches in exilium missus: Episcopi, qui ob Fidei causam & Flaviani defensionem in exilium erant amandati, Imperatoria sanctione revocati sunt. Denique ad reparandam Ecclesiæ Orientalis pacem Generale Concilium indictum est A. 451. primo quidem Nicææ Bithyniæ, ac postmodum mutato consilio Chalcedone celebrandum, ut Imperator ipse commode interesse posset, quod Legati Apostolici necessarium fore censebant ad comprimendos tumultus præsentia Principis.

Acta Chalcedonæ.

272. Octobri igitur mense A. 451. Chalcedonensi Synodo in amplissima S. Euphemiæ Martyris Basilica datum est initium. Episcopi interfuere ferme sexcenti, teste S. Leone Epist. LII. Triginta supra sexcentos scribit Liberatus, Cap. XIII. Breviarii, cui consentit Marcellinus in Chronico. Nicephorus sexcentos triginta sex fuisse scribit, ut major duplo fuerit numerus Chalcedonensium, quam Nicænorum. Dimidiæ partis subscriptiones in Actis, quæ extant, desiderantur. Præsidebant pro more Concilio Legati Sedis Apostolicæ, Paschasinus Lilybetanus in Sicilia Episcopus, Lucentius Asculanus, & Bonifacius Presbyter, quibus multi addunt Julianum Coensem, & Basilium Presbyterum. Sexdecim Actionibus absoluta est Synodus, ex quibus ea dum-

xat, quæ causam Eutychetis spectant, & primis sex Sessionibus gesta sunt, brevissime perstringemus

Actione prima, cui Illustrissimi Magistratus ac Senatores interfuerunt, cum Dioscorus Alexandrinus in suo loco inter Episcopos consideret, Paschasinus & Lucentius intercessserunt, contestati, se, ut erant a Leone jussi, e Synodo discessuros, si Dioscorus judicis, & non potius rei locum obtineret. Factum est ita ut petierant. Relecta sunt dein Acta Pseudo-Synodi Ephesinæ, itemque Acta Synodi CPolitanæ sub Flaviano. Flavianus, & Eusebius Dorylæi a labe hæreseos vindicati sunt, & præter jus æquumque exauctoratos, privatosque fuisse communione pronuntiatum est. Decretum præterea, Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Jerosolymitanum, Thalassium Cæsariensem, Eusebium Ancyranum, Eustathium Berytensem, Basilium Seleuciensem, Auctores latrocinii Ephesini, si Imperatori placuerit, eadem pœna plectendos, qua immerito Flavianum aliosque affecerant. De Theodoreto non nihil dubitatum est. Tandem admitti eum in consessum placuit, quod ei ab Leone Romano Pontifice Episcopatus esset redditus, frementibus Ægyptiis, Illyricianis & Palæstinis; Orientalibus contra, Ponticis, Thracibus & Asianis approbantibus.

273. Actione II. de Fide agi cœptum est. Lecta sunt Symbola, Nicænum & CPolitanum, item Synodicæ duæ Epistolæ S. Cyrilli, una ad Nestorium, altera ad Joannem Antiochenum data, cum pax inter eos inita est, & Epistola S. Leonis ad Flavianum. Quibus recensitis Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Hæc Patrum Fides: hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est. Apostoli ita docuerunt. Pie & vere Leo docuit. Cyrillus ita docuit.* Et quamvis Illyriciani quidam Episcopi & Palæstini hæsitare sint visi, quod Dioscoro faverent, & Epistolam Leonis non satis intelligerent, omnes tamen reliqui Episcopi iterum clamaverunt: *Nos ita credimus. Omnes ita credi-*

credimus. Sicut Leo ita credimus. Noſtrum nullus dubitat. Nos jam ſubſcripſimus. Dictis tamen Illyrici Orientalis, & Palæstinæ Episcopis inducias rogantibus, decreverunt Judices, ut intra dies quinque penes Anatolium Episcopum CPolitanum convenirent de Fide & ut dubitantes docerentur. Tandem hæc Actio absoluta est Orientalium & Illyricianorum Episcoporum contrariis clamoribus. Illi Dioscorum in exilium mitti postulabant: *Ægyptium exilio, Dioſcorum exilio, hæreticum exilio. Dioſcorum Chriſtus damnavit: qui communicat Dioſcoro, Judæus eſt.* Reclamabant Illyriciani, dicentes: *Omnes peccavimus, omnibus indulgete. Dioſcorum Synodo, Dioſcorum Eccleſiis.*

274. Actione III. Dioscorus, cum tertio citatus se non stitiſset, sed tergiversationibus eluderet, a Synodo damnatus ac depositus est. Causas depositionis enumerant Legati Apostolici in sententia contra Dioscorum lata Act. III. quam Sacra Synodus ratam habuit. Primo, *quia Eutychem ſimilia ſibi ſapientem, & regulariter a proprio damnatum Epiſcopo, præſumens ſibi primatum, irregulariter in communionem ſuſcepit, priuſquam conſideret in Epheſo cum Sanctiſſimis Epiſcopis.* Secundo, *quia Beatiſſimi Papæ Leonis Epiſtolam, ſcriptam ad ſanctæ memoriæ Flavianum, legi non permiſit.* Tertio, *quoniam ſecundis exceſſibus priorem iniquitatem valde tranſcendit: præſumpſit enim excommunicationem dictare adverſus Sanctiſſimum & Beatiſſimum Archiepiſcopum magnæ Romæ Leonem.* Quarto, *quia ſemel, ſecundo, & tertio per Dei amantiſſimos Epiſcopos regulariter vocatus, minime voluit obedire. Unde Sanctiſſimus & Beatiſſimus Archiepiſcopus Magnæ & ſenioris Romæ Leo, per nos, & per præſentem S. Synodum, una cum ter Beatiſſimo, & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra & erepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni ſacerdotali alienavit miniſterio.*

275. Actione IV. Illyriciani & Palæstini Episcopi, qui dubitationem Actione II. injecerant, profeſsi sunt ambi-

ambiguitatem omnem, quæ ex linguæ Latinæ vocibus oriri videbatur, sibi a Legatis ademptam, ideoque se etiam Epistolæ subscripsisse. Judices dein Patribus significarunt, Imperatorem ipsis permittere, ut de fautoribus Dioscori, qui cum illo Ephesino latrocinio præfuerant, nempe de Juvenale Jerosolymitano, Thelasio Cæsariensi &c. statuerent, quod ipsis æquum videretur. Synodus clementer cum illis agens, quod jam Actione I. veniam fuissent precati, omnes in pristinum ordinem, & ad Concilium admisit, jussos tamen prius anathema dicere Eutycheti, & Epistolæ S. Leonis subscribere. Idem cum peteretur ab Ægypti Episcopis, ut Epistolæ nimirum S. Leonis ad Flavianum subscriberent, renuerunt illi id facere, donec ordinatus esset in Dioscori locum Alexandrinus Patriarcha; quia Canonibus, & consuetudine Diœceseos suæ cautum esse dicebant, ne quidquam fieret ab Ægypti Episcopis citra consensum Alexandrini Antistitis. Eamdem se fidem profiteri, & Eutychetis doctrinam execrari se contestabantur: sed vitam suam in tuto non fore, si contra consuetudinem Ægyptiacæ regionis, præter sententiam Alexandrini Archiepiscopi subscriberent. Interlocuti Judices obtinuerunt tandem a Patribus, ut eorum subscriptio post ordinationem Episcopi Alexandrini differretur. Eadem Actione varii Monachi Eutychiani, perduelles ac refractarii, in Concilium ingressi, postularunt Dioscorum restitui communioni ac dignitati. At unanimi voce a Synodo responsum est: *Anathema Dioscoro: Dioscorum Christus deposuit: mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.*

276. Actione V. relecta est formula fidei, priore jam Actione concinnata. Sed Romani Pontificis Legati, & alsquot Orientales Episcopi eam repudiarunt, quod iis verbis esset concinnata, quæ Eutychianam perfidiam non penitus profligare videbantur. Contentio orta est ob verba Epistolæ S. Leonis in formula fidei dissimulata, quibus dicebatur, *Salvam utriusque naturæ proprietatem in unam coivisse personam, in-*

con-

convertibiliter, inſeparabiliter, & inconfuſe. Quam omiſsionem cum animadvertiſsent Legati S. Leonis, in has erupere voces: *Si non conſentiunt Epiſtolæ Apoſtolici, & Sanctiſſimi Viri Papæ Leonis, jubete nobis reſcripta dari ut revertamur, & ibi Synodus celebretur.* Hanc discordiam componere tentarunt Jllustriſsimi Judices, sed frustra; plurimi enim Orientalium Episcoporum, quamvis doctrinam & Epistolam S. Leonis integre susciperent, pertinaciſsime contendebant definitioni fidei nihil aliud addendum eſse. Negotio ad Imperatorem relato, juſsit ille ut Episcopi selecti, collatis inter se capitibus, præsentibusque Legatis Apostolicis, Decretum fidei concinnarent. Cumque adhuc Orientales obstreperent, Jllustriſsimi Judices Episcopos interrogarunt, an Dioscorum sequerentur, an vero S. Leonem? His vero respondentibus: *Ut Leo ſic credimus. Qui contradicunt, Eutychianiſtæ ſunt: Leo recte expoſuit,* Judices dixerunt: *Ergo addite definitioni ſecundum judicium Sanctiſſimi Patris noſtri Leonis, duas eſſe in Chriſto naturas unitas inconvertibiliter, inſeparabiliter, & inconfuſe.* Tandem formula fidei omnium votis ita concepta est, ut eidem verba ex S. Leonis Epistola deprompta inserta fuerint.

277. Actione VI. ubi Marcianus per Legatos intellexit, conditam fuiſse fidei formulam, omniumque consensu probatam, Chalcedonem se contulit cum Pulcheria Augusta, gratulatoriis Patrum acclamationibus exceptus, dignamque Orthodoxo Principe ad Synodum orationem habuit. *Nos*, inquit, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus, ne ulterius populi pravis perſuaſionibus ſeparentur.* Lecta dein iterum est expositio fidei, & ab Episcopis subscripta. Sciscitante Imperatore, num definitio relecta, secundum omnium Episcoporum consensionem prolata fuerit, clamarunt omnes: *Omnes ſic credimus: una fides, una voluntas: omnes id ipſum ſapimus, omnes conſentientes ſubſcripſimus, omnes Orthodoxi ſumus:*

ſumus: Hæc fides Patrum, hæc fides Apoſtolorum, hæc fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terræ ſalvavit.

Eutychianorum facinora & ſectæ.

277. Atque hæc Chalcedone in causa Eutychetis gesta sunt. Dioscorus Gangram Paphlagoniæ relegatus est. Chalcedonensis Synodus a Marciano publico Edicto sancita, & Theodosii Constitutio, qua Ephesinum latrocinium Nicænæ Synodo æquabatur, Lege lata resciſsa est. At non pari felicitate extingui potuit nefanda hæresis, quæ tot fulminibus licet protrita, post mortem præcipue Marciani, caput erigere est ausa, & late per Orientem graſsari. S. Proterius in locum Dioscori suffectus, ab Alexandrina plebe per Monachos hæreticos efferata, ipso Parasceves die A. 457. intra baptisterium occiditur, duce Timotheo Aeluro Monacho & Presbytero Alexandrino, qui armis & aperta vi Sedem Episcopalem invasit; a quo deinceps tempore Alexandrina Ecclesia toto fere sæculo per sectatores Dioscori, variasque Eutychianorum factiones misere afflicta est. Celebriores fuere Petrus Moggus, & Severus, impurus ac facinorosus homo, Sozopoli oriundus. Sub Moggo orti sunt Acephali. Cum enim ille, licet Eutychianus foret, admiſso Zenonis Imperatoris Henotico, Chalcedonensi Concilio anathema non diceret, Eutychiani Ægyptii hac œconomia offensi, Moggi communionem ejurarunt, ideo *Acephali* dicti, quod a capite, id est, Patriarcha suo disjuncti, seorsim congregarentur. Iidem dicti sunt etiam *Monophyſitæ*, quia cum Eutychianorum vulgo in eo conveniebant, quod singularem in Christo naturam statuerent, duas negarent. Antiochenam Ecclesiam iisdem temporibus vexavit Petrus Fullo, sive Cnapheus, qui adversus Martyrium Antistitem Sedem illam invasit, & Theopaschitarum invexit hæresin, anathema dicens eis, qui Deum in natura divina crucifixum negarent, addensque Trisagio *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis*, has voces in sensu Eutychiano, *qui paſsus es pro nobis*, nempe non secundum carnem, sed secundum naturam divinam. Theopaschitarum errores enume-

rat

rat Euthymius Zigabenus in Panoplia, Tit. XX. *Aßerunt Chriſtum non ſuſcepiße conſubſtantiale nobis corpus, ſed incorruptibile, ſubtile, increatum, & cœleſte. Idem porro aſpectari ſolitum, manducare, bibere, ac cætera hominum agere propria, ſpecie tenus. Rurſus affirmant prædictam carnem in Divinitatis naturam converſam, & ei conſubſtantialem eße factam. Atque ut mellis aut aceti ſtilla in altum mare demerſa nec videtur amplius, nec ſubſiſtit: Ita corpus illud Divinitatis commiſtum pelago ac depreßum, naturam ſuam non amplius retinet, nec proprietatem ſuam conſervat. Propter hoc, inquiunt, in Chriſto non ſunt naturæ duæ: ſed una tantum, eademque tota Divinitatis. Unde & Sacrificium panis carnis Chriſti non corpus eſſe Chriſti, ſed Divinitatis corpus prædicant.* Ex hac ſecta Jacobitæ emerſerunt, a Jacobo Syro obſcuri generis homine, qui ob ſummam vilitatem Zanzalus inter ſuos nominabatur, hoc nomen mutuati. Jacobitarum nomen Eutychianis omnibus in Ægypto & per totum Orientem commune eſt, ſicut & Melchitarum appellatio Catholicis. Melchitæ porro dicuntur, quaſi Imperatorii, quod Imperatoris fidem, & congregatæ ab eo Synodi Chalcedonenſis definitionem amplectantur. Hæreſin hanc omnium pertinaciſſime hodiedum adhuc propugnant Armeni.

279. Conclusio Dogmatica. Duplex in Chriſto datur natura perfecta, divina & humana, ſalvis utriusque proprietatibus, id eſt, inconfuſa & impermixta. Prob. I. Auctoritate Scripturarum, in quibus Chriſtus ſæpiſſime verus Deus, & verus homo prædicatur, ac duplex Verbi divini nativitas exprimitur, æterna ac temporalis Joan. I. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. - - Et Verbum caro factum eſt.* I. Joan. Cap. I. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ: Et vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Ad Rom. IX. *Quorum Patres, &*

In Chriſto duplicem dari naturam evincunt Scripturæ.

ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Ad Philippenses II. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ubi formam pro natura perspicuum est sumi. Atqui Christus non potest verus eſse Deus, verusque homo, nisi duplicem habeat naturam, divinam & humanam, distinctam & inconfusam.

Patres Græci. 280. Prob. II. Auctoritate Patrum Græcorum & Latinorum, qui Eutychianam hæresin anteceſserunt. S. Justinus M. in Apologia II^da^ Jesum Christum ait eſse *Verbum formatum, & hominem factum.* S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XVIII. contra Phantasiastas disputans, ait: *Joannes unum & eumdem novit Verbum Dei, & hunc eſse Unigenitum; & hunc incarnatum eſse pro ſalute noſtra, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* S. Dionysius Alexandr. in Epistola Synodica contra Paulum Samosátenum: *Deus apparuit in carne, factus ex muliere, qui ex Deo Patre natus eſt ex utero ante Luciferum, tamquam ex corde Verbum, editum ex Patre; & ſimplex atque impartibile Verbum caro factum eſt.* Antiochena Synodus in Epiſt. adversus Paulum Samosatenum: *Idcirco corpus ex Maria natum, cum totam Divinitatis plenitudinem cepiſſet, corporaliter Divinitati ſine converſione unitum eſt & deificatum.* S. Athanasius in Epist. ad Epictetum: *Audiant, quod ſi creatura erat Verbum, non aſſumpſiſſet creatura corpus, ut illud vivificaret. Quodnam enim Creatoris a creatura auxilium eſſe poteſt, quæ ipſa quoque auxilio indiget? Sed quia Verbum cum eſſet Creator, ipſe creaturarum conditor fuit, ideo in conſummatione ſæculorum creaturam ipſe ſibi adjunxit, ut eam tamquam Conditor renovaret, ac recrearet.* S. Epiphan. Hær. LXXVII. *Verbum*, ait, *perfecte hominem eſſe factum: quæ perfecti vox, non ſic intelligenda eſt, ut duo ſint Chriſti, ſed ut idem ſit Deus & homo.* S. Basil. in Hom. de humana

na Christi generatione: *Deus in carne, non ex intervallo operans, ut in Prophetis: sed copulatam sibi hominis naturam, & unitam obtinens.* S. Greg. Nazianz. Epist. I. ad Cledonium: *Nam naturæ quidem duæ sunt, Deus & homo; quemadmodum & anima & corpus; sed non duo filii sunt, aut Dii: quemadmodum nec hic duo sunt homines.* S. Greg. Nyss. Lib. contra Apollinarem: *Nos salvam esse naturam humanam Verbo unitam, ex mysterio ipso didicimus & credimus. Dei vero Filium carneum, separatim & in se ipso consideratum, neque didicimus, neque consequentiæ ullius necessitate cogimur intelligere.* S. Ephræm in Orat. de Margarita pretiosa: *Perfectam habet duplicem naturam, ne duas perdat. Neque enim in una sola natura Deus super terram est visus; neque in altera sola homo in cœlos ascendit: verum perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus.* S. Cyril. Hierosol. Catech. IV. *Si phantasia esset Incarnatio, spectrum quoque esset salus. Duplicis naturæ fuit Christus: homo quidem, quod videbatur; Deus autem, quod non apparebat: comedens quidem ut homo vere, sicut nos; habebat enim carnis similes nobis affectiones.* S. Chrys. in Psalm. XLIV. *Neque enim carnem a Divinitate separat, neque Divinitatem a carne: non substantias confundat, (absit) sed ut unitionem ostendat.* Et Hom. XI. in Joan. *Non ipsa substantia in carnem demutata est; hoc enim vel cogitare impium est, sed manens id quod est, ita servi formam suscepit.* S. Cyril. Alexandrin. cujus auctoritate potissimum abutebantur Eutychiani, Epist. I. ad Nestorium scribit: *Non enim dicimus, quod Dei natura conversa vel immutata, facta sit caro; nec quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed illud magis, quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter, & ineffabiliter factus sit homo, & nuncupatus etiam sit Filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione solæ personæ: sed quod diversæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus & Filius, non evacuata aut sublata diversitate naturarum*

rarum per conjunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum & Christum, & Filium, id est, Divinitas & humanitas per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad unitatem.

Et Latini. 281. Eadem fuit Latinorum Patrum doctrina. Tertul. Lib. de Carne Christi, Cap. V. *Aliter non diceretur homo Christus sine carne; nec hominis filius sine aliquo parente homine: sicut nec Deus sine Spiritu Dei; nec Dei Filius sine Deo Patre. Ita utriusque substantiæ census hominem & Deum exhibuit.* S. Hilar. Lib. IX. de Trinit. *Nescit plane vitam suam, qui Jesum Christum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat: & ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare.* Et in Psalm. II. *Qui filius hominis est, idem & Filius Dei est. Natura generositatis in filii hominis assumptione non deperit. Nam non idcirco non Dei Filius, quia & hominis est Filius. Non enim cum Divinitatis decessione fit humilitatis accessio; nec per consortium infirmitatis, contumeliam virtus excepit: quippe cum infirmitas honore sit donata virtutis.* S. Ambros. Lib. II. de Fide ad Gratianum, Cap. IV. *Servemus distinctionem Divinitatis & carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque est natura.* Et Lib. de Incarnat. Cap. IV. *Ego quod erat illius, non habebam, & ille quod meum est, non habebat. Suscepit quod meum est, ut impertiret quod suum est: suscepit, non ut confunderet, sed ut repleret. Si credas susceptionem, affingas confusionem, Manichæus esse desiisti, nec tamen Ecclesiæ filius esse cœpisti.* S. August. Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum: *Verbum in principio, per quod facta sunt tempora, tempus elegit quo susciperet carnem, non tempori cessit ut verteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus a se recessit.* Et Lib. I. de Trinitate, Cap. VII. *Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus & utrumque homo. Sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo, propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum,*

atque

atque mutatum est: nec Divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse Divinitas: nec creatura in Divinitatem, ut desisteret esse creatura. S. Vincentius Lerinensis in aureo suo Commonitorio, Cap. XIX. quod A. 434. conscripsit, Eutychianum errorem ante illius ortum luculentissime prædamnavit: *Unus Filius Dei, & unus Salvator & Redemptor noster. Unus autem non corruptibili nescio qua Divinitatis & humanitatis confusione, sed integra & singulari quadam unitate personæ: neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit atque mutavit, qui est error proprius Arianorum; sed ita in unum potius utrumque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius ejusdemque personæ in æternum quoque permaneat proprietas uniuscujusque naturæ.*

282. Idem docuerunt & reliqui Patres tam Græci, quam Latini, quorum nomina & libros tantum adducimus. S. Ignatius M. Epist. ad Ephesios, & Smyrnæos. Origenes Hom. I. in Ezechielem. Clemens Alexandr. Lib. I. Pædagog. Cap. II. & III. S. Amphilochius apud Theodoretum Dial. II. Theophilus Alexandr. in Epist. I. Paschali. Severianus Gabalitanus Hom. VI. de Mundi Opificio. S. Isidorus Pelusiota Lib. I. Epist. CDV. S. Cypr. Lib. de Idolorum Vanitate. Novatianus Lib. de Trinit. Cap. XVI. Lactantius Lib. IV. Institut. Cap. V. Phœbadius Aginnensis Lib. contra Arianos. Marius Victorinus Lib. I. contra Arium. S. Damasus in Epist. ad Orientales. Faustinus in Lib. contra Arianos. S. Hier. Comment. in Cap. ult. Matth. Rufinus in Expositione Symboli. S. Paulinus Nolanus Epist. IV. Leporius in libello emendationis &c. Ex quibus perpetuus Ecclesiæ consensus de duabus in eamdem personam convenientibus naturis, & post unitionem, sine ulla confusione vel extinctione alterutrius, in Christo remanentibus, manifeste ostenditur.

283. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Chalcedonense Act. V. hanc Fidei professionem edidit: *Unus* Concilia.

num eumdemque confiteri Filium, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem nobis eumdem ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem, unum eumdemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, incommutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente. CPolitanum II. Can. VIII. *Si quis ex duabus naturis Deitatis & humanitatis confitens unitatem factam eſſe, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic ea excipit ſicut Patres docuerunt, quod ex divina natura & humana unitione ſecundum ſubſiſtentiam facta, unus Chriſtus effectus eſt; ſed ex talibus vocibus unam naturam ſive ſubſtantiam Deitatis & carnis Chriſti introducere conatur, talis anathema ſit.* Nicænum II. Actione VII. in definitione Fidei. *Duas naturas confitemur ejus, qui incarnatus eſt propter nos ex intemerata Dei Genitrice ſemper Virgine Maria, perfectum eum Deum, & perfectum hominem cognoſcentes.*

Et ratio Theologica.

284. Prob. IV. Ratione Theologica. Si per unionem hypoſtaticam una tantum resultaſset in Chriſto natura, factum id fuiſset vel per conversionem unius naturæ in alteram, vel per commixtionem & confuſionem, vel denique per compoſitionem, vi cujus ex utraque natura integra remanente facta fuiſset una natura completa. Sicut v. g. ex anima rationali & corpore, tamquam ex duabus ſubſtantiis incompletis fit una ſubſtantia & natura completa. Atqui nihil horum dici potest. Ergo. P. m. Factum id non fuit per conversionem. Si enim natura divina conversa fuiſset in humanam, Chriſtus non eſset verus Deus:

si

si humana in divinam conversa esset, Christus non fuisset verus homo; ideoque vel passus fuisset secundum Divinitatem, quod fieri omnino nequit, cum Divinitas non sit mutationi & corruptioni obnoxia: vel tantum specie tenus fuisset passus, ut delirabant Phantasiastæ. Utuntur egregie hoc argumento Ferrandus in Epistola ad Anatolium, Boetius Lib. de duabus naturis, Gelasius Lib. contra Eutychem & Nestorium, & Leontius Byzantinus apud Euthymium in Panoplia, Parte II. Tit. XV. Neque id contingere potuit per commixtionem & confusionem. Alias Christus neque verus Deus, neque verus homo foret; quia nec divinam, nec humanam naturam haberet, sed tertiam quamdam ex ambabus resultantem. In commixtione enim substantiali substantiæ quæ commiscentur desinunt esse quæ erant prius, & ex iis tertia consurgit, ut videre est in pharmaco ex pluribus herbis confecto. Denique nec per compositionem. Cum enim utraque natura in Christo fuerit in ordine suo completa & perfecta, non potuit ex natura divina & humana componi una aliqua natura completa, tamquam ex materia & forma, quemadmodum ex corpore & anima componitur natura humana: neque tamquam e partibus quantitativis, sicut e pluribus membris componitur unum corpus; hæc enim compositio rebus solum corporeis convenit, qualis utique non est natura divina. Præterea si Divinitas & humanitas facerent in Christo unam tantum naturam completam, Christus neque Deus, neque homo dici posset: sicut homo simpliciter dici nequit corpus, aut anima.

Argumenta contraria refutantur.

285. Objic. I. Auctoritas Scripturarum. Christus, ut ait Apostolus ad Philippenses II. *Exinanivit semeipsum.* Ergo una Christi natura in momento Incarnationis conversa fuit in alteram. II. Joan. I. dicitur: *Verbum caro factum est.* Ergo Divinitas conversa

Eutychiani frustra provocant ad Scripturam.

versa fuit in humanam naturam. P. C. Quando Joan. II. dicitur, quod aqua facta fuerit vinum in Cana Galilææ, significatur ipsam aquæ substantiam conversam fuisse in vinum. Ergo a pari, quando Joan. I. dicitur: *Verbum caro factum est*, indicatur, Divinitatem conversam fuisse in humanitatem. *Conf.* Eo modo Verbum caro factum est, ut scribit S. Justinus Apolog. II. pro Christianis, quo in Eucharistia panis fit caro Christi. Atqui panis fit caro Christi per veram conversionem. Ergo. R. ad I. N. C. Quomodo Christus in Incarnatione semetipsum exinaniverit, diserte l. c. insinuat Apostolus: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, id est, non conversione Divinitatis in carnem, sed ipsa carnis assumptione. Atque hæc maxima profecto fuit exinanitio, qua, ut ait S. Leo M. in celeberrima illa ad Flavianum Epistola, Cap. III. *Suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili.* Ad II. N. C. Verbum caro factum est, non conversione in carnem, non commixtione & confusione, sed unitione & assumptione. Ita locum hunc explicant S. Greg. Nazianz. in Epist. ad Cledonium, S. Chrys. Hom. II. in Joan. S. Aug. Serm. XXIII. de Tempore, Theodoretus Dial. II. S. Epiphan. Hær. LXXVII. *Non illud indicat, Verbum in carnem fuisse conversum, aut in eam omnino transiisse, sive Divinitatem in carnem fuisse mutatam: verum cum Divinitate Verbum propriam hominis assumpsisse naturam.* Et S. Ambr. Lib. de Incarnat. Cap. VI. *Desinant* (Apollinaristæ) *dicere naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati.* Ad *prob.* N. iterum Consec. Aquam converti posse virtute omnipotentiæ divinæ in aliam substantiam, nemo sanus negaverit: At vero Divinitatem transmutari in carnem, id omnino impossibile, ne Divinitatem mutationi & corruptioni obnoxiam dicamus, quæ maxima est imperfectio, a Divinitate longissime arcenda.

Præ-

Præterea si Divinitatem ab humanitate absorptam dicas, quanam ratione S. Joannes, posteaquam dixit: *Et Verbum caro factum est*, illico subjungere potuit: *Et habitavit in nobis?* quomodo fuit Deus Verbum sine Divinitate? Porro Verbum carnem esse factum sine ulla ex parte Divinitatis immutatione, eleganti exemplo illustrat S. Aug. Serm. CLXXXVII. alias XXVII. de Tempore: *Neque enim quia dictum est, Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est; sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus: quando in ipsa carne quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox cum id ore proferimus, non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro ista in qua procedat assumitur, ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur: hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio; atque ita verbum cum fit vox, non mutatur in vocem; sed manens in mentis luce & assumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deserit cogitantem.* Ad *conf.* N. M. Panis in Consecratione fit caro Christi per conversionem; Verbum caro factum est per carnis assumptionem. Neque S. Justinus paritatem instituit quoad modum, sive conversionem, sed quoad ipsam rerum præsentiam, ita scilicet, ut quemadmodum Verbum post Incarnationem veram habuit carnem, ita etiam in Eucharistia vera contineatur caro Christi.

286. Objic. II. Auctoritas S. Cyrilli Alexandr. qui pluribus locis post unitionem, unicam in Christo agnoscit naturam. Sic Epist I. ad Sucoesum scribit: *Post unitionem non dividimus naturas a se mutuo, neque in duos secamus filios illum, qui unus est individuus. Sed unum dicimus Filium, & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Epist. II. ad eumdem: *Utroque manente & intellecto in naturali proprietate, eo modo quem verbis explicare, effarique non possumus, unitum Dei Verbum unam nobis ostendit Filii naturam, sed incarnatam.* Idem repetit in Commonitorio *Ad S. Cyrillum Alexandrinum.*

ad Eulogium, in Epistola ad Acacium Melitinensem, & in Libro ad Reginas missо. R. I. S. Cyrillum errori huic non patrocinari ipsi Monophysitæ tacite agnoverunt, quia hæc ipsa Cyrilli loca in suis Codicibus adulterarunt omittendo *Incarnatam.* Leontius Byzantinus Lib. de Sectis, Act. VIII. scribit, Cyrilli Alexandrini Opera fuisse a Dioscoro corrupta. De Timotheo Æluro memoriæ prodidit Nicephorus Callistus Hist. Eccles. Lib. XV. Cap. XVI. *Æluros iste multa Cyrilli scripta nondum vulgata, dogmatibus suis adulterinis aspersis depravasse dicitur.* S. Anastasius Sinaita in Viæ Duce, initio Cap. X. ait: *Alia quædam ejusdem Cyrilli dicta ad doctrinam spectantia, cum in exemplaribus Alexandriæ quæsivissemus, depravata & corrupta reperimus. Cujus rei Deus testis est.* Majori tamen licentia falsatores adversus S. Cyrilli Opera grassati sunt Sæculi VII. initio, post mortem S. Eulogii Alexandrini, ut idem memorat S. Anastasius Sinaita Lib. cit. ad finem Cap. X.; ubi refert a quatuordecim calligraphis, seu librariis, libros dogmaticos Patrum, & maxime S. Cyrilli falsatos fuisse, jussu Severiani Præfecti Augustalis. Addit dein: *In his cum venissemus ad Epistolam, quæ scripta est Successo, sententiam hanc, duas naturas esse dicimus, &c. in nullo prorsus exemplari Alexandrino recte positam reperimus; sed alia quædam exemplaria habebant, duas naturas unitas esse dicimus: alia vero rursum, duas naturas considerari dicimus. Nobis autem magno mœrore affectis exhibuit Dominus Isidorus Bibliothecæ Patriarchalis Præfectus librum, in quo ista sententia non erat corrupta.* R. II. Unam, post adunationem a S. Cyrillo dici naturam, non simpliciter & absolute; sed incarnatam, id est, unitam substantialiter humanitati in personalitate Verbi. Quare duas absolute admisit Cyrillus naturas, humanam & divinam, asserendo unam naturam incarnatam. Ut enim observat Theodoretus Dial. II. *Qui unam Christi naturam incarnatam agnoscit, duplicem in Christo naturam confitetur; alia enim est, quæ carnem assumat, alia vero carnis assumptæ.* Ipse S. Cyrillus, opti-

optimus utique verborum suorum interpres, impactam sibi Apollinarismi calumniam, quod unam dixisset Verbi naturam incarnatam, ita amolitur Epist. II. ad Succesum: *Si unam naturam dicentes, Verbi Dei tacuissemus, non inferentes incarnatam, sed velut abjicientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo simulantibus interrogare; ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit? Quoniam vero & perfectio, quæ in humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio, illata est per id, quod dictum est, Incarnata, jam desinant, arundineam virgam sibi supponentes.* Hunc certe loquendi modum, *Una natura Verbi incarnata post adunationem*, etiam post exortam Eutychianorum hæresin, Ecclesia numquam suspectum, quin immo ratum habuit. Chalcedonensis Synodus etsi vocem ejusmodi in suo Fidei Decreto non posuit, eam tamen non obscure probavit eo ipso, quod professionem Fidei S. Flaviani Constantinopolitani, quam Theodosio Imperatore postulante, eidem obtulit, recitari voluit, auditamque sua auctoritate firmavit. Idem Cyrilli dictum admiserunt CPolitana II. Synodus in causa trium Capitulorum Anathematismo IX. & Lateranensis I. sub S. Martino I. Can. V. Eamdem S. Cyrilli sententiam ad Eutychianos refellendos valere plurimum ostendunt Gelasius Lib. contra Eutychem & Nestorium. S. Maximus M. in Tractatu de expositione vocum quarumdam, quibus utitur Ecclesia cum de Christo agitur. Eulogius Alexandrinus apud Photium Codice CCXXX. Ephræmis Antiochenus apud eumdem, Cod. CCXXIX.

287. Dices. S. Cyril. Epist. I. ad Succesum ait, naturam divinam & humanam in Christo non nisi cogitatione dividi. Ergo sensit unam tantum dari post adunationem in Christo naturam. II^do. Juxta S. Doctorem duæ datæ fuerunt naturæ ante unionem. Ergo post adunationem data fuit unica, eoquod discrimen statuat ante & post unionem. III. Si post adunationem duæ darentur in Christo naturæ impermixtæ, nulla poterit assignari ratio, cur post

adunationem naturas dividi vetuerit, dixeritque unam tantum esse Verbi naturam incarnatam. IV. Neque ostendi poterit, cur divinam potius naturam, id est, Verbi expresserit quam hominis. R. ad I. N. C. S. Cyrillus per ea verba minime asserit, naturam divinam & humanam in Christo esse idem, & formaliter tantum distingui; sed tantum vult, eas post adunationem non nisi cogitatione dividi ac separari posse: quod patet exemplo animæ & corporis, quo utitur. Hæc enim realiter a se invicem in homine vivo separari nequeunt, quamvis a se invicem realiter distinguantur. Ad II. D. A. Ante unionem, id est, in instanti priori temporis ad unionem datæ fuerunt duæ naturæ, N. A. In signo priori rationis, aut naturæ, C. A. N. C. Eodem instanti quo natura humana extitit, facta fuit unitio. Ergo in nullo instanti reali temporis extitit natura humana Christi ante adunationem. Quia autem natura humana prius a nobis concipitur in suo esse constituta, quam unita Verbo, idcirco ea ante unionem extitisse dicitur in signo tantum priori rationis, aut naturæ. Ad III. N. A. Idcirco S. Cyrillus post adunationem vetuit naturas separari, ne separatæ & a se mutuo distractæ naturæ ita consistere viderentur, ut sola affectione, non substantivo aliquo, & unum per se faciente nexu ac vinculo secum invicem hærerent. Ut Nestorii itaque perfidiæ se opponeret, vitaretque subdolam & nimis dilutam illius unitionem, quæ specie ac verbo tenus naturas copulabat duas; re autem ipsa disjunctas, ac seorsim cohærentes, & subsistentes habebat, nullo proprie dicto & substantivo nexu, sed externo & improprio inter se commissas, naturarum duarum conjunctionem divisionis expertem verbis illis voluit sancire. Ad IV. N. A. Idcirco naturam Verbi, sive divinam potius expresit, quia in Incarnatione primarium locum obtinet Divinitas, ad quam humanitas velut appendicis & accidentis instar est ad substantiam.

288. Objic. III. Auctoritas aliorum PP. I. S. Irenæus Lib. II. adv. Hær. Cap. XXI. Tertul. Apolog. Cap. XXI. S. Cypr. Lib. de Idolorum vanitate, S. Aug. Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum. Leporius in libello suæ emendationis, unionem Divinitatis cum humanitate vocant *mixtionem*, *mixturam*, *contemperationem*. II. Alii dicunt naturam humanam fuisse Deificatam. III. Alii unionem Divinitatis & humanitatis comparant cum unione animæ rationalis & corporis. Ergo quemadmodum ex unione animæ & corporis resultat una natura humana: ita ex unione divinæ & humanæ naturæ resultat una natura divina. IV. S. Joan. Damasc. in sua Dialectica Cap. ultimo scribit: *Illud scire attinet, hypostaticam unionem unam rerum conjunctarum naturam efficere.* V. S. Julius Papa Epistola ad Dionysium Corinthiorum Episcopum scribit: *Necesse est enim ipsos, qui naturas asserunt duas, alteram earum adorare, alteram non adorare: ac baptizari in divinæ nomen, in humanæ vero non baptizari.* S. Greg. Neocesar. in Expositione Fidei, quæ plenior dicitur, & particulatim concepta fidei formula, ait: *Et est Deus verus, carnis expers, qui in carne apparuit, perfectus vera & divina perfectione. Non duæ personæ, neque duæ naturæ. Non enim quatuor adorare nos dicimus, Deum, & Filium Dei, & hominem, & Spiritum Sanctum.* R. ad I. Patres illos nomine mixtionis nil aliud intelligere, quam intimam & substantialem naturarum unionem in persona: mixtio enim etiam tunc dicitur, quando duæ substantiæ ita intime inter se conjunguntur, ut tamen utraque suam integritatem servet. Talis est mixtio corporis humani, & animæ rationalis. Talis fuit mixtio divinæ naturæ cum humana. S. August. Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum, apertissime mentem suam explicat: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis; in hac persona mixtura est* *Aliosque Patres.*

Dei

Dei & hominis: ſi tamen recedat auditor a conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam; quamquam & in ipſis corporibus aëri lux incorrupta miſceatur. Ergo perſona hominis, mixtura eſt animæ & corporis: perſona autem Chriſti, mixtura eſt Dei & hominis. Eodem loquendi modo utitur ipse S. Leo M. de Eutychiana hæresi utique minime suspectus, Serm. III. de Nativitate Christi: *Nec ſic creatura in ſocietatem ſui Creatoris eſt aſſumpta, ut ille habitator, & illa habitaculum eſſet: ſed ita, ut naturæ alteri altera miſceretur.* Ad II. R. Naturam humanam a Patribus dici Deificatam, quia est Divinitati substantialiter unita in personalitate Verbi, ita ut hic homo Christus sit Deus. Ad I. I. C. A. N. C. Patres in aliquibus tantum, non vero in omnibus unionem Divinitatis & humanitatis comparant cum unione animæ rationalis & corporis. Ac primo quidem in eo, quod utraque sit unio vere realis ac physica: tum quod neutra tollat distinctionem ac differentiam unitorum. Denique quod sicut ex unione animæ rationalis cum corpore resultat unus homo: ita ex unione Divinitatis cum humanitate unus resultet Christus, non duo. Ad IV. R. Billium, Damasceni interpretem, errasse, ac male vertisse naturam pro hypostasi: Damascenus enim in Græco habet μιαν ὑποσασιν unam personam, non μιαν φυσιν unam naturam. Præterea eodem Capite apertissime negat Damascenus, ex duabus naturis unam tertiam compositam effici posse. Ad V. R. Libellos illos decumana fraude ab Apollinaristis, vel Eutychianis fuisse suppositos S. Julio Papæ, & S. Gregorio Thaumaturgo, ut tanta Auctoritate errores suos stabilirent, ut refert Leontius Byzantinus Lib. de Sectis, Actione VIII. *Quidam ex hæreſi Apollinarii, vel Eutychis, vel Dioſcori, cum vellent ſuam hæreſin confirmare quasdam orationes Apollinarii Gregorio Thaumaturgo, aut Athanaſio, aut Julio inſcripſerunt, ut ſimpliciores fallerent.*

Neque paritas, aut ſequela eis.

289. Objic. IV. Paritas & sequela. Anima rationalis & corpus inter se unita, sunt una natura com-

composita. Ergo etiam Divinitas & humanitas inter se unitæ. II. In Christo datur persona composita. Ergo etiam natura composita. III. Si duæ sunt in Christo naturæ, erunt quoque duo Christi. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. M. Ideo in Trinitate unicus datur Deus, quia unica est natura, quamvis tres sint personæ. Ergo viceversa, duo sunt Christi si duæ dantur in illo naturæ. R. ad I. C. A. N. C. Disparitas est, quia complexum ex anima rationali & corpore, seu ipsa natura humana potest tamquam *principium quo* elicere quasdam operationes, quas nec anima rationalis seorsim, nec corpus potest elicere. Igitur cum natura ex sua notione sit *principium quo* operationum; complexum ex anima rationali & corpore recte dicitur una nova, tertia, & composita natura. At vero natura divina & humana inter se unitæ nullas elicere posunt operationes, quas elicere non posent, tametsi non esent unitæ inter se. Itaque non sunt una natura composita, sed duæ naturæ singulares, subsistentes in eadem Verbi persona, quæ actiones naturæ humanæ proprias non immutat intrinsecus; sed illis tamquam *principium quod* tribuit valorem infinitum, proportionatum dignitati personæ. Ad II. D. A. In Christo datur persona composita, id est, persona secundum se simpliciſsima, sed in duabus naturis subsistens, C. A. In alio sensu, N. A. & C. Natura composita in Christo dari nequit: quia utraque natura, tam divina quam humana, est completa & perfecta. Ad III. N. M. Ad *probat.* C. A. N. C. Concreta substantiva, quale est *Deus*, vel *Christus*, non multiplicantur, nisi simul multiplicetur natura & suppositum. In Trinitate multiplicantur personæ, sed non natura: in Christo multiplicatur natura, sed non persona. Ergo unus est Deus, & unus tantum est Christus.

suffragatur.

CON-

CONTROVERSIA X.

AN IN CHRISTO DETUR DUPLEX VOLUNTAS, ET OPERATIO?

CONTRA MONOTHELITAS.

Errores Monothelitarum.

290. Ex hæresi Eutychiana venenatus prodiit surculus, eorum nempe qui duas quidem naturas inconfusas, saltem verbotenus, confitebantur in Christo; non tamen nisi unicam, eamque divinam voluntatem & operationem admittebant, idcirco *Monothelitæ*, quæ vox Græca unius voluntatis asſertores significat. Voluntatis nomine eos non intellexisse potentiam, seu virtutem volendi, sed ipsum actum volendi, multi Theologorum arbitrantur, idque se ex variis professionibus fidei, quas Monothelitarum duces atque triarii sæpius ediderunt, manifeste colligere autumant. Neque enim, ajunt, Monothelitæ existimabant, voluntatem humanam Christi penitus extinctam esse; sed tantum eam esse quasi scpitam, otiosam & inertem: nec active ad operationem concurrere; sed passive tantum se habere, tamquam instrumentum Divinitatis. Rem illustrant exemplo. Quemadmodum, ajunt, scisio ligni procedit a fabro tamquam a causa principali movente, a securi tamquam a causa instrumentali mota, ita ut instrumenti moti & fabri moventis una sit operatio, nec interveniat alia voluntas quam fabri qui solus operatur: sic etiam juxta Monothelitas actiones & volitiones Christi procedebant a Verbo tamquam causa principali movente, ab humanitate vero tamquam instrumento moto: ita ut humanitas non esset id quod operabatur, sed quo instrumento operabatur Verbum. Alii cum Petavio de Incarnat. Lib. VIII. Cap. VI. sentiunt, Monothelitas, cum energiam omnem funditus amputarent in humana Christi natura, non solas facultatum actiones & motiones, sed ipsas quoque facultates, id est, ipsam potentiam ac virtutem volendi negasse. Propago enim cum fuerint Apollinaris & Eutychis, sive

Mo-

Monophysitarum, horum etiam hauserunt virus & pestilentiam: tametsi astu & calliditate hanc a se propulsarent invidiam, ac palam, verbisque conceptis duas in Christo naturas, perfectas & integras, nec ulla re deminutas agnoscerent, ne Synodicis Decretis, quibus hæreses istæ perculsæ erant, irretiti, omnium in se mortalium odia provocarent. Posterius id Monotheliticæ sectæ Principes omnino sensisse mihi multo verisimilius est; quamvis haud gravate concedam, simpliciores Monothelitas, qui occultum sectæ virus nondum cognoverant, ipsum tantummodo actum volendi ab humana Christi natura exclusisse.

Monothelismi initia, & progressus.

291. Circa A. 629. Monothelitica pestis ex inferis erupit. Heraclium confecto bello Persico Hierapoli versantem salutandi causa adiit Athanasius quidam Eutychianus, Jacobitarum Patriarcha, quem Imperator benigne complexus vehementer hortari cœpit, ut Chalcedonensem Synodum una cum suis debita cum veneratione susciperet, spem ei faciens obtinendi Patriarchatus Antiochèni, si id serio præstitisset. Hac spe illectus Athanasius morem illi gessit, duasque in Christo naturas agnoscere se subdola verborum professione simulavit. Tum homo vafer rem in aliam quæstionem divertens, rogat vicissim unamne an duas esse Christi voluntates & actiones existimet? Ad hanc percontationem hæsitans Imperator sciscitatur a Sergio CPolitano, qui & ipse Syrus, atque Jacobitis ortus parentibus erat, & Cyro Phasidis Episcopo, quid sit in hac quæstione sentiendum? Hi jam inde perniciosum virus hauserant a Theodoro Pharanitano Episcopo, præcipuo hujus erroris architecto: proinde respondent, unicam in Christo voluntatem esse & operationem. Ab his deceptus Heraclius, in fœdissimam impegit hæresim, in quam consentire cum Athanasio Jacobita primarios illos Antistites animadvertit. Paulo post Georgio Alexandrino Patriarcha demortuo, in ejus locum Cyrus e Phaside transfertur, qui ut Theodosianos hæreticos Acephalos, quorum ingens erat Alexandriæ numerus, ad in-

eundam concordiam adduceret, Synodum ea in urbe habuit A. 633. Novem in ea edidit capitula, quorum septimo dicebatur, *Eumdem unum Christum & Filium operari Deo decibilia & humana, una Dei virili operatione.* Absoluta Synodo scripsit ad Sergium CPolitanum, Epistolæque suæ novem illa capitula adnexuit. Sophronius sanctissimus Monachus, qui tunc Alexandriæ versabatur, apud Cyrum vehementer institit, ne unam in Christo operationem decerneret, atque ut septimum illud capitulum expungeret. Quod cum ab illo non impetrasset, eodem anno creatus Hierosolymitanus Episcopus, celebrata Synodo bene longam Epistolam scripsit ad Sergium, in qua duas operationes distincte adstruit. Sergius accepta Sophronii Synodica, ne ab eo præveniretur, ad Honorium Romanum Pontificem litteras dedit officii plenas, quibus quæ a Cyro & Sophronio gesta scriptaque fuerant exposuit, non sine maligna interpretatione mentis eorum & sententiæ, qui duas operationes asserebant, tamquam inde consequens esset, duas esse voluntates contrarias, & confligentes invicem. Honorius ratus litem illam exortam esse, quod quidam duas admitterent in Christo voluntates humanas, unam carnis, alteram spiritus, ad Sergium rescripsit per Joannem Symponum, *unam in Christo esse voluntatem, non duplicem; eoquod Christus nostram assumpserit naturam, non culpam.* Paulo post Romam delatus est Stephanus Dorensis Episcopus cum litteris Sophronii, quibus de nova Monothelitarum hæresi certiorem faciebat Pontificem. Obiit Honorius A. 638. XII. Octobris. Quo intellecto Heraclius, urgente Sergio, Ecthesin, seu fidei expositionem illico promulgavit, qua præcipiebatur ut omnes unam tantum in Christo fuisse voluntatem crederent, suppresso pacis amore unius aut geminæ operationis vocabulo. Sergius Patriarcha habita CPoli Synodo Ecthesim probavit, paulo post eodem adhuc A. 638. ad finem vergente e vivis ereptus, surrogato in ejus locum Pyrrho

ho Monacho Sacerdote, Heraclianæ Ecthesis propugnatore.

292. Severinus post Honorii mortem a Romanis electus, non nisi V. Kalend. Junii A. 640. consecratus est, quod Heraclius Severini electionem ratam habere recusaret, donec ille Ecthesim a se promulgatam, & ad Isacium Exarchum Ravennatem transmissam approbaret. Tantum vero abfuit ut Pontifex reciperet Edictum favens hæresi Monothelitarum, ut etiam anathemate damnaret. Severino post mensem secundum, & diem quartum Consecrationis suæ demortuo successit Joannes IV. Dalmata A. 640. qui coacta Romæ Synodo Monothelitarum hæresin anathemate confixit, illique faventem Heraclii damnavit Ecthesim. Doctrinam Honorii prædecessoris sui, cujus epistola abutebantur Monothelitæ ad defendendam hæresim suam, ostendit consentientem rectæ fidei, eumque purgavit, scripta ad Constantinum Filium Heraclii atque successorem epistola, qua rogavit illud etiam, ut Patris sui Ecthesim rescinderet. A. 642. demortuus successorem habuit Theodorum Græcum natione, qui de abolenda Ecthesi plurimum laboravit. Sub hujus Pontificatu A. 645. Mense Julio S. Maximus Martyr in Africa celebrem habuit collationem cum Pyrrho, qui seditione populari ob Constantini necem exagitatus, relicta CPoli eo se receperat. In ea disputatione Pyrrhus convictus veritati manus dedit, ac Romam veniens Theodoro Papæ libellum obtulit, quo damnata hæresi sua Catholicæ fidei subscripsit, atque ita in communionem receptus est. Verum postea Constantis Imperatoris jussu Olympius Exarchus Ravennam excitum, ad resumendam professionem hæresis adduxit. Cujus rei gratia Theodorus Pyrrhum deposuit, & anathemate damnavit, intincto in Christi sanguinem calamo, ut Theophanes refert in Chronographia, ejus damnationi subscribens. Paulum etiam CPolitanum Patriarcham, qui profugo Pyrrho suffectus fuerat, & Catholici assumpta larva Synodicas ad eum litteras direxerat,

A Roman. Pontificibus damnatur.

hæreseos Monothelitícæ convictum damnavit. Interea Constans Imperator, Heraclii nepos, animadvertens Ecthesin avi sui a Catholicis damnari, quod expresse in illa diceretur unam tantum dari in Christo voluntatem, abrogata Ecthesi aliam fidei professionem substituit, Typum dictam A. 648. in qua non solum unius aut geminæ operationis, sed unius etiam aut geminæ voluntatis vocabulis interdicebatur; eamque Romam misit ad S. Martinum Papam, Theodori successorem, ut ab eo approbaretur. Martinus A. 649. Lateranensem Synodum coegit Episcoporum CV. in qua Heraclii Ecthesim, & Typum Constantis, ac præterea fautores hæresis illius, Theodorum scilicet Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum CPolitanos Patriarchas diris devovit. Hanc ob causam iratus Constans Martinum, per Theodorum Calliopam CPolim adductum, Chersonam deportari jussit: ubi Sanctissimus Martyr periclitantis Ecclesiæ dolore, & ærumnis confectus obiit A. 655. die XVI. Septembris. Eamdem martyrii palmam septennio post, nempe A. 662. die XIII. Augusti promeritus est S. Maximus, celeberrimus Monothelitarum oppugnator, ac Catholicæ veritatis in Oriente defensor egregius verberibus concisus, & lingua dextraque manu abscisa in Colchidem deportatus.

Synodus VI. Oecumenica indicitur.

293. Constante Imperatore Syracusis in Sicilia A. 668. per insidias occiso, Constantinus ejus filius cognomento Pogonatus in Imperio successit, Princeps vere pius ac Catholicus. Hic debellatis Saracenis, & Imperii pace firmata, de Ecclesiæ pace restituenda sollicitus fuit. Itaque cum Dono primum Romano Pontifice, moxque cum illius successore Agathone de convocanda Synodo Oecumenica consilia agitare cœpit. Consentiente Pontifice, Generale & Oecumenicum Concilium convocavit Imperator CPolim, cui præsedit Agatho per Legatos suos Theodorum & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum. Interfuit Concilio ipse Constantinus Imperator cum selectis Judicibus, quo nomine laici Magistratus intelligun-

guntur, non qui de fidei rebus decernerent, sed qui conservatores esent Synodi ac libertatis partium. Locus Concilii fuit Secretarium sacri Palatii, cui Trullo cognomen a forma tecti in rotundam concamerationem constructi. Numerus Episcoporum, qui Concilio interfuerunt, haud facile iniri potest. Ducenti & octoginta octo inveniuntur in Annalibus Græcorum apud Cedrenum & Theophanem. Theodorus Balsamon CLXXI. numerat: Photius in Lib. de septem Synodis, CLXX. Paulus Diaconus de gestis Langobardorum, Lib. VI. Cap. IV. Beda Lib. de sex ætatibus, Anastasius in Leone II. aliique non plures CL. Subscriptiones exhibent Episcopos CLXVI. una cum Legatis, Presbyteris, & Diaconis.

294. Datum est initium CPolitano III. Concilio, inter Oecumenica VI. A. 680. mense Novembri, & Actionibus XVIII. intra menses paulo amplius XIII. absolutum est. Tribus primis lecta sunt Acta trium Generalium Synodorum, Ephesinæ, Chalcedonensis, & CPolitanæ II. Actione IV. recitatæ duæ Agathonis & Romani Concilii Epistolæ, ex Latino in Græcum sermonem translatæ, quibus Catholicum dogma geminæ in Christo voluntatis & operationis explanabatur. In Epistola sua S. Agatho profitebatur, *Apostolicam Romanam Ecclesiam numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexisse.* Actionibus V. & VI. Macarius Antiochenus Patriarcha, Monothelitarum pervicacissimus, jussu Imperatoris protulit non nulla patrum testimonia, quibus jactabat unam in Christo voluntatem probari. Sed Apostolicæ Sedis Legati, & cœtus omnis, vitiata illa esse & corrupta demonstrarunt. Actione VII. allatæ Patrum auctoritates, quæ duas in Christo voluntates & operationes probabant. Reliquis Actionibus, præter Monothelitarum hæresin & scripta, Heraclii Ecthesin, ac Typum Constantis, damnatæ etiam sunt personæ. Et quidem ex iis, qui jam decesserant, sceleris principes, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus CPolitani Episcopi, atque inter illos

Acta CPolitana.

los etiam Honorius Papa. Ex iis autem qui adhuc erant in vivis, Macarius Antiochenus Patriarcha, Stephanus ejus discipulus, aliique. Decretum est postea, *duas naturales voluntates in eo* (Christo) *& duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inconfuſe ſecundum Sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicandas: & duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impii aſſeruerunt hæretici, ſed ſequentem ejus humanam, & non reſiſtentem, vel reluctantem, ſed potius & ſubjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.* Post editam & promulgatam Actione XVIII. Fidei definitionem, interrogati ab Imperatore, an cum omnium Episcoporum subscriptione promulgata eſset, omnes ad unum exclamarunt: *Omnes ita credimus. Una Fides. Omnes id ipſum ſentimus. Omnes conſentientes & amplectentes ſubſcripſimus. Orthodoxe omnes credimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Orthodoxorum.* Gratias deinde cum egiſset Imperator Sanctæ Synodo ob extinctam hæresim, sermo acclamatorius in Constantini laudem palam recitatus est, quo ipsum etiam rogabant Patres, ut Edicto Concilium firmaret, ne quis amplius contradiceret, aut novam quæstionem moveret. In eo sermone verba illa observari merentur: *Summus autem nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps: illius enim imitatorem & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & Divini Sacramenti Myſterium illuſtrantem per litteras. Confeſſionem tibi a Deo inſcriptam illa Romana antiqua civitas obtulit, & dogmatum diem a Veſpertinis partibus extulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Subscripserunt Concilii Actis Patres omnes, & post ipsos Constantinus Imperator hunc in modum: *Conſtantinus in Chriſto Deo Rex ac Imperator Romanorum legimus & conſenſimus.* Scripserunt etiam Patres Synodicam relationem ad S. Agathonem, quam cum Actis Synodi transmiserunt per Legatos, confirmationem Concilii ab ipso postulantes his verbis: *Orthodoxæ autem Fidei ſplendidam lucem vobiſcum clare prædicavi-*

cavimus: quam ut iterum per honorabilia veſtra reſcripta confirmetis, veſtram oramus Paternam Sanctitatem. At S. Agatho absoluta quidem paulo ante Synodo, sed Legatis Apostolicis adhuc CPoli morantibus, IV. Idus Januarii A. 682. ad recipienda laborum præmia in Beatorum numerum receptus est, anno quarto sui Pontificatus nondum exacto. Cujus morte vulgata, cognitaque Leonis II. inauguratione, ad eum scripsit Imperator pro confirmatione Concilii per Legatos Romam redeuntes. Rata habuit Constantini vota S. Leo, & quæ in causa Fidei Synodus Oecumenica VI. seu CPolitana III. definierat, sua auctoritate confirmavit.

295. Conclusio Dogmatica. Duplex in Christo fuit voluntas & operatio, divina nempe & humana. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Christus ea nocte, qua mortem subiturus erat, Patrem oravit, hancque ipsam in hæc verba deprecatus est Matth. XXVI. v. 39. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Vel ut Lucas habet Cap. XXII. v. 42. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ergo alia fuit Christi voluntas, ac Patris; non divina, quam unam & eamdem amborum eſse nemo Catholicus dubitat: ergo humana, quam, præter divinam, solus habuit incarnatus qui loquebatur Filius. Ad Philipp. II. v. 8. ait Apostolus de Christo: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem.* Ergo Christus humanam etiam habuit voluntatem, quæ apta eſset ad obediendum, nec non etiam ad merendum, hoc est, ad liberandum & redimendum obedientiæ merito genus humanum: non enim divina Christi voluntas obedire poterat, aut mereri. Ipse Christus Joan. VI. testatur: *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Ubi manifestum est, Christum non loqui de divina sua voluntate, quæ physice & eſsentialiter eadem est cum voluntate Patris; sed de humana. Joan. XIV. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Ergo in Christo datur

Duplex in Chriſto voluntas & operatio oſtenditur ex Scripturis.

datur voluntas, & actus volendi distinctus a volitione divina Patris; quia mandatum ac obedientia non afficiunt divinam, sed humanam voluntatem.

Patribus Græcis. 296. Prob. II. Auctoritate Patrum Græcorum ac Latinorum, qui ante Monothelitarum exortam hæresin floruerunt. S. Athan. Lib. de Adventu divini in carne: *Cum ait: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte &c. duas hic voluntates oſtendit; unam videlicet humanam, quæ eſt carnis propria; alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem mortem deprecatur: divina vero ipſius eſt prompta.* S. Gregor. Nyss. in Lib. adversus Apollinarem: *Qui dixit, non mea, humanam ſignificavit: addens vero ſed tua, oſtendit Divinitatis ſuæ cognationem cum Patre, quæ nullam voluntatis differentiam habet ob naturæ communionem.* Et Lib. IV. contra Eunomium: *Neque Lazarum humana natura vivificat: neque jacentem plorat pati neſcia poteſtas: verum hominis quidem propria eſt lacryma: vita vero ejus eſt, quæ reipſa vita eſt.* Geminam Christi operationem apertius explicare haud potuiſset. S. Basil. Lib. IV. contra Eunomium: *Si ergo unum operatione eſſe dicunt, neceſſe eſt, etiam unum eſſe dicant ſubſtantia. Nam eorum, quæ diverſæ ſunt ſubſtantiæ, non poteſt eſſe ſimilis operatio.* S. Greg. Nazianz. apud Theodoretum Dial. III. *Cujus ergo ſunt paſſiones? Carnis. Igitur ſi carni paſſiones tribuis, eidem & humiles ſermones tribuito: & cui miracula imputas, ſublimes ei ſermones accommoda. Nam Deus miracula faciens merito ſublimia loquitur, atque operibus digna: Homo vero, qui patitur, recte humana loquitur, & paſſionibus conſentanea.* S. Joannes Chryſoſtomus Hom. LXVII. in Joannem expendens illa Christi verba: *Nunc anima mea turbata eſt*, scribit: *Hæc autem aſſumptæ naturæ ſunt, non Divinitatis. Idcirco dicit: Nunc anima mea turbata eſt, (quandoquidem niſi ita ſe res habeat, quomodo conſequens eſt, quod dicitur, Pater ſalva me ex hora hac,) & ita turbata eſt, ut & liberari inde poſtulet, ſiquidem effugere poſſet. Hæ ſunt humanæ naturæ imbecillitates.* S. Cyrillus Alexan-

xandrin. Lib. XXIV. Thesauri: *Quocirca quæ Divinitati convenienter dicta, vel facta sunt, Salvatorem indicant Deum: & rursus quæ humanitus dicta sunt, & facta, verum hominem ostendunt.* Et Lib. XXXII. *Non enim unam utique esse dabimus operationem Dei & opificii: ne aut creaturam ad divinam provehamus substantiam; aut divinæ naturæ præstantiam in eum, qui rebus factis convenit, redigamus locum. Nam quibus operatio & virtus citra ullum discrimen est una, iis speciei quoque constare necesse est unitatem.*

297. E Latinis Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, Cap. XXI. *Ille igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in Virginem quamdam, & in utero ejus caro figuratus nascitur homo Deo mistus. Caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, & Christus est.* S. Hilarius Lib. IX. de Trinit. *Nostri igitur causa hæc omnia Jesus Christus manens, & corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est: non tamen omittens naturæ suæ esse, quod Deus est.* S. Ambrosius Lib. II. de Fide ad Gratianum, Cap. III. *Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur: non turbatur ejus Divinitas; sed turbatur anima, turbatur secundum humanæ fragilitatis assumptionem, & ideo quia suscepit animam, suscepit & animæ passiones.* Et Cap. IV. *Servemus distinctionem Divinitatis, & carnis: unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones, quia quasi Deus loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est. Quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur.* S. Aug. Lib. II. contra Maximinum, Cap. XX. *Ubi autem dixit Filius Patri, Verum non quod ego volo, sed quod tu vis: quid te adjuvat quod tua verba subjungis & dicis, Ostendit vere suam voluntatem subjectam suo genitori. Quasi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei esse debere subjectam. Nam ex natura hominis hoc dixisse Dominum cito videt, qui locum ipsum Evangelii* *Et Latinis.*

paulo attentius intuetur. . . Homine quippe non assumpto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum: Non quod ego volo. Numquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle quam Pater. S. Leo M. Epist. X. ad Flavianum, Cap. IV. *Sicut Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit; ita caro naturam nostri generis non reliquit.* Idem Serm. V. de Passione, Cap. II. *Ut susscipientis susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis, divinam desideravit potentiam: quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, & cito demonstratum est, quid possit a trepidante orari, & quid non debeat a medente concedi.* Ex quo vides Patres CPolitani III. & Lateranensis sub S. Martino I. recte professos fuisse, doctrinam hanc de duplici Christi voluntate & operatione hausisse se ex Evangeliis, & Patrum magisterio.

Ac ratione Theologica.

298. Prob. III. Ratione Theologica. In Christo dabantur duæ naturæ perfectæ & impermixtæ, divina nempe & humana. Ergo etiam duplex voluntas, & duplex operatio, divina & humana; quia nulla est natura perfecta, quæ operationis aliquid non exerceat: & actus volendi humanus est necessario a potentia volendi humana; actus vero volendi divinus necessario est a potentia volendi divina, cum quælibet volitio sit necessario actus suæ potentiæ. Atque hoc argumento ostenditur non modo geminam voluntatem, sed geminum etiam intellectum dari in Christo, humanum & divinum, & utriusque intellectiones esse diversas. Christus enim utramque naturam habuit perfectam salvis utriusque proprietatibus naturalibus, inter quas utique etiam est intellectus, & intellectiones ab eo productæ. II. Verbum id assumpsit,

sit, quod sanavit. Sed voluntatem nostram vulneratam ac depravatam sanavit. Ergo voluntatem nostram, id est, humanam assumpsit. Utitur hoc argumento S. Joan. Damasc. in Oratione de duabus Christi voluntatibus: *Si non assumpsit humanam voluntatem, remedium ei non attulit, quod primum sauciatum erat. Quod enim assumptum non est, non est curatum, ut ait Gregorius Theologus. Ecquid enim offenderat, nisi voluntas?* III. Fide divina certum est, Christum meruisse, & pro peccatis nostris satisfecisse. Atqui actus Christi non potuerunt esse meritorii aut satisfactorii pro nobis, nisi producti fuissent a voluntate Christi humana. Ergo. P. m. Divina voluntas non potest per suos actus proprie mereri & satisfacere; hoc enim naturæ inferioris est. Ergo.

Quid circa actiones, & operationes Christi observandum?

299. Circa actiones, vel operationes Christi noto I. eas esse triplicis generis, ut observat S. Cyril. Alexandr. in Epist. ad Acacium Melitinensem Episcopum. Aliquæ nempe sunt divinæ, quæ a Christo fiunt, ut Deus est, absque ulla actione humanitatis, etiam ut causæ tantum instrumentalis: tales sunt actio concretiva animæ rationalis, conservatio mundi, concursus ad omnes actiones creaturarum. Aliæ sunt humanæ, id est, soli naturæ humanæ peculiares, & tantum denominative actiones Dei, quatenus actiones sunt suppositorum, velut edere, bibere, flere, pati &c. Aliæ denique sunt mixtæ, in quibus agit utraque natura, divina per omnipotentiam, humana per contactum vel motum. Miracula itaque a Christo patrata erant actiones mixtæ, sive Theandricæ; quia continebant actionem Divinitatis, & humanitatis conjunctæ. Noto II. humanas omnes actiones Christi Deificatas divinasque fuisse, intima quadam & naturali, proprieque dicta ratione: non solum propter qualemcunque cum Deo Verbo conjunctionem, & proprietatum communionem, sive quod humana natura auctore ac moderatore Deo ita gubernabatur, nihil ut sine ipsius nutu prorsus ageret: verum eo maxime, quod agendi vim & potentiam a persona divina tam-

quam a forma determinante ac perficiente; sine quo nec existere in rerum natura, nec operari omnino potuisset. Ex quo factum est, ut operationes omnes Christi, etiam humanæ, communesque nobiscum, singularis cujusdam excellentiæ fuerint, ac novæ, & hactenus inusitatæ: ita ut licet eadem ac nos faceret, diverso tamen & longe præstantiore quam nos modo hæc operaretur. Vide Petavium Lib. VIII. de Incarnatione, Cap. X.

Argumenta contraria refutantur.

Monothelitis neque Patres favent.

300. Objicitur I. Auctoritas Patrum. S. Dionysius Areopagita Lib. de Divinis Nominibus ait, *Unam esse in Christo Dei virilem operationem.* II. S. Athan. Lib. de salutari adventu Christi scribit: *Ille vir natus ex muliere, qui ex prima creatione sibi formam hominis erexit, & excitavit in ostensione carnis, sed sine voluntatibus carnalibus, & sine humanis cogitationibus, in imagine novitatis: voluntas enim erat solius Divinitatis.* III. S. Greg. Nazianz. Orat. II. de Filio Dei ait: *Velle enim illius in nulla erat re Deo contrarium, totum deificatum.* IV. S. Greg. Nyss. in Libris contra Eunomium scribit: *Ita Divinitas per corpus quod induit, communem omnium salutem operatur, ut propria sit carnis perpessio, Dei virilis sit operatio.* V. S. Cyril. Alexandr. Lib. IV. in Joannem ait: *Cum Principis Synagogæ filiam suscitavit, dicens, Filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est. Eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam & cognatam per ambas naturas ostendit operationem.* VI. PP., præcipue S. Athan. & S. Cyril. humanitatem Christi vocant *organum* & *instrumentum Divinitatis.* Sed instrumentum non habet operationem propriam. Ergo. R. ad I. Textum illum perfide interpolatum fuisse a Cyro Alexandrino in sua Synodo A. 633. eumque pro *nova* Dei virili operatione, substituisse *unam.* Quanta licentia grassati sint

sint Monothelitæ in scripta Patrum, & quanta impietate ea depravaverint, corrumpendo, resecando, ac fraudulenter illegitimos libros supponendo, satis ostendunt Acta Synodi VI. Oecumenicæ. Actione VIII. Macarius Antiochenus Patriarcha, testimoniis Patrum quæ protulerat ad authenticos codices collatis, coram universa Synodo falsi convictus est. Interrogatus qua fronte ausus fuerit testimonia Patrum corrumpere? Reposuit homo sine fronte: *Ego teſtimonia, quæ defloravi, ſecundum proprium intentum defloravi, quærens ſtabilire intentionem meam.* His auditis Patres omnes in has voces erupere: *Hæreticum ſe ipſum manifeſte demonſtravit. Novo Dioſcoro anathema. Hujusmodi deponatur. Novum Dioſcorum foras mitte. Novo Apollinario malos annos. Merito ab Epiſcopatu alienetur. Nudetur circumpoſito ei Pallo.* Actione XIV. lecti sunt libelli Mennæ CPolitani ad Vigilium Papam, & Vigilii ad Justinianum Imperatorem, & Theodoram Augustam: quos Patres universi conflictos a Monothelitis, & suppositos fuisse pronunciarunt, ipsaque Acta Vtæ Generalis Synodi, sive CPolitanæ II. dolo Stephani hæretici, qui Macarii Antiocheni socius erat, interpolata. Ad II. Macario Antiocheno hoc ipsum S. Athanasii testimonium objicienti in VI. Synodo, respondit Theophanes Presbyter & Abbas Actione VIII. *Si teſtimonium, quod detruncaſtis, in integro poſuiſſetis, inveniebatur, quod carnales voluntates & humanas cogitationes culpabiles & voluptuoſas accepit Sanctus Pater Athanaſius, quæ ex ſeminatione diabolica illatæ ſunt humanæ naturæ.* Quando autem S. Athanasius dicit voluntatem Christi solius fuisse Divinitatis, intelligit solum quantum ad regimen & directionem; quia Divinitas tamquam Domina omnes humanitatis actiones specialiter regebat ac moderabatur. Ad III. Respondit Basilius Gortynæ Episcopus Stephano Macarii discipulo in VI. Synodo Actione VIII. *Quamnam voluntatem dicis, quæ deificata ſit, divinam an humanam? Si enim divinam dixeris, quod divinum eſt, deificatione non eget. Sin humanam, perſpicue illa ipſa, quam profers, ſententia*

duas

duas voluntates vel invitus significas. Quia nimirum voluntas deificata, non est voluntas divina, quæ deificatione non indiget; sed humana. Ad IV. R. cum S. Maximo in Disputatione cum Pyrrho, & Damasceno Lib. III. de Fide Orthodoxa, Cap. XV. Si propterea una Christi operatio esse debet, quod operatio sit solius Divinitatis, passio vero humanitatis; pariter colligendum erit, unicam esse in Christo naturam, scilicet divinam, quæ sola est operatrix, cum humana patibilis potius dicenda sit. R. II. Sensum citati textus esse, quod divina Christi natura in redemptionis negotio potissimam sibi partem vendicet; quia omnis valor in humanas Christi actiones derivatur ex conjunctione naturæ divinæ cum humana in persona Verbi. Ad V. R. Unam & cognatam operationem dici a S. Cyrillo, tum ratione principii, seu personæ agentis: tum propter arctissimam naturarum unionem, qua fit, ut quemadmodum natura hominis assumpta, sic hujus actio divina sit & Verbi propria. Itaque in idem opus, cujusmodi erat mortuæ puellæ ad vitam revocatio, geminæ concurrebant operationes, ab eadem persona diversis ex principiis manantes. Ad VI. D. A. Patres passim vocant humanitatem Divinitatis instrumentum animatum, intellectu ac voluntate præditum, C. A. Inanimatum, iners, ac otiosum, N. A.

Neque ratio. 301. Objic. II. Ratio. Voluntas, seu actus volendi non est proprietas naturalis, sed hypostatica & personalis. Ergo cum in Christo sit tantum una persona, unica etiam est voluntas. Ergo si in Christo duæ admittantur voluntates, necesse est etiam duas admitti personas. P. A. Actiones sunt suppositorum. Ergo. R. N. A. Si enim voluntas esset proprietas personalis, sequeretur in Deo dari tres voluntates distinctas, quia tres dantur personæ distinctæ. Ergo cum fide divina certum sit in Deo unicam dari voluntatem, quia nimirum unica datur in Deo natura, voluntas non est proprietas hypostatica, sed naturalis. Ergo cum in Christo duæ dentur

natu-

naturæ impermixtæ, datur etiam duplex voluntas, divina & humana. Ad *prob.* D. A. Actiones sunt suppositorum denominative, quia illud denominant agens, C. A. Productive, N. A; sola enim natura est principium elicitivum operationum.

302. Dices I. Fieri non potest, ut in una eademque persona duplex detur voluntas, quin una alteri quandoque opponatur. Ergo Christo non potest tribui duplex voluntas, divina & humana, quin una alteri adversetur. *Conf.* In nostris principiis humana Christi voluntas refugiebat mortem, quam imperabat divina. Matth. XXVI. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Ergo voluntas Christi humana adversabatur voluntati divinæ. P. C. Volitio efficax, & nolitio inefficax ejusdem rei sunt actus contrarii. Ergo. R. N. A. Voluntas humana Christi erat perfectissime conformis divinæ voluntati, cum Christus de se ipso profiteatur Joan. VIII. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Ad *conf.* D. A. Refugiebat mortem actu efficaci, N. Inefficaci, C. A. N. C. Hic ipse actus, quo Christus inefficaciter refugiebat mortem tamquam incommodum naturæ, conformis erat divinæ voluntati. Etsi enim Deus absolute voluerit Christum mori pro salute humani generis; voluit simul ut Christus hanc ipsam salutem operaretur non solum patiendo dolores corporis exteriores, verum etiam interiores, tristitiæ, pavoris &c. quibus inefficaciter aversabatur mortem, tamquam incommodum aliquod naturæ. Ad *prob.* N. A. Actus enim efficax quo Christus absolute acceptavit mortem ut gratam Deo, & hominibus salutarem; & actus inefficax, quo mortem aversabatur ut molestam naturæ, siquidem ita Patri placeret, nullam habebant inter se oppositionem, ut patet consideranti.

303. Dices II. Natura humana potest spoliari propria subsistentia. Ergo etiam voluntate propria. R. C. A. N. C. Fides docet subsistentiam propriam humanitatis non esse proprietatem necessariam naturæ humanæ, ut ostendimus Controversia VII. contra Nestoria-

storianos. Contra vero intellectus & voluntas humana sunt proprietates essentiales naturæ humanæ: nec fides docet, aut sana ratio, eas separari posse a natura.

304. Dices III. Saltem dici posset, quamvis in Christo duplex olim fuerit voluntas & operatio, post expletum tamen opus redemptionis unicam tantum dari voluntatem & operationem, nempe divinam. R. N. A. Quod enim Verbum semel assumpsit, numquam dimisit, cum unio hypostatica Verbum inter & humanam naturam stabilis sit ac indissolubilis. In VI. Synodo Actione XVI. Constantinus quidam Ecclesiæ Apameensis Presbyter ad Concilium accessit, rogavitque Patres, ut liceret sibi proponere novum quoddam Henoticon, seu modum conciliandi eos, qui de una vel duabus voluntatibus & operationibus inter se dissentirent. Is porro ineundæ concordiæ modus erat, ut Christus habuisse quidem voluntatem humanam diceretur, sed quam exuisset in morte cum carne & sanguine; adeoque divinam tantum in eo mansisse voluntatem post resurrectionem. Sed explosa atque damnata est hæc assertio, Patribus exclamantibus: *Hæc secta Manichæorum est: Hæc est fides Apollinarii. Anathema illi cum dogmatibus suis: Novo Manichæo anathema, foras mittatur Manichæus, omnibusque hæreticis anathema.*

APPENDIX

DE HONORIO I. ROMANO PONTIFICE.

Honorius neque Monothelismi argui potest.

305. Quæres I. An Honorius lapsus sit in hæresin Monotheliticam? R. negative. Probatur assertio I. Auctoritate S. Agathonis Papæ, qui in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem scribit: *Quoniam Dominus & Salvator omnium, qui fidem Petri non defuturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper est cognitum cunctis.*

tis. II. Ex Joanne Sympono Abbate, auctore illius Epistolæ nomine Honorii ad Sergium exaratæ. Hic, triennio post mortem Honorii, jussu Joannis IV. Pontificis, ita scribit ad Constantinum Imperatorem, Heraclii filium: *Unam voluntatem diximus in Domino, non Divinitatis ejus & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias diceret, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatem signabat.* III. Ex S. Maximo Martyre, qui Honorium adversus Monothelitas constanter defendit, contenditque in disputatione cum Pyrrho habita, legitimum Epistolæ Honorii sensum resciendum esse a Joanne Sympono, Epistolæ illius auctore: quæ cum Pyrrhus audivisset, victas dedit manus.

306. Quæres II. An geminæ Epistolæ Honorii ad Sergium sint genuinæ? R. Prima Epistola a Monothelitis paulo ante VI. Synodum ita corrupta fuit, ut alia omnino sit ab ea, quam Honorius ad Sergium conscripsit: assuta nempe illi fuere, quæ ad Christi operationes, earumque silentium pertinent. Altera vero Honorii ad Sergium Epistola supposititia est, & a Monothelitis harum fraudum optime gnaris penitus conficta. Probatur assertio I. Sergius neutram Honorii Epistolam vulgavit, neque in Ecthesi sua Honorium umquam laudavit, quamvis eadem prorsus fuisset doctrina Ecthesis, & Honorii. Immo Ecthesin suam, quamvis jam ante duos annos conscriptam, non promulgavit, nisi statim post mortem Honorii A. C. 638. II. Per annos omnino XLII. post mortem Honorii, neque Monothelitæ ante Synodum VI. alteram hanc Honorii epistolam umquam citarunt; neque Pyrrhus umquam, etiam in celebri illa disputatione Africana cum S. Maximo, dicere ausus fuit, quod Honorius unius aut duplicis operationis silentium imposuerit. Hoc unum ajebat, Honorium Sergio assensisse circa unam in Christo voluntatem. III.

Cum illius ad Sergium Epistolæ partim corruptæ partim supposititicæ sint.

Heraclius Imperator, cujus nomine Sergius Ecthesin ediderat, cum se Joanni IV. purgaret, quod Ecthesin promulgarit, Honorii litterarum numquam mentionem fecit, quarum auctoritatem secutus Ecthesin subsignaverit; quæ certe honestissima fuisset excusatio. *Ecthesis*, scribit Heraclius ad Joannem IV. A. C. 641. *non est mea; neque enim ego vel dictavi, vel jussi ut fieret. Sed cum hanc Sergius Patriarcha composuisset ante quinque annos, priusquam ab Oriente repedassem, deprecatus est me, cum ad hanc felicem urbem* (CPolim) *pervenissem, ut nomine meo proponeretur cum subscriptione, & suscepi deprecationem illius. Nunc vero cognoscens, quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea.* IV. Quando Constans Imperator A. C. 649. petiit a S. Martino Papa approbari *Typum*, numquam illi objecit Epistolam hanc Honorii de silentio unius aut duplicis operationis: facturus utique, si id Honorius scripsisset. V. Severinus, Joannes IV. ac Theodorus Pontifices Heraclii Ecthesin damnarunt; Martinus I. vero Typum Constantis, quin eorum aliquis secundam hanc Honorii Epistolam umquam damnaverit, vel illius mentionem fecerit. Atqui damnare illam debuissent; quia prætensa illa Honorii epistola Ecthesi & Typo simillima erat: & Monothelitæ etiam post condemnationem Ecthesis & Typi dicere potuissent, sequi se auctoritatem Honorii Papæ, supprimendasque esse pacis studio unius aut geminæ operationis voces. VI. Joannes IV. in Apologia Honorii fatetur, eum unam dixisse in Christo voluntatem, eoquod solam humanam naturam spectaverit: de indicto autem circa unam aut duplicem Christi operationem silentio ne verbum quidem facit. Quia nimirum de hoc neque a Pyrrho accusatus fuerat Honorius, neque accusari poterat; cum illa, quæ nunc in Honorii Epistolis extant, olim non extiterint. Idem dicendum est de S. Maximo Martyre, egregio Honorii defensore. Ex his colliges non modo primam Honorii Epistolam fuisse vitiatam, alteram omnino a Monothelitis confictam, verum

rum etiam illam Sergii ad Honorium, cui ille suo responso in secunda Epistola subservire videtur, ex mendaci Monothelitarum officina prodiisse.

Neque negligentiæ in ea hæresi supprimenda.

307. Quæres III. An Honorius in supprimenda hæresi Monothelitica saltem negligentiæ sit arguendus? R. negative. Cognita enim Sergii fraude per Stephanum Dorensem Episcopum, Sophronii Hierosolymitani Legatum, Honorius brevi illo tempore quo superfuit, Sergium, frustra licet, hortari, monere, & objurgare non destitit. Testes hujus rei proferimus duos, omni exceptione majores, S. Maximum Martyrem Epist. ad Petrum Jllustrem: *Quæ hos* (Monothelitas) *non rogavit Ecclesia? Quis pius & Orthodoxus non supplicavit Antistes, cessare illos a propria hæresi? Quid autem & divinus Honorius? Quid vero & post illum Severinus senex? Quid denique & is, qui post hunc extitit, sacer Joannes? Porro is, qui nunc præsidet beatissimus Papa Theodorus, omisit quidquam supplicationi conveniens?* Et S. Martinum. I. Epist. ad Amandum Trajectensem: *A Sergio falso Episcopo CPolitano execranda & abominanda hæresis pullulavit, quam Successor ejus Pyrrhus in deterius auxit. Pro qua re sæpius Apostolica Sedes persuasionibus, contestationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos,* (Sergium nempe & Pyrrhum) *quatenus ab ejusmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapsi sunt, remearent.* Porro Sergium nemo alius Romanorum Pontificum admonere & increpare potuit, nisi Honorius, cui Sergius non amplius quam duos fere menses superstes fuit; Sedes vero Apostolica post mortem Honorii XIX. mensibus vacavit. Atque hæc demum est causa, cur Sergius, non nisi audita morte Honorii, Ecthesin suam promulgaret. Præterea Theophanes, Cedrenus, Zonaras, concordi voce affirmant, Sophronium in Concilio Palæstinæ Monothelitas damnasse, Romamque ad Pontificem Acta Synodalia transmisisse, a quo approbata fuere. Is autem Pontifex alius esse non potuit quam Honorius, cum Sophronius

obierit A. C. 636. Honorius vero 638.; non vero Joannes IV. ut citati Historici referunt, turbata temporum serie. Quod si quæras, cur Honorius Sergium non excommunicarit, aut Sede sua dejecerit? Respondeo, id factum non fuisse ab Honorio, ne Heraclium Imperatorem huic hæresi impense faventem, magno Christianæ Reipublicæ malo, in Catholicos concitaret: neque tempus illud erat convocando Generali Concilio idoneum, Saracenis Orientem miscentibus. Dein Pyrrhum CPolitanum, Sergii successorem, nec Severinus, nec Joannes IV. deposuerunt, aut excommunicarunt, absque ulla nimiæ indulgentiæ nota.

Ab Orientalibus injuste damnatus est.

308. Quæres IV. An, & quo jure Honorius a VI. Synodo ut hæreticus damnatus fuerit? R. ad I. affirmative. Verba enim Synodi clariora sunt, quam ut ea mitius interpretari possimus. R. ad II. id non nisi iniquissime factum fuisse. Cum enim Georgius Chartophylax, probabilius Monotheliticæ fraudis particeps, jussus a Patribus VI. Synodi Petri, Pauli, Cyri, ac Theodori scripta exquirere, præter omnium expectationem secundam Honorii Epistolam ad Sergium attulisset, absconditis Pyrrhi & Pauli scriptis: Patres, quamvis scirent defensionem Honorii susceptam fuisse a Joanne IV. ejus Orthodoxiam a S. Maximo M. commendatam, Severini, Joannis IV. Theodori, ac S. Martini Summorum Pontificum, qui Monothelitarum hæresin damnarunt, perpetuum de illa secunda Honorii Epistola silentium: Sancti Agathonis de prædecessoribus suis, ac proinde etiam de Honorio, testificationem, numquam illos a via veritatis deflexisse; nulla facta veritatis perquisitione, an Epistola illa vere ab Honorio conscripta fuerit, primæ Sedis Antistitem damnarunt ut hæreticum. Adeo ut vereri visi fuerint, ne oblatam Honorium damnandi occasionem amitterent; ne damnatis CPolis, Antiochiæ, atque Alexandriæ Patriarchis, solus Romanus Pontifex ab hæresis nota immunis esset.

309.

309. Dices I. Absque temeritatis nota Generalis Synodus accusari nequit injustitiæ. Ergo. II. Si Honorius injuste damnatus fuisset, Legati Sedis Apostolicæ Synodo præsidentes obstitisent huic damnationi. Atqui non obstiterunt. Ergo. R. ad I. D. A. Si Generalis Synodi sententia a Romano Pontifice approbata fuerit, C. A. Secus, N. A. Exemplum habemus in Ephesina II. & Ariminensi. Ad II. R. Quamvis id litteris consignatum non sit, omnino tamen incredibile est, Sedis Apostolicæ Legatos, qui in hac ipsa VI. Synodo Vigilium Papam a calumniis tanta contentione vindicarunt, cum ad Honorii litteras ventum est, ne hiscere quidem ausos fuisse. Nisi dicas, eos omnino bardos fuisse homines, quales tamen Roma mittere non solet ad Concilium Generale. Quare multo verisimilius est, Orientales Episcopos, qui Honorium utcunque damnatum cupiebant, Legatorum sermonibus obstitisse, eorumque intercessionem rejecisse, curasseque, ne quod ejus rei vestigium in Actis appareret: sicque Acta Synodi VI. non quidem corrupta, mutila tamen & manca esse, quod aliunde etiam probatur. Nam Actione XIII. deest surrogatio Theophanis in locum Macarii Antiocheni, & Actione XV. deest quæstio habita de Apergio Pergensi Episcopo cui anathema cum cæteris hæreticis dictum est. Quod si quæras, cur Pontifices Romani non objecerint Græcis, quod inconsulta Sede Romana damnare ausi sint Honorium, & expresse protestati non sint contra hanc Græcorum audaciam? R. Bono pacis id eos dissimulasse, metu schismatis, & ne ansam darent Monothelitis spernendi auctoritatem VI. Synodi.

Roma Honorii damnationem numquam ratam habuit.

310. Quæres V. An Romani Pontifices ratam habuerint damnationem Honorii factam a VI. Synodo? R. negative. Nam I. etiam post damnationem a Synodo VI. factam corpus Honorii in Vaticano reconditum, ibidem perstitit, ejusdem nomen, & imago in sacris Diptychis & Basilicis expressa, retenta sunt. II. Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, Vir ævo suo doctissimus ac celeberrimus, qui CLXXX. circi-

circiter annis post VI. Synodum floruit Sæculo IX. Præfatione in sua Collectanea ad Joannem Diaconum, Orientales Episcopos qui Honorium damnarunt, *Calumniatores* vocat; aitque hanc sextam Synodum ita suscipiendam esse, quemadmodum SS. PP. secundam & quartam Oecumenicas Synodos susceperunt, quibus in Fidei causa dumtaxat summam auctoritatem Pontifices tribuerunt: nihilque aliud qualibet in Synodo ratum firmumque habendum esse, quam quod Apostolica Sedes aut faciendum præceperit, aut factum confirmaverit. Ergo persuasum habuit Anastasius Bibliothecarius, ab Apostolica Sede numquam confirmatum fuisse judicium de Honorio ab Orientalibus latum; secus eos *calumniatores* non vocasset. III. Humbertus Cardinalis, Episcopus Sylvæ candidæ, S. Leonis IX. Legatus, in Responsione ad Nicetam Pectoratum apud Henricum Canisium Antiquæ Lectionis Tomo VI. Græcis aperte professus est CPoli A. C. 1053. solum dogma in VI. Synodo sancitum, a Pontifice confirmatum fuisse. *De Papa Agathone*, ait, (dicere debuisset Leone II. qui successit Agathoni demortuo, antequam ex Concilio CPoli Romam redirent Legati,) *omnino scimus, quia nec VI. Synodo per se ipsum præsedit, nec aliquibus capitulis ejus subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt adversus Monothelitarum hæresin.*

311. Dices I. S. Leo II. Epist. ad Constantinum Pogonatum Imperatorem scribit: *Nec non* (damnamus) *& Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit. Et omnes, qui in suo errore defuncti sunt.* Ergo ratam habuit damnationem Honorii. R. Epistolam illam S. Leonis II. ad Constantinum a Græcis interpolatam fuisse. Prob. assertio I. Si Leo II. sententiam VI. Synodi in Honorium latam confirmasset, Anastasius Bibliothecarius, ex officio suo Pontificum epistolas diligentissime pervolvens, numquam dixisset, VI. Synodum quoad damnationem Honorii a Pontificibus Romanis approbatam

non

non fuisse. II. Illa verba: *Nec non & Honorium &c.* nullo modo cohærent cum iis, quæ sequuntur: *Et omnes qui in suo errore defuncti sunt;* cum certum sit, Honorium in hæresi mortuum non fuisse. Si vero verba illa, *nec non & Honorium &c.* demantur, postrema optime cohærent prioribus: *Anathematizamus novi erroris inventores, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, CPolitanæ Ecclesiæ Subsessores magis quam Præsides, & omnes, qui in suo errore defuncti sunt.* III. Est incredibile, quod Leo scripserit de Patribus sextæ Synodi: *Et qui in eo fideliter convenerunt, Christi Ecclesiæ Sacerdotes, inter Sanctos Ecclesiæ Patres atque Doctores adscribendos æque censemus.* Ergone Sancti nobis Ecclesiæ Patres erunt Georgius CPolitanus, aliique Episcopi Monothelitæ, qui depositionis metu fidem Catholicam in Synodo amplecti sunt visi? Etiamne XLII. Episcopi illi, qui post XI. annos a Synodo VI. cui interfuerant, Canones illos in Trullana Pseudo-Synodo ediderunt, quibus Clericorum continentiam, tamquam Apostolicæ traditioni contrariam vituperarunt, eosque, qui ab hæreticis adhibita legitima materia & forma baptizati fuerunt, rebaptizandos esse statuerunt? Illud præterea notandum est, Latinum epistolæ hujus autographum exemplum intercidisse, quodque nunc habemus, e Græco Latine esse redditum. Intererat autem quam maxime Græcorum, Epistolam Leonis interpolari, ne quis Græcis vitio verteret, quod Honorio anathema dicere haud sint veriti; cum hoc pacto Romanum Pontificem hac in re consentientem se habuisse dicere possent.

312. Dices II. Quæ S. Leo II. in Epistola ad Constantinum Imperatorem scripserat, repetit etiam in Epistola ad Ervigium Regem, & Hispaniæ Episcopos, in qua ait: *Qui vero adversus Apostolicæ traditionis puritatem perduelles extiterant, abeuntes quidem æterna condemnatione mulctati sunt: id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus CPolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogma-*

dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit. R. Et illam quoque Epistolam fuiſse interpolatam. Prob. aſsertio I. Auctoritate Humberti & Anastasii Bibliothecarii, ut superius dictum est. II. S. Leo in hac Epistola ait, hanc eſse sextam Synodum, & Patres hujus sextæ Synodi legiſse ac retractaſse quinque Universalia Concilia. Atqui credibile non est, sapientiſsimum Pontificem hæc ad Hispanos scripsiſse, quos sciebat eo tempore, quamvis cum Romana Ecclesia conjuncti eſsent, rejicere omnino quintam Synodum, sive CPolitanam II. in qua non de fide, sed de personis actum fuerat. Patet hoc ex ipso Concilio Toletano XIV. A. C. 684. celebrato, quo Hispaniarum Episcopi Synodum hanc VI. solemniter receperunt. Nam Cap. V. dicitur: *Geſta Concilii hujus Nicænæ, CPolitanæ, Epheſinæ, & Chalcedonenſis fidei eſse concordantia.* Et Cap. VII. *Poſt Chalcedonenſe igitur Concilium, hæc* (Acta VI. Synodi) *debito honore, loco & ordine collocanda ſunt.* III. Credibile non est, a S. Leone II. Honorii damnationem divulgatam fuiſse apud Hispanos, qui tolerare non poterant, ut qui in Ecclesiæ pace obierant, qualis certe fuit Honorus, post mortem damnarentur: ideoque, hac præcipue de causa, Hispani quintam Synodum, id est, CPolitanam II. aversabantur, quod nimirum in illa damnatus fuiſset Theodorus Mopsuestenus, jam pridem, ut putabant, in pace Ecclesiæ demortuus. Quare longe probabilius dicendum est, quod S. Leo II. ad Hispaniæ Episcopos solam expositionem Fidei Synodi VI. miserit, cui uni & soli Hispaniæ Episcopos subscribere vehementer optabat.

313. Dices III. In Nicæna II. Synodo, & CPolitana IV. eadem memoratur damnatio Honorii. Ergo. R. Utraque illa Synodus approbat etiam Canones Apostolorum & Trullanos: neque tamen hæc approbatio efficere potuit, ut quam antea illi Canones non habuerant auctoritatem, eam deinceps fuerint consecuti, Nova igitur hæc damnatio, facta absque nova inqui-

inquisitione, novum pondus non addit damnationi Honorii a VI. Synodo factæ. Præterea Pontifices Romani approbando Nicænum II. & CPolitanum IV. definitiones Fidei tantum approbarunt, non autem reliqua quæ in his Conciliis, sancita sunt; nisi in quantum rectæ fidei, probis moribus, aut Sedis Romanæ Decretis sunt conformia. Post CPolitanum IV. nullum Concilium damnationis Honorii amplius mentionem fecit.

314. Dices IV. In Libro diurno Romanorum Pontificum continetur quædam professionis formula, in qua anathema dicitur Honorio; multique putant hanc fuisse formulam professionis fidei, quam Romani Pontifices Sæculo VIII. emittere solebant. R. Falsam esse hanc conjecturam, vel suspicionem. Nam I. Si Summi Pontifices hac professionis formula usi fuissent Sæculo VIII. Anastasius Bibliothecarius, qui id ignorare non poterat, Sæculo IX. non scripsisset, Honorii damnationem ab Apostolica Sede approbatam non fuisse. II. Stylus prodit hanc formulam Græcæ esse originis; dicitur enim in illa: *Venerabilem tomum celebriter assequentes. Deo odibilem Macarium. Magni Principis nostri Domini Constantini &c.* Quæ omnia Episcopum aliquem Orientalem, non Romanum Pontificem loquentem exhibent. III. Ad finem Sæculi IX. certum est Romanos Pontifices alia formula usos esse, quam Ivo Carnotensis exhibet in suo Decreto, Parte IV. Cap. CXXXII. & Baronius ad A. C. 869. Est autem hujusmodi: *Sancta octo Universalia Concilia, id est, Nicænum, CPolitanum, & Ephesinum I. Chalcedonense, Vtum quoque & VItum item CPolitana, & VII. item Nicænum, VIII. quoque item CPolitanum usque ad unum apicem immutilata servare &c.* Ergo probabilius dicitur, quod Pontifices etiam prius usi sint eadem formula. Vide Illustrissimi Joan. Baptistæ Bartholi Feltriensis Episcopi eruditissimam pro Honorio I. Apologiam.

CONTROVERSIA XI.

AN IN CHRISTO DETUR COMMUNICATIO IDIOMATUM IN ABSTRACTO?

CONTRA LUTHERANOS UBIQUETARIOS.

Quid sit communicatio idiomatum?

315. *Communicatio idiomatum* hic nihil aliud est, quam mutua ac reciproca nominum, attributorum, & proprietatum naturæ utriusque in Christo prædicatio & communio. Nomen aliud est abstractum, quod tantum significat formam vel quasi formam, ut v. g. *Divinitas* vel *humanitas:* aliud est concretum, quod formam simul & subjectum exprimit, ut v. g. *Deus. Homo.* Porro concreta alia sunt naturæ, quæ expressius naturam indicant, ut *Deus. Homo;* alia sunt personæ, quæ expressius personalitatem significant, ut *persona*, *suppositum*, *Pater*, *Filius*, *Spiritus Sanctus.* Observat S. Thomas III. Parte Quæst. XVI. Art. V. per hæc concreta personalia, *Verbum*, *Filius Dei*, *Christus*, *Jesus*, unum idemque suppositum significari, nempe suppositum Verbi, cum hoc tamen discrimine, quod nomen *Christus* connotet in obliquo utramque naturam, divinam & humanam, in quibus suppositum illud subsistit: *Jesus* solam naturam humanam, cætera vero solam naturam divinam.

Eamdem in Christo dari in concreto.

316. Catholici omnes contra Nestorium docent, dari in Christo communicationem idiomatum in concreto, seu respectu personæ ipsius, ita ut ratione illius prædicata naturæ divinæ propria enuntiari per affirmationem possint de homine, & vicissim prædicata naturæ humanæ propria affirmari possint de Deo: ut adeo veræ sint hæ propositiones: *Homo est Deus. Deus est Homo. Homo impassibilis est ac immortalis. Deus passus ac mortuus est.* Ratio hujus est, quia in his propositionibus semper datur identitas inter rectum subjecti, & prædicati; habent enim hunc sensum: *Subsistentia terminans naturam divinam, est subsistentia terminans naturam humanam, vel quæ passa est. Et subsistentia terminans naturam humanam, est subsistentia*

ter-

terminans naturam immortalem & impassibilem, nempe divinam. Vel istum: *Deus ratione humanitatis, quam per unionem hypostaticam sibi propriam fecit, est homo.*

317. Assertio hæc iisdem argumentis ex Scriptura & Patribus demonstrari potest, quibus Controversia septima ostendimus unicam in Christo dari personam; ex hoc enim necessaria consecutione fluit, de uno eodemque Christi supposito, in duabus naturis subsistente, prædicari in concreto posse tum utramque naturam, tum ea quæ utrique naturæ propria sunt. Paucos exhibemus Patrum textus, quibus consectarium hoc confirmatur. S. Greg. Nyss. Lib. V. contra Eunomium scribit: *Mortis perpessio ad eum, qui patibilis naturæ particeps fuit, refertur, propter hominis cum ipso copulationem: & sublimia, Deoque digna nomina in hominem descendunt: adeo ut ille, qui in cruce conspectus est, Dominus gloriæ nominetur; ob ejus cum eo, quod abjectum est & humile, commistionem; nominum quoque gratia in humanam simul transeunte naturam.* S. Greg. Nazianz. Orat. XXXV. ait, *Inferiorem hunc hominem, Deum esse factum, eo quod cum Deo commistus est, & unus factus, eo, quod præstantius est, pervincente.* S. Ambr. Lib. II. de Fide, Cap. IV. *Unde illud, quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus. Sed quia idem Deus, idem homo, Christus Jesus Dominus majestatis dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturæ, id est, humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete & Dominus majestatis dicatur esse qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cœlo.* S. Cyril. Alexandr. Epist. ad Valerianum: *Cujus proprium est corpus, huic merito, quæ hujus propria sunt, adscribuntur omnia, uno excepto peccato.* Vincentius Lerinensis in aureo suo Commonitorio, Cap. XXI. *Propter quam personæ unitatem indifferenter atque promiscue, & quæ Dei sunt propria tribuuntur homini, & quæ carnis propria, adscribuntur Deo. Inde est enim, quod divinitus scriptum est, & filium hominis*

Ostenditur ex Scripturis, & Patribus.

descendisse de cœlo, & Dominum majestatis crucifixum in terra. S. Leo M. Epist. X. ad Flavianum, Cap. V. *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit: & rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum hæc non in Divinitate ipsa, qua unigenitus, consempiternus, & consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Unde unigenitum Filium Dei crucifixum & sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur.* Vigilius Tapsensis Lib. II. contra Eutychem & Nestorium: *Ergo hic unus atque idem & æqualis Patri secundum Deitatem, & inferior est Patre secundum humanitatis naturam: atque ita nec initium habet, quia Deus est, & habet initium, quia idem Deus homo est. Si ergo me interroges, utrum Christus habeat initium, an non habeat, respondebo tibi, & habet, & non habet: habet secundum humanitatem suam, non habet secundum Divinitatem suam. Cum dico habet, vel non habet, ad personæ pertinet unionem. Cum dico secundum Divinitatem, & secundum humanitatem, ad naturarum proprietatem.*

Quid in hac re cavendum?

318. Cæterum monent Theologi, etiam tunc, quando de Christo prædicantur nomina concreta substantiva, quæ naturam ipsam sive divinam sive humanam, earumque proprietates exprimunt, triplicem esse cautionem adhibendam. I^ma est, ne propositiones quæ sensum habent æquivocum, atque in aliquo sensu sunt hæreticæ, vel suspectæ de hæresi, v. g. *Verbum est creatura. Verbum cœpit existere*, simpliciter proferantur sine particula eas limitante ad sensum Catholicum. II. Ne concreta naturæ aut personæ divinæ de concretis naturæ humanæ prædicentur per verbum *fieri*, aut *factum esse*, ut v. g. *Homo factus est Deus.* Ratio est quia in hac propositione vox *homo* suppositum denotat humanum, videturque innuere, hominem, sive humanam personam factam esse Deum: qui error fuit Nestorii duas in Christo personas admitten-

mittentis. III. Ne propositioni de se veræ temere addatur aliqua particula *qua*, *quatenus*; facile enim contingere potest, ut propositio de se vera, addita reduplicatione, evadat falsa. Exemplum habes in hac propositione: *Deus est homo*, quæ verissima est, immo omnino Fide divina credenda: At vero si dicas: *Deus*, *qua Deus*, *est homo*; falsissima est, atque hæretica. Cum enim particula reduplicativa naturam afficiat, non personam; secunda propositio hunc facit sensum: *Christus ratione divinæ naturæ est homo.*

Lutheri doctrina.

319. In oppositum Nestorio errorem lapsi Lutherus, & post eum Brentius, Illyricus, Kemnitius, Chytræus, & Jacobus Schmidelinus, docuerunt in Christo non modo dari communicationem idiomatum in concreto, & ratione ipsius personæ, verum etiam in abstracto, & ratione naturæ: adeo ut proprietates aliquæ naturæ divinæ prædicari possint de ipsa natura humana, veræque sint hæ propositiones: *Humanitas est Divinitas. Humanitas est impassibilis*, *omnipotens*, *omniscia*, *ubique præsens.* Putant nimirum aliquas naturæ divinæ proprietates, v. g. omnipotentiam, omniscientiam, ac præcipue ubiquitatem, vel ubique præsentiam in naturam humanam transfusas fuisse, humanamque naturam Verbo divino hypostatice unitam fuisse hoc ipso, quod omnis energia & plenitudo Divinitatis Verbi sit illi communicata, ut Christus etiam secundum humanitatem verissime dicatur et sit persona divina Verbi, Deus, omnipotens, æternus, ubique præsens. Aliqui ex his docent, hanc communicationem idiomatum in abstracto esse de essentia unionis hypostaticæ: Alii dicunt eam non esse quidem de illius essentia, quasi humanitas per suam essentiam sit persona Verbi, omnipotens, ubique præsens &c. sed tamen necessario consequi ad unionem hypostaticam, modo singulari, arcano, ac ineffabili. Atque his phrasibus conantur a se amoliri omnem Apollinarismi atque Eutychianismi suspicionem, putantque satis explicari posse, quemadmodum hujusmodi

modi realis communicatio non tollat distinctionem duarum naturarum, & proprietatem utriusque.

Et occasio erroris.

320. Occasionem huic errori dederunt lites Lutheri cum Sacramentariis, præcipue Tigurinis. In Libro enim, cui titulus: *Confessio Martini Lutheri de Cœna Domini*, scribit Lutherus, se probare evidenter realem Christi præsentiam in Cœna, quia Christus est ubique: esse autem Christum ubique ait se ex eo demonstrare, quia est in dextera Dei, quæ est ubique. Cum autem facile prævideret, objiciendum sibi ab adversariis, frustra templum adiri pro sumendo corpore & sanguine Domini, si humanitas Christi ubique præsto est, in Libro, cui titulus: *Quod verba Christi, hoc est corpus meum, adhuc firma sint*, argumentum hoc prior occupat, & maledictis, consueto sibi armorum genere, novus hic Evangelista rem expedit, ita scribens: *Auditu porce, canis fanatice, aut, quisquis fueris, insulse asine. Etiamsi corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu statim ipsum devorabis, vel helluaberis - - - Ablego te in haram tuam porcorum, vel in tuum sterquilinium.*

Non omnibus Lutheranis communis.

Non omnes tamen Lutherani hac laborant insania, aut Ubiquitatis monstrum propugnant. Librum concordiæ a Jacobo Schmidelino Tubingensi Cancellario conscriptum, tum aliis etiam de causis, tum præcipue ob assertam humanitatis Christi ubique præsentiam, detestati sunt Anhaltini, Holsati, Helmstadienses, Dani, Norimberga, Spira, Wormatia, Francofurtum &c. Philippus Melanchton, Lutheri discipulus, vehementer a Lutherana ubiquitate abhorruit; quia sic ajebat naturam divinam & humanam Christi inter se confundi, ac destrui Eucharistiæ mysterium, quæ, stante hac ubique-præsentia Christi, nihil amplius haberet singulare.

Ubiquetariorum error opponitur Scripturis.

321. Conclusio Dogmatica. In Christo non datur communicatio idiomatum in abstracto inter naturam divinam & humanam: ideoque natura Christi humana non potest dici ubique præsens. Prob. I. Auctoritate Scripturarum, quæ plurimis in locis diserte

serte testantur, Dominum Jesum Christum, qua homo est, non ubique sed definito aliquo spatio comprehensum esse, non tantum in statu vitæ suæ mortalis, sed etiam post resurrectionem, eo tempore quo jam gloria & immortalitate donatus erat. Joan. XI. v. 15. ait Christus: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Atqui certo erat ibi natura divina, utpote immensa, & ubique diffusa. Ergo non erat ibi natura Christi humana; si enim & illa adfuisset, Christus in nullo sensu vere dicere potuisset, se ibi non fuisse. Matth. XXVI. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Matth. XXVIII. dixit Angelus mulieribus: *Scio, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic, surrexit enim.* Lucæ XXIV. *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Act. I. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

322. Prob. II. Auctoritate Patrum Græcorum & Latinorum. S. Athanasius in Libro de Humana natura suscepta, Christum dicit *secundum carnem*, hoc est, humanam naturam, *& mortuum, & sepultum esse, & resurrexisse: cum secundum spiritum* (id est, Divinitatem,) *in cœlo, & in terra esset, & ubique.* S. Cyril. Jerosol. Catech. XIV. *Non enim quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quod spiritu medio hic non adsit, audiens quæ de illo dicuntur, & videns quæ tu cogitas, & scrutans renes & corda.* S. Greg. Nazianz. Epist. I. ad Cledonium, unum eumdemque Christum vocat *patibilem carne, impatibilem Divinitate, corpore circumscriptum, incircumscriptum spiritu; eumdem terrenum & cœlestem, visibilem & intelligibilem.* S. Chrys. Oratione in quatriduanum Lazarum, de verbis illis Marthæ ad Christum agens, *Domine, si fuisses hic &c.* ait: *Infirma es, o mulier. Nescit modo mulier, Christum etiam corpore minime præsentem, Divinitatis adesse potentia. Sed præsentia corporis vim præcepto-* *Patribus Græcis.*

ris

ris metitur. Theodoretus in Dialogo II. qui *Inconfusus* inscribitur: *Corpus Dominicum incorruptibile quidem resurrexit, impatibile & immortale, ac divina majestate glorificatum; & a cœlestibus adoratur virtutibus: sed nihilominus est corpus, priorem habens circumscriptionem.* S. Cyril. Alexandr. Lib. XI. Comment. in Joan. ait: *Hæc enim Deo congruens operatio est, ac virtus, ut sit ubique, & tam cœlum inexplicabili quodam modo, quam terram impleat, ac per omnia ita permeet, ut a nullo ipse capiatur. Non enim camprehendi loco potest Deus, aut intervallis definiri: sed nec intra ullam est circumscriptionem. Hujusmodi enim aliquid pati, quantitatis & magnitudinis expers, ut & corporis, natura non sustinet. Quare quoniam Deus & homo simul erant Christus, oportebat nimirum hoc scire discipulos, etsi corpore abesset ille, non tamen penitus absentem fore; sed omnino affuturum, inexplicabili divinæ potestatis ratione.*

Et Latinis. 323. In repudianda ubiquitatis fabula egregie Latini Patres cum Græcis concordant. S. Hilar. Lib. X. de Trinit. demonstrat Divinitatis esse, quod Joan. III. in cœlo se esse dicit, non carnis. *Quod autem in cœlis est, naturæ semper manentis potestas est; quæ initiata conditaque per se carne, non se ex infinitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coarctavit, spiritus virtute, ac Verbi Dei potestate in forma servi manens, ab omni intra extraque cœli mundique circulo cœli ac mundi Dominus non abfuit. Per hoc ergo & de cœlo descendit, & filius hominis est, & in cœlo est: Quia Verbum caro factum non amiserat manere quod Verbum est.* S. Ambr. Lib. II. de Fide, Cap. IV. *Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo est, qui vadit, ipse qui venit. Denique & alibi dicit, Surgite, eamus hinc. In eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum.* S. Hier. Epist. CXLVIII. ad Marcellam, interrogatus ab illa, an post resurrectionem XL. diebus Dominus cum discipulis conversatus sit, & numquam alibi fuerit; an latenter ad cœlum ascenderit, atque descenderit, & nihilominus Apostolis

suam

suam prsentiam non negarit? Respondet, secundum Divinitatem ubique fuisse, nec parvo corpusculo fuisse comprehensum. *Profecto non ambiges etiam ante resurrectionem sic in Dominico corpore habitaße Deum Verbum ut & in Patre eßet, & cœli circulum clauderet, atque in omnibus infusus esset, & circumfusus, id est, ut cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est igitur illius potentiam unius corpusculi parvitate finiri, quem non capit cœlum. Et tamen qui ubique erat, etiam in filio hominis totus erat. Divina quippe natura, & Dei sermo in partes secari non potest, nec locis dividi: sed cum ubique sit, totus ubique est.* S. Aug. Epist. CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum, exponens illa verba Lucæ XXIII. *Hodie mecum eris in Paradiso*, scribit: *Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulcro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus vero idem ipse Christus ubique semper est.* Et paulo inferius: *Cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam* (nempe humanitatem) *non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita Divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.* S. Leo M. Sermone II. de Ascensione: *Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis Dei filius excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternæ majestatis gloriam se recepit, et ineffabili modo cœpit esse Divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.* S. Petrus Chrysol. Serm. LXIII. *Et erat locus, ubi non erat Christus? Et quomodo non erat ibi, unde mortuum Lazarum discipulis nuntiabat? Fratres, erat ibi Christus Deus; sed ibi non erat homo Christus.* S. Fulgentius in Responsione ad II^dam^ inquisitionem Ferrandi ait: *Sicut eodem tempore totus in cœlo, & in terra non cessabat Christus operari: sed solius Divinitatis fuit & loco non teneri, & quæ ad gubernationem universitatis pertinent, cum Patre naturaliter & æqualiter operari.*

Hujus absurditas ostenditur ex sequelis.

324. Prob. III. ex sequelis. Si ubiquepræsentia communicata fuisset ipsi humanitati Christi, sequeretur I. Christum ex utero B. Virginis vere in lucem non prodiisse, immo adhuc hodie esse in utero Matris: vere non ascendisse ad cœlos, neque vere venturum esse judicare vivos & mortuos. II. Sequeretur omnia attributa divina communicata fuisse humanitati, eamque æternam esse, atque a Deo independentem. Atqui id dici nequit; quia humanitas in tempore extitit, cumque sit creatura, essentialiter dependet a Deo. P. M. Si unum attributum divinæ naturæ immediate ipsi humanitati communicatur, necesse est eidem communicari reliqua omnia attributa, ipsamque naturam divinam, sive totum illud quod est Deus; quia quodlibet attributum divinum includit reliqua, ipsamque Dei essentiam, quacum identificatur. Sic ex eo quod Pater æternus Filio naturam suam communicaverit eamdem ac individisam, Patres merito intulerunt, Filium esse vere Deum, Patri consubstantialem, eadem cum Patre præditum esse æternitate, omnipotentia, immensitate, cæterisque, quæ dici solent attributa. Sequeretur III. Eucharistiam nullo modo esse necessariam, superfluos esse ministros, qui eam conficiant: templa frustra adiri ad eam recipiendam; quia corpus & sanguis Christi ubique sunt, in quolibet potu & cibo, v. g. pane domestico. Dicunt Lutherani, corpus Christi equidem ubique esse; sed in solo pane Eucharistico conferre fructum spiritualem, quem non confert in pane communi. Verum Resp. exceptionem hanc infirmam esse. Ad fructum enim spiritualem ex Eucharistia percipiendum juxta Lutheranos plus non requiritur, quam ut quis in se excitet fidem justificantem, & actu credat sibi esse remissa peccata per merita Christi. Ergo cum Lutherani credant humanitatem Christi ubique esse præsentem, quando manducant panem domesticum, vel quemcumque alium cibum, possunt excitari ad fidem justificantem, ut credant per merita Christi remissa sibi

esse

esse peccata, sicque consequi poterunt fructum illum spiritalem.

325. Probatur IV. universim tota Conclusio gemina ratione Theologica. Ima est. Ut propositio sit vera, debet dari identitas inter rectum subjecti & prædicati. Sed quando alterutra natura importatur in recto, non datur hæc identitas, ut patet in his propositionibus: *Natura divina est natura humana. Natura humana est consubstantialis Patri. Natura divina est passa.* IIda. Si in Christo datur communicatio idiomatum in abstracto inter naturam divinam & humanam, sequitur Christum secundum humanitatem non solum neque passum, neque mortuum fuisse; sed neque etiam pati aut mori potuisse. Nam quamvis Ubiquetarii concedant humanitatem assumptam naturaliter passibilem ac mortalem fuisse; contendunt tamen humanitatem ex beneficio & gratia unionis fuisse ineffabiliter impassibilem & immortalem, modo longe excellentiori, quam Beati post resurrectionem futuri sint Dei beneficio impassibiles. Ergo cum Beati neque pati in natura sua quidquam, neque secundum illam mori possint; multo minus Christus secundum humanitatem pati aut mori potuit. *Ex ratione Theologica.*

Argumenta contraria refutantur.

326. Objic. I. Infirmitas primi Argumenti. Christus secundum humanitatem non fuit ubique localiter & circumscriptive, sed tantum modo cœlesti & divino, invisibiliter & illocaliter. Ergo in utero matris ante nativitatem extitit localiter, extra illum vero illocaliter. II. Ascensio Christi fuit tantum metaphorica; sicut metaphorice dicitur sedere ad dexteram Patris, & de cœlo descendisse. III. Potest dici Christum non fuisse ubique in statu vitæ mortalis, sed tantum post ascensionem: quia quamvis in primo Incarnationis momento communicata illi fuerit ubiquepræsentia & impassibilitas, illis tamen uti noluit ante ascensionem. Antequam respondeam, noto, *Inanes Ubiquetariorum exceptiones.*

quod *localiter* & circumscriptive existere dicatur illa res, quæ in loco ita existit, ut singulæ ejus partes sint in singulis loci partibus, adeoque totum in toto loco divisibiliter. Contra *illocaliter* seu definitive dicitur illa res existere, quæ est ita in loco, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte spatii. His præmissis R. ad I. N. A. Si humanitas Christi ubique foret, quamtumvis illocaliter, Angelus mentitus fuisset, quando Matth. XXVIII. mulieribus dixit: *Non est hic, surrexit enim:* sicut mentiretur qui diceret, Deum non esse in cœlis, eo quod ibi existat tantum illocaliter. Præterea si humanitas Christi secundum substantiam suam est ubique, certum est, quod secundum substantiam suam non possit de loco migrare in locum; quia non possit transire de loco in quo erat, ad locum in quo non erat. Patet id manifeste in substantia Dei, quæ cum sit immensa, nec visibiliter nec invisibiliter, nec localiter nec illocaliter potest de loco migrare in locum, motu proprie tali. Atqui humanitas Christi proprie, & non tantum metaphorice, potest migrare de loco in locum. Ergo neque illocaliter tantum erat ubique. Ad II. R. N. A. Quod Christus metaphorice sedeat ad dexteram Patris, aliunde scimus, quia Pater, cum incorporeus sit, neque dexteram habet neque sinistram. Idem dic de descensu Verbi e cœlis; cum enim Filius sit verus Deus, natura sua immensus, non potuit deserto cœlo in terras descendere; sed nova tantum modo esse cœpit in utero Virginis. Ad III. N. iterum A. Ubiquistæ docent humanitatem Christi esse ubique vel vi unionis hypostaticæ, vel per realem communicationem immensitatis divinæ in primo instanti unionis hypostaticæ factam. Si ergo nunc est ubique, necesse est fuisse ubique semper, a primo instanti unionis hypostaticæ; quia tunc humanitati communicata fuit immensitas & ubique præsentia, ut Lutherani contendunt. Est autem impossibile, alicui realiter communicari ubique-præsentiam, & non esse actu ubique præsentem: sicut impossibile

est

est alicui realiter communicari albedinem, vel omniscientiam, quin actu sit albus, aut quin actu omnia sciat.

Et argumenta ex Scripturis.

327. Objic. II. Auctoritas Scripturarum. Ad Coloss. II. dicitur: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* II. Matth. Cap. XI. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* III. Matth. XXVIII. v. 18. *Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra.* IV. Matth. XXVIII. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* V. Ad Ephes. IV. *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* VI. Ad Coloss. III. Christus dicitur *sedere in dextera Dei.* Sed dextera Dei est ubique. Ergo. R. ad I. ex eo textu tantum evinci, quod Divinitas vere ac realiter conjuncta fuerit cum natura humana in persona Verbi. Ad II. Christus de se ipso id dicit secundum Divinitatem, quam, & omnia cum illa, accepit a Patre per æternam generationem: ac proinde significat se in omnibus æqualem esse Patri, secundum Divinitatem nimirum. Ad. III. Christus ibi vel de se tantum loquitur secundum Divinitatem, ut paulo ante diximus: vel si de se loquitur secundum humanitatem, significare vult, datam esse sacratissimæ suæ humanitati omnem illam potestatem, cujus erat capax; majorem quidem, quam alteri hominum cuicumque, finitam tamen pro capacitate subjecti. Ad IV. Christus nobiscum est usque ad consummationem sæculi, tum per præsentiam corporalem in Eucharistia, tum auxilio gratiæ, protectione, & auctoritate, qua Ecclesiæ suæ semper assistit. Ad V. R. Duplicem esse citati textus sensum. Imus est, Christum ascendisse super omnes cœlos, ut ascensione sua consummaret, atque compleret oracula ac vaticinia omnia, de se a Prophetis edita. II. Quod Christus secundum humanitatem, non simul, sed successive impleverit omnia, infima, media, & suprema, sua præsentia, virtute, gloria & triumpho: infima, post mortem ad inferos descendendo: media, cum hominibus in terris conversando: suprema, ad cœlum ascen-

ascendendo, ubi supremam obtinet dignitatem. Ad VI. R. I. retorquendo. Sapientiæ III. dicitur: *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Sed manus Dei est ubique. Ergo etiam justorum animæ sunt ubique? R. II. per dexteram Dei intelligi gloriam, potentiam, & majestatem divinam; ita ut sensus sit, Christum pari potentia & honore regnare, judicare, & gubernare omnia cum ipso Patre.

328. Dices I. Juxta dicta Christus habet æqualem gloriam & potentiam cum Deo Patre. Ergo etiam humanitas Christi habet æqualem potentiam cum Deo Patre; Christus enim ut Deus, habet illam per se, ratione divinæ suæ naturæ: neque ut Deus indigebat jussione Patris, *Sede a dextris meis.* Ergo humanitati tribui possunt prædicata, quæ tribuuntur naturæ divinæ. R. C. A. D. C. Ergo humanitas habet æqualem potentiam cum Deo Patre in se ipsa, N. C. In persona Verbi, id est, est humanitas personæ, quæ habet æqualem cum Patre potentiam, C. C. Aptissimo exemplo rem declarat Card. Bellarm. Lib. III. de Christo, Cap. XV. Cum Rex induit purpuram, sedetque in solio, evehit purpuram ad solium; non tamen ita, ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis aut regnantis. Pari ratione dici non potest, quod humanitas Christi sedeat ad dexteram Patris; sed solum dici potest, quod humanitas Christi sit humanitas sedentis ad dexteram Patris, vel quod hic homo sedeat ad dexteram Patris.

329. Dices II. Humanitas Christi jam a primo momento unionis hypostaticæ fuit humanitas sedentis ad dexteram Patris, seu æqualem potentiam habentis. Ergo si hæc verba non intelligantur de humanitate in se ipsa, humanitas, sive Christus ut homo, nullam gloriam de novo acquisivit. R. C. A. D. C. Non acquisivit novam gloriam intrinsecam, C. C.; hanc enim Verbum habuit ab æterno, fuitque in tempore communicata humanitati primo instanti Incarnationis per unionem hypostaticam; non humanitati in

se

se ipsa, sed in supposito. Christus non acquisivit novam gloriam extrinsecam, N. C. Quando Christus solemni pompa ad cœlos ascendit, cœpit perfectius agnosci, atque a pluribus adorari tamquam Deus, & Filius Dei, Patri per omnia æqualis.

330. Objic. III. Ratio. Quando duæ res inter se intime uniuntur, tunc ubi una est, necesse est ibi esse & alteram. Sed Verbum & natura humana intimo nexu inter se uniuntur. Ergo ubi est Verbum, ibi est natura humana. Ergo cum Verbum sit ubique, ubique pariter est natura Christi humana. *Conf.* Hic homo Christus est ubique. Ergo etiam illius humanitas. R. D. M. Quando duæ res inter se uniuntur adæquate, ita ut unum non excedat alterum, sive ut latius non diffundatur quam alterum, C. M. Si uniuntur intime quidem, sed non adæquate, eoquod unum latius diffundatur quam alterum, N. M. Et sic dist. min. N. C. Res patet in exemplo. Quamvis oculus & anima humana inter se uniantur, non tamen idcirco oculus est, ubicumque est anima, quæ etiam est in pedibus: hæc enim cum sit per totum corpus diffusa, latius extenditur quam oculus. Præterea totum hoc argumentum facile contra Lutheranos retorqueri potest hoc modo. Eorum quæ intime uniuntur, unum non potest esse æternum, impassibile, immortale, quin aliud similiter æternum sit, impassibile & immortale. Atqui Verbum hypostatice unitum humanitati, est æternum &c. Ergo etiam humanitas est æterna, impassibilis, immortalis. Ad *conf.* D. A. Hic homo Christus est ubique ratione Divinitatis, C. A. Ratione humanitatis, N. A. & Consec. Suppositum Christi, quia divinum, ubique est; at non natura humana Christi. *Ratione.*

331. Objic. IV. Sequelæ. Si Persona Verbi est alicubi ubi non est humanitas, Verbum alicubi est homo, & alicubi non est homo. Atqui hæc sequela nequit admitti. Ergo. II. Si humanitas Christi non est ubique, Verbum movebatur localiter, quando nimirum humanitas movebatur. R. ad I. N. M. Non eædem, *Sequelis.*

eædem, sed diversæ omnino sunt duæ hæ propositiones: *Verbum alicubi existens, non est homo.* Et: *Verbum alicubi existit sine humanitate.* Prior est falsa; quia Verbum ibi existens, unitam sibi habet humanitatem alibi existentem; altera vero propositio est vera. Sic a pari anima rationalis existit in oculo sine pedibus, quia pedes non sunt in oculo: & tamen anima in oculo existens est anima pedum; quia illa ipsa anima, quæ existit in oculo, etiam pedes habet sibi unitos, licet extra oculum. Ad II. D. M. Verbum movebatur localiter secundum Divinitatem, N. M. Secundum humanitatem, C. M. Quod si dicas: Verbum divinum est ubique. Christus est Verbum divinum. Ergo Christus est ubique. R. Syllogismum esse vitiosum, quia quatuor terminis constat. Nam in majori *Verbum* sumitur ut includens solam naturam divinam; in minore autem ut includens utramque naturam, divinam & humanam.

Ac paritatibus petita.

332. Objic. V. Paritas. Humanitas Christi denominatur subsistens per subsistentiam Verbi sibi unitam. Ergo etiam per immensitatem Verbi denominatur immensa ac ubique præsens. II. Denominatur etiam sancta per sanctitatem Verbi. Ergo etiam immensa. R. ad I. C. A. N. C. Res unita sæpe capax est unius denominationis, alterius autem incapax. Quemadmodum itaque corpus animæ unitum recte dicitur animatum, non tamen spiritale vel immortale: ita etiam humanitas Verbo unita recte dicitur subsistens subsistentia Verbi, non tamen omnipotens, aut ubique præsens, quia harum denominationum est incapax. Ad II. D. A. Humanitas est sancta sanctitate Verbi, derivata & participata per plenitudinem gratiæ sanctificantis, C. A. Sanctitate Verbi essentiali, quæ eodem modo ac immensitas, non potest communicari, N. A.

333. Dices I. Si subsistentia communicatur humanitati, tunc falsa sunt, quæ diximus probatione III. quod nimirum unum attributum non possit communicari humanitati, quin cætera quoque communicentur.

centur. Ergo. R. N. A. Subsistentia communicatur humanitati præcise in ratione subsistentiæ tantum, quæ nullo modo est attributum divinum: attributa enim divina sunt aliquid absolutum in Deo, subsistentia vero est relativa. II. Unum attributum est de intrinseca ratione alterius: At subsistentia Verbi non est de intrinseca ratione ullius attributi.

334. Dices II. Attributa divinæ naturæ possunt prædicari de Christo, & Verbo divino. Ergo etiam possunt prædicari de humanitate. Ergo quemadmodum dicitur de Christo, *Christus est omnipotens, ubique præsens:* ita etiam dici potest, *humanitas est omnipotens, ubique præsens.* R. C. A. N. C. Disparitas est, quia attributa divinæ naturæ Christo per se, immediate, & formaliter communicantur in persona Verbi; & sicut subsistentia relativa per se & formaliter est in persona Verbi: ita etiam essentia divina, & omnia illius attributa sunt per se, & formaliter in persona Verbi. At vero attributa divinæ naturæ non communicantur per se, & formaliter humanitati, sed mediate tantum, consequenter, & identice. Nam sola subsistentia Verbi proxime, immediate, & formaliter communicata est humanitati in se, & per illam proxime, immediate & formaliter subsistit humanitas. Sed quia illa subsistentia reipsa identificatur cum attributis divinis, ideo mediate, consequenter, & identice attributa divina communicata sunt humanitati; non ut humanitas per illa sit omnipotens, aut ubique præsens, sed ut subsistat per illa attributa, quatenus identificantur cum subsistentia.

CONTROVERSIA XII.

AN CHRISTUS PRO PECCATIS NOSTRIS VERE AC PROPRIE SATISFECERIT?

CONTRA SOCINIANOS.

335. *Satisfactio condigna*, dicitur esse obsequium libere exhibitum personæ offensæ, per quod ista, *Quid sit satisfactio condigna?*

ista, secundum rectam æstimationem, censetur tantumdem vel etiam amplius honorari, quantum fuit dehonorata per offensam. Dicitur I. *Obsequium libere præstitum*, per quæ verba satisfactio differt a satispassione: ad hanc enim non requiritur, ut voluntaria sit & obsequiosa erga personam offensam; quoniam licet quis reluctans sustineat pœnam pro offensa statutam a lege vel a judice, tamen vere dicitur satis pati. II. *Per quod ista secundum rectam æstimationem &c.* quia obsequium, per quod præstatur condigna satisfactio, ex valore suo intrinseco, & independenter a libera acceptatione ac ulla promissione personæ offensæ, debet in æstimatione morali esse tantæ æstimationis, quantæ in sua ratione fuit offensa præcedens. III. *Vel etiam amplius.* Quia obsequium superans æstimatione offensam, non obest condignæ satisfactioni.

Quæ a puro homine præstari non poterat.

336. Deus potuisset nobis gratis condonare peccata, absque condigna satisfactione, per remissionem gratuitam. Supposito autem quod condignam satisfactionem exegerit, cum illam creatura pura præstare non possit, necesse fuit ut divina quædam Persona humanam naturam assumeret, quæ infinita sua dignitate actionibus humanitatis valorem infinitum communicaret, ita ut per illas actiones Deus amplius honoretur, quam dehonoratus fuerit ab hominibus per peccatum. Hoc abundanter præstitit Christus Jesus, verus Deus & verus homo, qui perfectus fuit mediator Dei & hominum, ut ait S. Paulus I. ad Timoth. II. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Cum enim solverit & satisfecerit Deo pro hominibus, atque solvendo & satisfaciendo homines Deo reconciliaverit, hoc ipso vere est mediator, fungiturque hoc officio usque ad consummationem sæculi, eoquod semper apud Patrem pro nobis interpellet, juxta illud I. Joan. II. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum.*

Sociniano-rum errores.

337. Sociniani docent I. Christum pro nobis vere non satisfeciſse, sed tantum metaphorice; quatenus

nimi;

nimirum omnia illa adimplevit quæ ipsi pro operanda salute nostra erant imposita. II. Christum esse Servatorem & Redemptorem, in quantum nos doctrina, exemplo, & intercessione liberavit, absque soluto tamen pretio. III. Mediatorem esse eo fere modo, quo Moyses in Scripturis mediator appellatur. IV. Christum revera pro nobis, & nostro loco non fuisse substitutum, neque mortuum pro nobis; nisi hoc sensu, ut ejus exemplo, spe melioris vitæ, alacrius mortem oppetamus. V. Sacerdotem esse, non quod ullum verum Sacrificium obtulerit, aut in Cruce victima piacularis extiterit; sed quia divinæ voluntatis fuit interpres, & in sanguine proprio cœlum ingressus est, ut pro nobis intercederet: quemadmodum Summus Pontifex Judæorum in sanguine alieno, id est, victimarum, Sancta Sanctorum ingrediebatur. Contra hunc pestilentissimum errorem sit.

Christum pro nobis vere satisfeciſſe docent Scripturæ.

338. Conclusio Dogmatica. Christus pro peccatis nostris vere ac proprie divinæ justitiæ satisfecit. Prob. I. Auctoritate Scripturarum, quæ quamvis satisfactionis vocabulo non utantur, rem tamen hoc nomine significatam apertissime exprimunt. Ex iis locis hæc enascitur argumentatio Theologica. Ille vere ac proprie pro peccatis nostris satisfecit, qui I. sponsorem se & vadem pro illis obtulit. II. Qui tamquam mediator iram Dei placavit. III. Qui pro nobis pœnas peccatis nostris debitas exsolvit. Atqui hæc omnia Christus Jesus præstitit. Ergo Christus Jesus vere ac proprie peccatis nostris satisfecit. Major admittitur etiam ab ipsis Socinianis. Minor probatur quoad singula membra. Ac I. quidem Isaiæ LIII. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et quidem pro nostris peccatis. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Ergo Christus vadem se & sponsorem Patri obtulit pro peccatis nostris. II. Ad Rom. V. v. 10. dicitur: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Ad Coloss. I. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive*

quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. I. ad Timoth. II. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Ergo Christus, tamquam Mediator, iram Dei placavit. III. Isaiæ LIII. dicitur v. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* v. 8. *Propter scelus populi mei percussi eum.* v. 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Ad Rom. VIII. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad Titum II. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* I. Petri III. v. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* I. Petri II. v. 24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.* Ergo Christus pœnas peccatis nostris debitas exsolvit. Ergo vere ac proprie pro nobis Patri satisfecit.

Et Patres. 339. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Basil. Hom. in Psalm. XLVIII. ait: *Inventum est unum, par omnibus simul liberandis hominibus, quod in redemptionis animarum nostrarum pretium est impensum, sanctus videlicet, ac pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Unde & pretio redempti sumus.* S. Proclus CPolitanus Orat. I. *Duorum itaque necesse erat alterum, ut vel omnibus ex damnatione mors inferretur: quando omnes peccaverant; vel tale penderetur pretium, quod ad dissolvendum omne debitum idoneum satis ad deprecandam pœnam valeret.* S. Cyril. Alexandr. Lib. II. Commentar. in Joannem: *Quoniam in peccato eramus, atque idcirco morti & interitui debebamur, Filium suum Pater in redemptionis pretium dedit pro nobis.* S. Chrys. Hom. X. in Epist. ad Rom. *Multo plura, quam debebamus, persolvit Christus, ac tanto plura, quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit.* S. Aug. Lib. XIV. contra Faustum, Cap. IV. *Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum.* Et Serm. CXXII. de Tempo-

re,

re, nunc in Appendicem rejecto; ord. CLVI. *Dicat ei terra redempta, terra irrigata, redempta sanguine, irrigata baptismate: Magna iniquitas mea, sed major est redemptio tua. Audiat ergo vocem Domini mei humani generis adversarius, & nihil jam sibi applaudat elatus; quia pro totius mundi facinore in Cruce pependit Dominus noster Jesus Christus.*

340. Nemo est, qui non facile animadvertat, quantum Sociniani, veri utique Antichristi & Jesu adversarii, præstantiæ Salvatoris detrahant. Si enim Christus metaphorice tantum Deo Patri satisfecit annuntiando nobis placationem Dei, non egit is præstantius quidquam quam Prophetæ: Si solum declaravit peccata nostra esse remissa, nihil fecit quod Sacerdotes veteris Testamenti non egerint: Si tantum ut nobis daret patientiæ, obedientiæ, ac humilitatis exemplum, hoc & Martyres præstiterunt.

Christus mediator fuit ut homo Deus.

341. Quæres. An Christus Mediatoris officio functus fuerit, & pro nobis satisfecerit, ut homo tantum, quemadmodum Franciscus Stancarus Mantuanus, in Academia Regiomontana in Borussia Theologiæ Professor contendebat adversus Andream Osiandrum? Resp. negative; satisfecit enim non ut homo tantum, sed ut homo Deus, sive ratione naturæ humanæ, non simpliciter & absolute spectatæ, sed ut est subsistens in supposito divino. Probatur assertio I. Auctoritate Patrum Græcorum & Latinorum. S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XX. apud Theodoretum Dial. II. ait: *Oportebat mediatorem Dei & hominum per suam cum utroque propinquitatem, ambos in amicitiam & concordiam adducere, ac Deo quidem repræsentare hominem; hominibus vero Dei communicare notitiam.* S. Basil. Lib. IV. contra Eunomium: *Quod natura medium est inter aliqua, utrumque contingit extremum. Quare cum natura mediator sit Christus inter Deum, & nos, non per dispensationem, sed natura conjuncta sunt Deus & homo.* S. Epiphan. in Ancorato, Num. XLIV. *Ita quippe mediator est Dei & hominum, homo factus, non*

natura

natura conversus; sed secundum utramque substantiam mediator amborum. S. Chrys. Hom. VII. in I. ad Timotheum: *Mediator cum ambobus commune aliquid habere debet, quorum mediator est. Quod si unum quidem propinquitate contingat, ab altero vero distractus sit, non jam mediator est. - - Nam quia naturarum duarum medius extitit, ambabus naturis propinquus esse debet. Ut enim quod loci cujuspiam medium est, utrique loci parti proximum sit oportet: ita quod naturarum medium est, ambabus naturis propinquum oportet esse. Quemadmodum ergo homo factus est, sic erat & Deus. Porro mediator homo esse non potuit, siquidem cum Deo colloquendum erat. Sed neque Deus potuit esse mediator. Non enim receptus ab illis foret, quorum mediator esset.* Theodoretus in Dialogo II. *Sed ipsum quoque nomen mediatoris, Divinitatis ibi & humanitatis exprimendæ vim habet. Non enim tamquam Deus solum existens mediator est dictus. Nam quomodo mediatoris inter nos & Deum partes impleret, nihil habens nostrum? Verum quoniam & qua Deus est, Patri conjunctus est, eadem cum illo potestate præditus: & ut homo est, nobiscum sociatur: siquidem servi formam suscepit ex nobis: merito mediator nominatus est, conjungens in se ipso quæ disjuncta sunt, unitione naturarum, divinæ videlicet & humanæ.*

342. E Latinis S. Cypr. Lib. II. Testimoniorum adversus Judæos, Testimonio X. scribit: *Quod & homo & Deus Christus, ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos & Patrem posset.* S. Hilar. Lib. IX. de Trinit. *Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipso inter Deum, & hominem mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse unitis in id ipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est: ita tamen ut neutro careret in utroque; ne forte Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset.* S. Aug. in Enchiridio, Cap. CVIII. *Nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, nisi esset & Deus.* S. Leo M. Serm. I. de Natali Dom. *Nisi esset verus*

Deus,

Deus, non offerret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum. S. Fulgentius Lib. I. ad Trasamundum Regem, Cap. XV. *Quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet: & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset. - - Propterea se mediator Dei & hominum plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare.* S. Isidorus Hispalensis Lib. I. de Differentiis, Differentia V. *Mediator est, quia inter hominem, & Deum medius est, habens in se substantiam utriusque naturæ, & humanæ humilitatis formam, & Divinitatis excellentiam.*

343. Prob. II. Ratione Theologica. Ima est. Passio Christi ipsi Deo tribuitur. Ad Philip. II. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. - - Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Neque natura humana Christi potuit se sola opera illa satisfactoria ponere; quia per se non existebat, neque suppositum erat a divino supposito distinctum. Ergo Christus satisfecit ut homo Deus, sive ut homo subsistens subsistentia Verbi. II. Homo solus, absque persona Verbi, non poterat esse mediator Dei & hominum; quia fuisset insufficiens, cum sola persona Verbi actionibus humanitatis valorem tribuat infinitum, proportionatum dignitati operantis. At neque Filius Dei sine humanitate poterat esse mediator; quia sine illa nec mori, nec proprie mereri potuisset. Ergo Christus mediator fuit, neque ut Deus tantum, neque ut homo tantum; sed ut Deus homo, id est, homo unitus Verbo, quia sic utramque naturam divinam & humanam inter se sociavit.

344. Ex his tamen, quæ paulo ante diximus, minime sequitur, Christum Mediatoris officium exercuis- *Non secundum naturam divi-*

se

nam; sed ratione suppositi divini.

se secundum utramque naturam divinam, & humanam, ita ut in utraque natura vere satisfecerit, fueritque mediator noster, ut contendunt Lutherani & Calviniani. Mediator ipse ex duabus naturis constat; actio vero ipsa, administratio hujus officii, externique operis gestio solius est naturæ humanæ; satisfacere enim, offerre Sacrificium, rogare, pati, ac mori, in solam congruunt hominis naturam, ab eaque, vel secundum hanc, & ex hac profecta sunt ac gesta. Vis, dignitas, ac meritum actionis & operum Christi, non ex humanæ conditionis modulo, sed ex adjuncta Divinitate consequitur, sive ex persona Verbi: quæ humanam Christi naturam sic afficiebat, ut eam formæ instar determinaret, ac compleret; atque ultimam illi substantiæ perfectionem applicatione sui communicaret, sine qua nec existeret in rerum natura, nec operari posset. Quo fit, ut omnium operationum auctor, fundusque, sit persona Verbi, quibus infinitam dignitatem communicat. Quare Deus Verbum vere ac proprie pro nobis satisfecit orando, patiendo, moriendo, omniaque ista perfecit, non in natura divina, quod Arianam impietatem, aut Apollinaris vel Eutychetis insaniam redolet; sed in humana natura, quam sibi per unionem hypostaticam copulavit: ita ut Mediator non fuerit secundum naturam divinam ratione formalis principii, ac si illa principium fuisset harum operationum elicitivum; sed tantum ratione suppositi, a quo infinitum valorem hauriebant actiones humanitatis Christi. Atque hoc pacto Veterum inter se specie dissidentes sententiæ conciliari possunt, quorum alii mediatorem esse Christum qua homo est affirmare videntur, alii naturam utramque complecti: quæ ambo neque pugnant invicem, & sensu a nobis explicato, vere dicta sunt. Vide Bellarm. de Christo, Lib. V. Petavium Lib. XII. de Incarn. Cap. III. & IV.

Argu-

Argumenta contraria refutantur.

345. Objic. I. Infirmitas primi argumenti. Textus Scripturarum a nobis in probatione adducti, non evincunt veram substitutionem Christi, aut veram & propriam satisfactionem pro nobis. Ergo. P. A. Particula *pro* in Scripturis denotat causam finalem, ob quam Christus mortuus est, non vero substitutionem. Sic Fideles I. Joan. III. jubentur pro fratribus animam ponere: *Quoniam ille* (Christus) *animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere:* neque tamen idcirco quis dicet, veram satisfactionem pro altero a Fidelibus exigi. *Confirm.* Quando Christus dicitur pro nobis factus maledictum, & peccatum, sensus non est, quod debitam peccatis nostris pœnam, & loco nostro sustinuerit; alias sicuti nobis æterna pœna debita erat, ita Christus æternam sustinere debuisset. Resp. N. A. Ad *prob.* N. A. Particula *pro*, quamvis non semper, sæpissime tamen veram denotat substitutionem, ut v. g. II. Regum XVIII. *Absalom fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* Ad Rom. V. *Vix pro justo quis moritur &c.* In allatis vero superius testimoniis intelligi veram substitutionem, patet ex subjecta materia, scopo, & circumstantiis omnibus. De Fidelibus nullibi dicit S. Joannes, quod mori debeant pro fratribus, eos redimendo, Deo reconciliando, a peccatis mundando, pro iis pretium exsolvendo, sicut in Scripturis dicitur de Christo. Ad *conf.* Resp. Christum pro nobis factum esse *maledictum* & *peccatum*, quia omnem maledictionem & pœnam peccatoribus debitam in se suscepit, & pertulit. Neque tamen idcirco pœnam æternam sustinere debuit: siquidem pœnæ mensura repeti debet ex conditione personæ quæ illam sustinet. Cum igitur persona Christi quæ illam sustinuit, divina sit, adeoque infinitæ excellentiæ, quamdam infinitatem pœnæ ab ipso toleratæ communicat: atque ita pœnæ Christi, quamtumvis temporaneæ, æquivalebant pœnæ æternæ, pro qua non

Inanes Sociniano-rum replicæ & exceptiones.

condigne modo sed etiam superabundanter morte sua satisfecit.

346. Dices I. Deus non irascitur hominibus ita, ut ab illis satisfactionem exigat, licet homines peccando fiant inimici. Ergo Christus non reconciliavit homines Deo, pro iisdem satisfaciendo. P. A. Ipse Deus reconciliavit sibi peccatores, juxta illud ad Rom. VIII. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et II. ad Cor. V. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Ergo non exposcebat satisfactionem, cum reconciliatus fuerit non imputando peccata. *Conf.* Moyses ad Galat. III. dicitur *mediator;* neque tamen pro nobis satisfecit. Ergo neque Christus. Resp. N. A. Ad *prob.* D. A. Ipse Deus reconciliavit sibi peccatores, mittendo Filium ad placandam suam justitiam, & non imputando peccata, quia Christus pro nobis mortuus est, C. A. & C. Ipse Apostolus ad Rom. V. v. 10. auctorem reconciliationis nostræ cum Deo clare indicat: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Ad *conf.* D. A. Moyses dicitur mediator in sensu latiori, id est, internuntius Dei, manifestans populo Dei voluntatem; quo sensu etiam Prophetæ erant mediatores, C. A. In sensu stricto & proprie tali, N. A. & C. Juxta Apostolum I. ad Timoth. II. est tantum *unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.*

347. Dices II. Christus gratis obtinuit veniam delictorum nostrorum. Ergo proprie non satisfecit. P. A. Ad Rom. III. scribit Apostolus: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Ergo. Resp. N. A. Ad *probat.* D. Justificati sumus gratis, hoc sensu, quod Deus ex infinita sua benignitate, cum nos satisfacere non possemus, sponsorem admiserit Christum, qui per passionem suam nobis meritus est remissionem delictorum, C. A. Aliter, N. A. Quamvis satisfactio fuerit rigorosa respectu sponsoris, dici tamen quodammodo potest gratuita respectu debitoris. Vere enim

Deus

Deus maximam gratiam hominibus præstitit, quod Filium suum sponsorem gratuito nobis donaverit, & solutionem illius pro hominibus gratuito acceptaverit.

348. Dices III. Certum est, quod immensa Dei misericordia eluceat in reconciliatione hominum. Atqui nulla specialis Dei misericordia eluceret, si Deus plenam & integram satisfactionem a Christo exegisset. Ergo. P. m. Creditor non est specialiter misericors erga debitorem, si ab illo vel a sponsore illius omne debitum usque ad novissimum quadrantem repetat. Ergo a pari. Resp. C. M. N. m. In hoc elucet specialis Dei misericordia, quod nobis, cum impares essemus solvendo debito, donaverit Filium suum unigenitum, illiusque satisfactionem acceptarit. Ad *prob.* C. A. N. C. Restitutio non respicit personam, sed rem debitam, tenditque ad æqualitatem, ut debitor non plus retineat quam ad ipsum pertinet, creditor vero non habeat minus quam ipsi debetur: igitur creditor solutionem ab alio factam pro debitore non potest rejicere. Contra satisfactio respicit personam, habetque persona læsa jus, ut ille ipse qui eam per contumeliam dehonoravit, pœnas luat, & satisfaciat, rejecta alterius sponsoris vel mediatoris satisfactione. Quod si læsus mediatorem admittat, qui pro reo veniam precetur, penamque subeat, is certe reo gratiam aliquam exhibet. Igitur cum Deus a nobis non in bonis, sed in honore læsus fuerit, non tenebatur satisfactionem Christi admittere, sed a nobis ipsis illam exigere poterat. Ergo cum satisfactionem Christi pro nobis admiserit, atque insuper Filium suum unigenitum nobis donaverit, non specialem modo, sed infinitam etiam misericordiam nobiscum exercuit.

349. Dices IV. Si Christus vere pro nobis satisfecit, peccatores non amplius tenentur Deo satisfacere per pœnitentiam: sicut, si alius pro me expunxit debitum, non amplius ad solutionem teneor. Atqui. Ergo. Resp. N. M. Deus satisfactionem Christi

sti pro omnibus hominibus non acceptavit quoad ejus effectus, nisi sub conditione, ut hæc satisfactio Christi applicetur hominibus per diversa media, actusque pœnitentiæ ab eis eliciendos: Neque Christus ipse aliter a Deo acceptari voluit, & hominibus prodesse suam satisfactionem, nisi ea ipsis applicetur per bona opera, ex Gratia Christi elicita.

350. Dices V. Ipsa Scriptura longe alium finem assignat Passionis Christi. I. Petri II. dicitur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Ergo non mortuus est Christus ut nos redimeret, sed ut exemplum daret. Resp. D. A. Alium finem assignat secundarium, qui primarium excludat, N. A. Qui cum primario optime stare potest, ejusque assecutionem promovet, C. A. N. C. Primarius finis Incarnationis, quod ad Deum spectat, fuit dilatatio divinæ gloriæ, & commendatio divinarum perfectionum, justitiæ præcipue ac misericordiæ: quod ad hominem pertinet, fuit æterna salus humani generis, ut apertis verbis sæpissime testatur Scriptura. Lucæ XIX. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Ad Galat. IV. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* I. ad Timoth. I. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Secundarius finis, seu media quibus primarius obtineretur, fuerunt adjutorium divinæ gratiæ copiosius in nova Lege conferendæ, & magisterium, sive doctrina cœlestis, quam Christus ore suo nobis tradidit, & exemplo suo expressit.

Et argumenta ex ratione petita.

351. Objic. II. Ratio. Lex divina & humana prohibet, ne innocens pro nocente plectatur. Sic Deuter. XXIV. dicitur: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Ergo. II. Innocens non potest mortem acceptare pro nocente. Ergo Christus mori non potuit pro nobis. III. Ita redempti sumus, quo modo venditi. Sed venditi sumus sine pretio. Resp. ad I.

Lex

Lex illa obligat terrenos judices, qui non habent supremam potestatem independentem a Deo, nec habent dominium directum in vitam innocentis. Aliter loquendum est de Deo, qui supremam ac independentem potestatem habet, & dominium plenum ac directum in vitam omnium hominum. Ad II. Resp. Id verum esse de puro homine, qui vitæ suæ dominus non est: At vero Christus, Homo Deus, perfectum habebat vitæ suæ dominium. Ad III. N. M. Culpa & inobedientia nostra in diaboli potestatem venimus: sed redimi non potuimus, nisi interventu satisfactionis a Christo præstitæ.

352. Objic. III. Sequela. Si Christus pro nobis vere satisfecit, & mortuus est, sequitur nos plus debere Christo, quam Patri. Atqui hoc falsum est. Ergo. P. M. Conferenti plura beneficia debetur major amor. Atqui Christus plura contulit beneficia quam Pater. Ergo Christo major debetur amor quam Patri. Resp. I. Eadem objectio formari posset, etiamsi Christus improprie tantum pro nobis satisfeciset. Resp. II. N. M. Ad *prob.* C. M. in sensu explicando, & N. m. Conferenti beneficium obstricti sumus, non præcise propter beneficium collatum, sed propter benevolam voluntatem erga nos. Sic si quis caput tuum percutiendo ex odio, capitis dolorem quo prius affligebaris depelleret, illi certe obstrictus non fores. Ergo cum opera Verbi incarnati peracta sint voluntate & potentia communi toti Sanctissimæ Trinitati, tribus divinis personis æque sumus obstricti, præcipue cum alias jam Deo omnem amorem possibilem debeamus. Illud admitti potest, quod Sanctissimæ Humanitati Christi, quæ tot ac tanta pro nobis tulit, speciali titulo simus obligati, sed non majori.

353. Dices I. Si vera fuisset redemptio, pretium fuisset solutum detinenti. Atqui non potest dici pretium persolutum fuisse dæmoni qui in servitute nos detinebat. Ergo. II. Si Christus pro nobis satisfecit, tunc etiam sibimetipsi satisfeciset. Ergo idem Christus simul dedit, & accepit solutionem: simul

mul iratus, quia postulabat satisfactionem; & simul placatus, quia illam exhibuit. III. Si Christus pro omnibus satisfecit, omnes, etiam impii, salvarentur. Resp. ad I. Primarium detinentem esse Deum omnium Judicem, dæmonem vero ministrum esse divinæ justitiæ: Reus autem, vel sponsor non custodi carceris, vel carnifici, sed judici pœnas dat. Ergo pretium solutum fuit Deo, non dæmoni. Ad II. Cum Christus duplicem habeat naturam, divinam & humanam, non satisfecit sibi ut homini, sed sibi ut Deo. Hinc iratus fuit idem & placatus, petiit & dedit satisfactionem, sub diverso respectu, & ratione diversæ naturæ. Ad III. N. sequelam. Perseverantibus in impietate non applicatur satisfactio Christi. Ergo non liberantur ab æterno interitu. Illud hic probe advertendum est, quod satisfactio Christi in actu secundo non consistat in liberatione actuali a pœnis æternis; sed in eo præcipue quod Christus morte sua omnibus hominibus gratias sufficientes promeritus fuerit, quibus adjuti, si fideliter cooperari voluerint, æternas pœnas effugere possint. Qui enim v. g. captivo sufficiens dat pretium, quo debita expungere, sicque ex carcere expedire se valeat, recte dicitur pro illo satisfeciſse, quamvis captivus, negligentia vel malitia sua in pristinam libertatem restitutus non fuerit.

CONTROVERSIA XIII.

AN DEUS VELIT SERIO OMNES HOMINES ADULTOS ET PARVULOS, SALVOS FIERI: ET AN CHRISTUS PRO OMNIBUS SIT MORTUUS?

CONTRA PRÆDESTINATIANOS, CALVINISTAS, ET JANSENIANOS.

Quotuplex Dei voluntas?

354. Voluntas Dei sive actus divinæ voluntatis, licet in se unicus sit ac simpliciſsimus, ratione tamen nostra, sive ob objecta ad quæ divina voluntas fertur, sive ob modum quo circa illa versatur, sive ob effectus quos operatur, a Theologis in plures dividitur.

tur. Voluntas *antecedens* dicitur illa, quam Deus habet ex se ipso solo, independenter a bonis vel malis operibus creaturæ. Talis est voluntas in Deo salvandi etiam reprobos. *Consequens*, est volitio quam Deus habet, non ex se solo, sed dependenter a bonis vel malis operibus creaturæ. Talis est voluntas quam Deus habet damnandi reprobos propter eorum peccata, per impœnitentiam finalem consummata. Voluntas *beneplaciti* est vera ac proprie dicta Dei volitio, qua vere vult rem aliquam, v. g. salutem hominum. Voluntas *signi* non est vera volitio, sed tantum metaphorica, & signum volitionis. Tale est præceptum, quo Deus Abrahamo mandavit, ut filium suum unigenitum Isaac immolaret: quod sacrificium Deus ne inefficaciter quidem volebat, sed solum ut Abraham se ad illud accingeret. Voluntas *efficax* dicitur ea, qua Deus sic vult aliquid, ut determinatus sit ad superanda omnia impedimenta, & adhibenda omnia media, quibus reipsa illud fiat. Atque hæc incompossibilis omnino est cum opposito illius quod Deus intendit. *Inefficax* est illa, qua Deus sic vult aliquid, ut non sit determinatus ad superanda omnia impedimenta: unde compossibilis est cum opposito illius quod Deus intendit. Voluntas *absoluta* dicitur quæ a nulla conditione pendet, qualis fuit voluntas creandi mundum. *Conditionata* dicitur ea, quæ ab aliqua conditione pendet. Talis est voluntas præmiandi hominem, si præmium mereatur. Voluntas *affective efficax*, *sed effective inefficax* est illa, qua Deus, quantum est in se, sincere ac serio vult aliquid, ita ut per ipsum non stet quo minus res fiat, licet non sit eventura. *Affective*, *simulque effective efficax* dicitur illa, quam res volita absolute subsequitur, ita ut huic volitioni non possit resisti. *Status quæstionis.* Quæritur modo, utrum Deus omnes homines, etiam reprobos, non tantum ante sed etiam post prævisum peccatum originale, voluntate beneplaciti, seria, & affective tantum efficaci, velit salvos fieri, ita ut per Deum non stet quo minus omnes, etiam reprobi, salven-

salventur? Item an Christus pro omnibus, non prædestinatis modo sed etiam reprobis, eo fine ac intentione mortuus sit, ut mors sua illis omnibus ad vitam æternam prodeſset, quantum est in se, & omnibus, illius intuitu, darentur gratiæ vere sufficientes, quibus salutem æternam consequi poſsent, si vellent?

Errores Pelagianorum & Maſſilienſium. 355. Pelagiani, & Maſsilienses sæculo V. docuerunt, Deum non habere voluntatem specialiter benevolam circa salutem salvandorum; sed universalem; indifferentem & æqualem circa omnes: ideoque æqualia media omnibus dediſse: neque Deum poſse homines salvare, nisi ipsi petant, & solis naturæ viribus salutem desiderent; alioquin ajebant fore, ut Deus sit acceptor personarum. Prædestinatiani *Antelapſarii* ajebant, Deum, ante lapsum hominis primi, & eo secluso, aliquos ad vitam æternam prædestinaſse, ut in illis misericordiam suam ostenderet; alios vero absque ullis eorum demeritis ad mortem æternam præordinaſse, ad ostendendam in illis justitiam suam; ideoque Christum pro solis prædestinatis mortuum fuiſse. Tales fuere sæculo V. Lucidus Presbyter in Galliis, & seculo IX. Gothescalcus Monachus Orbacensis, damnatus idcirco a Rabano Mauro in Synodo Moguntina A. C. 848. & ab Hincmaro Rhemensi in Synodo Carisiaca A. C. 849. *Poſtlapſarii*, mitigata paulisper majorum suorum severitate, Deum post Adami lapsum, ante prævisionem tamen actualium peccatorum, non velle serio omnium hominum salutem; sed propter peccatum originale, quamvis illud in Baptismo remittatur, aliquos ex solo suo beneplacito reprobaſse, quibus dein gratias sufficientes denegat, ac peccandi neceſsitatem inducit: aliquos vero, ex solo suo beneplacito, prædestinaſse, quibus tales dat gratias, quæ illorum voluntatem irresistibiliter expugnant. Tales sunt Calviniani, de quorum parente Calvino multi dubitant, an accensendus sit ante vel postlapsariis.

Prædeſtinatianorum.

Janſenii. 356. Eadem, quoad substantiam, Jansenii Iprensis, ejusque discipulorum, est doctrina. Lib. III. de Gratia

tia Christi, Cap. XX. aſserit Jansenius, doctrinam de generali Dei voluntate salvandi omnes homines a Semipelagianis ortam eſse, & inde in scholas derivatam: additque voluntatem salvandi omnes homines, si quam Deus habet post Adæ lapsum, eſse nudam velleitatem, qualem Deus habet circa homines, vel Angelos damnatos. Quare Cap. XXI. docet, Christum mortuum eſse pro salute æterna electorum tantum; nec magis pro cæterorum hominum salute sanguinem suum fudiſse, aut oraſse, quam pro salute diaboli. Janseniani ad amoliendam a se atque Magistro suo Jansenio publicam invidiam, doctrinam hanc miris fraudibus, & æquivocationibus involvunt adeo, ut sæpiſsime fucum faciant incautis, quibus mysterium iniquitatis nondum reseratum est, putenturque omnino Catholice hac in re sentire. Quippe si a Jansenistis postulaveris, utrum admittant in Deo antecedentem voluntatem salvandi omnes, non tantum abstractione facta lapsus primi hominis, sed etiam eo supposito? Respondebunt se admittere; quia tali voluntate Deus vult quidquid in se bonum ac rectum est. Rursus si quæsieris, an ea voluntas sit otiosa vel activa? Reponent activam eſse, ex qua Deus hominibus concedit, aut saltem dare paratus est gratias aliquas non tantum exteriores, sed etiam interiores. Iterum si rogaveris, utrum illæ gratiæ poſsint hominem perducere ad salutem? Etiam affirmabunt; at solita fraude & æquivocatione: nempe gratias illas absolute & in se spectatas id poſse, non vero relate ad præsentes subjecti circumstantias, & gradus prævalentis delectationis terrestris. Simili modo Christum mortuum eſse pro omnibus dicunt, non pro solis prædestinatis, sed etiam pro reprobis. Si instes & urgeas, quo sensu id dicant? Ajunt, pro omnibus mortuum eſse, quia mortuus est pro natura omnibus communi, (sed non quatenus in singulis est) pro omni genere, natione, statu, sexu, ætate, conditione: pro aliquibus ex omni tempore; quia pretium quod dedit abunde est sufficiens pro omni-

Fraudes, & æquivocationes Janſenianorum.

bus, si pro omnibus fuisset oblatum: quia etiam reprobis quibusdam dona quædam temporalia fidei, spei, charitatis &c. morte sua promeritus est. Si vero urgeas ulterius, sitne ita pro omnibus, etiam reprobis, mortuus Christus, ut pro salute æterna vel unius reprobi sanguinem fuderit? Hærebit unda, nihilque ad hæc responsi ex illis elicueris, aut missis ambagibus, id pernegabunt: qui vero projectæ omnino sunt audaciæ, & longo fallendi usu exercitati, reponent, Christum etiam pro salute reproborum mortuum fuisse, quia illis meruit gratias, quæ absolute, & in se spectatæ, ac in aliis circumstantiis, possent homines illos ad salutem perducere; sed quæ relate ad præsentes concupiscentiæ superioris vires non possunt. Denique Christum voluisse reproborum salutem ea voluntate, quæ non rationis est, sed naturæ, id est, motu naturalis cuiusdam compassionis ortæ ex ipsa naturæ nostræ infirmitate: eo fere modo, quo imminente morte, tædii ac timoris sensum pro infirmitate naturæ humanæ expertus fuit.

Deum serio velle omnium hominum salutem, docent Scripturæ.

357. Hæc Jansenianorum doctrina si vera foret, sequeretur I. Reprobis non dari gratias vere hic & nunc sufficientes ad salutem consequendam. II. Liberum arbitrium hominis sublatum esse & periisse. III. Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sæpe esse impossibilia. IV. Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. V. Deum tyrannum esse crudelissimum. Præciperet enim etiam reprobis, ut pœnitentiam agant, pravisque cupiditatibus resistant; quod tamen illi præstare omnino nequeunt, cum sufficientibus auxiliis destituantur, sine quibus prorsus impossibile est pœnitentiam agere, aut tentationem superare, ut oportet, utque ad salutem æternam expedit. Ergo impossibilia præciperet, gravissimasque pœnas a miseris illis idcirco expeteret. Ex quo patet præcipuum Jansenianæ hæresis virus in hac Jansenii propo-

positione, quæ est ordine quinta inter damnatas ab Innocentio X. contineri: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, & sanguinem fudisse.* Errores, fraudes ac dolos Pelagianorum, Massiliensium, Gothescalci, & Jansenii commodiore loco exhibebimus, nimirum Tomo V. in præviis Dissertationibus Historicis.

358. Conclusio I. Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti, seria, & antecedente vult omnes & singulos homines salvos fieri; ita, ut per ipsum non stet, quo minus omnes salvi fiant. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. I. ad Timoth. II. scribit Apostolus: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quibus verbis Apostolus intelligit omnes omnino homines, nullo excepto, ac de voluntate beneplaciti ac seria loquitur; verba enim Scripturæ, juxta regulam Augustinianam ab omnibus receptam, sumi debent in sensu proprio, nisi clarior Scripturæ locus, traditio, aut evidens ratio obsistant. Præterea tam generaliter intelligit Apostolus, Deum velle omnes homines salvos fieri, quam generaliter intelligit orandum esse pro omnibus. Atqui orandum est pro omnibus, nullo excepto. Ergo Deus nullo excepto vult omnes homines salvos fieri. P. M. Apostolus probat orandum esse pro omnibus quia Deus vult omnes homines salvos fieri. Ergo cum universalior esse nequeat conclusio quam præmissæ, tam generaliter intelligit Deum velle omnes homines salvos fieri, quam generaliter intelligit orandum esse pro omnibus. II. Petri III. v. 9. dicitur de Deo: *Nolens aliquos perire sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ergo si Deus neminem vult perire, & omnes ad pœnitentiam reverti, hoc ipso omnes & singulos quam-

tum in se est, vult salvos fieri. Neque voluntas hæc Dei præscindit a peccato originali, aut aliis actualibus: a quo enim peccato reverti tunc poterant homines, aut cujus poterat eos pœnitere, si nullum supponatur extitisse? Joan. XVII. v. 12. ait Christus: *Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Et v. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Ergo filius perditionis, id est, Judas Iscariotes unus fuit ex eis, quos Deus Pater Filio suo dederat, ut viderent claritatem Christi in cœlis. Ergo Deus vult etiam salvari non tantum prædestinatos, sed etiam reprobos. Ergo ruit fundamentum Jansenii docentis, non dari in Deo aliam voluntatem quam affective & effective efficacem. Quantum hic locus Jansenistas premat, satis ipsi ostenderunt in Gallica Scripturæ versione Montensi. Ut enim observat Jacobus Fontaine in Constitutione Unigenitus Theologice propugnata, Tomo I. Propositione XXX. Cap. XII. ne Judas unus inveniretur ex iis, quos Deus Pater Christo dederat ut haberent vitam æternam, propria auctoritate particulam *nisi* in particulam adversariam *sed* verterunt, quasi dictum a Christo fuisset: Nemo ex eis, quos dedisti mihi periit; sed tantum filius perditionis, qui ex illis non erat.

Patres Græci. 359. Prob. II. Auctoritate Patrum Græcorum & Latinorum. S. Methodius Martyr, auctor pervetus, in Libro de Resurrectione, apud Oecumenium in Cap. IX. Epist. ad Romanos de illo Apostoli loco disserens, in quo vasorum differentiam ponit, *Aliud quidem vas*, inquit, *in honorem: aliud vero in ignominiam. Non quod alios bonos, alios non bonos faciat: absit. Verum Dei quidem bonitas ad omnes communiter pertinet: & quantum in ipso situm est, hoc est secundum ipsius consilium, & voluntatem, vellet omnes probos, & fideles esse, ac virtute præditos. Sed ut jus, potestatemque divinam exprimeret, qua quæcunque libet facere potest, istud posuit.* S. Cyril. Jerosol. Catech. XVIII.

Cum

Cum benignus sit Dominus, non unum vel alterum tantum; sed multos ad æternæ vitæ januam aditus aperuit; ut omnes ea, quantum in ipso est, nullo impediente potiantur. S. Basil. Hom. in Psalm. XXIX. *Quid ergo dicit? nimirum hoc ipsum esse, quod Deus vult omnes vitæ fieri participes: quæ autem calamitates accidunt, eas non de ipsius voluntate fieri, sed pro eorum, qui peccaverunt, merito decerni.* S. Chrys. Hom. XVI. in Epist. ad Rom. *Si omnes peccaverunt, cur alii salutem adepti sunt, alii perierunt? Nempe quoniam non omnes accedere voluerunt. Alioqui, quantum in ipso fuit, omnes salvati essent; nam & omnes erant vocati.* S. Cyril. Alexand. Lib. II. de Recta Fide ad Reginas: *Quantum ad Dei voluntatem pertinet, & ad insitam ejus naturæ benignitatem, omnes essemus filii: nec ab ipsius affinitate ullus excideret. Verum, ut David testatur, tamquam homines morimur, & sicut unus de principibus cadimus, quod carnis affectionibus mentem nostram subjicimus.* S. Isidorus Pelusiota Lib. II. Epist. CCLXX. *Etenim modis omnibus salvari vult eos, qui in vitio volutantur, & ad eos allegat, qui remedium adhibeant; non ignorans quidem fore, ut illi morbo intereant: sed ut omnem eis excusationem eripiat. Nam etsi ab insania non resipiscant isti; hoc tamen inde fructus consequitur, quod suas ipse partes sit exsecutus.*

360. E Latinis S. Hilar. in Psalm. CXVIII. *Stat ad ostium Verbum Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, & dicit: Ecce stans ante ostium pulso: siquis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire: sed a nobis, ne introeat, excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. Qui si cœperit emundatis omnibus patere, illico introire modo Solis, qui clausis fenestræ valvis introire prohibetur; patentibus vero totus immittitur. Ipsi quidem semper ut illuminet, promptum est: sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim Verbum Dei Sol justitiæ, assistens unicuique, ut introeat, nec moratur lucem suam apertis aditibus infundere.* S. Ambr. Lib. II. de Abel & Cain, Cap. *Ex Latini.*

Cap. III. *Omnibus opem ſanitatis detulit: ut quicunque perierit, mortis ſuæ cauſas ſibi adſcribat: qui curari noluit, cum remedium haberet, cum poſſet evadere: Chriſti autem manifeſta in omnes prædicetur miſericordia, eoquod ii qui pereunt, ſua pereant negligentia: qui autem ſalvantur, ſecundum Chriſti ſententiam liberentur: Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* S. Hier. Comment. in Cap. I. Epist. ad Ephesios: *Vult quæcunque ſunt plena rationis, atque conſilii: vult ſalvari omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus abſque propria voluntate ſalvatur (liberi enim arbitrii ſumus,) vult nos bonum velle: ut cum voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuum implere conſilium.* S. Paulinus Nolanus Epist. II. *Omnem, quantum in ipſo eſt, hominem ſalvum fieri vult, qui fecit omnes; nam & idcirco deſcendit ad nos, ut ad illum aſcenderemus.* Et Epist. XXIX. *In omni loco plura quotidie mirabilia ſolito ſigna crebreſcunt, ut omnem, quantum in ipſo eſt, hominem ſalvum faciat. Oſtendit in raris, quod omnibus, ſi velint, proſit.*

Præcipue S. Auguſtinus.

361. Eadem fuit doctrina S. Aug. quem Janseniani obtorto collo sibi conantur vindicare. Lib. de Catechizandis Rudibus, Cap. XXVI. scribit: *A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum Filium ſuum.* Et Lib. de Spiritu & littera, qui certe genuinus est Augustini fœtus, quamvis Typographi incuria vel fraude omiſsus fuerit in Editione Lovaniensi, Cap. XXXIII. ait: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes juſtiſſime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſem-*

per

per invicta est: vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Jansenius quidem ad declinandam vim horum verborum, quibus ipsum jugulum Jansenianæ hæreseos petitur, ait S. Augustinum non ex propria, sed ex Semipelagianorum sententia ibi loqui, & mirabili hallucinatione objectionem pro solutione a Theologis nostris acceptam esse. Sed frustra id a Jansenio dicitur; & nullo fundamento, ut manifeste ex ipso contextu demonstratur. Plura Augustini loca recenset Laurentius Alticotius in Summa Augustiniana, Parte I. Quæst. III. Art. I. Et Parte VI. Quæst. I. Art. II.

Et S. Prosper Aquitanicus.

362. Magistrum sequitur fidelissimus discipulus, S. Prosper Aquitanicus in Responsione ad octavam objectionem Gallorum: *Remoto obscurarum turbine quæstionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus, dicamusque cum Apostolo, Quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et iterum dicamus cum Apostolo, Qui est Salvator omnium, maxime fidelium.* Et in Respons. ad secundam Objectionem Vincentianam: *Sincerissime credendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum.*

Christum pro omnibus mortuum esse evincitur ex Scripturis

363. Conclusio II. Christus pro omnibus omnino & singulis hominibus mortuus est. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. I. ad Timoth. II. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ad Rom. VIII. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* II. ad Cor. V. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus.* Ubi Apostolus ex eo, quod pro omnibus mortuus sit Christus, colligit omnes omnino homines mortuos esse per peccatum Adami.

Adami. Atqui hæc conclusio legitima non foret, si Christus non esset mortuus pro omnibus hominibus, nullo excepto; quia conclusio universalis inferri non potest, nisi ex præmissa saltem æque universali. I. ad Timoth. IV. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime Fidelium.* Quibus nempe copiosiores dantur gratiæ, quam aliis. I. Joan. II. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Id est, non pro peccatis nostris tantum, qui sumus fideles; sed pro peccatis etiam infidelium totius mundi. I. ad Cor. VIII. *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Ex quo loco hoc argumentum instruit Joannes Malderus, Episcopus Antuerpiensis, contra Calvinistas in Antisynodicis, Cap. VII. Nullus electus perit. Aliquis propter quem Christus mortuus est, perit. Ergo aliquis, propter quem mortuus est Christus, non est electus. Cæterum observo, in citatis textibus Christum mori pro omnibus, in sensu Ecclesiæ idem dicere, ac mori ea intentione, ut mors illa prosit omnibus ad vitam æternam, juxta illud Pauli II. ad Cor. V. v. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Præterea Christum mori pro electis, est mori pro æterna electorum salute. Ergo Christum mori pro omnibus idem significat, ac illum mori pro æterna omnium salute.

Patribus Græcis. 364. Prob. III. Auctoritate Patrum Græcorum & Latinorum. Clemens Alexandr. Lib. VII. Stromatum ait: *Servator propter suam excellentem benignitatem, & in hominem charitatem, non despecta carnis humanæ imbellicitate, sed ea indutus, ad communem venit hominum salutem.* S. Greg. Nazianz. Orat. XXV. inter beneficia omnibus impensa numerat *ipsas etiam Christi perpessiones, per quas omnes reformati sumus, nullo penitus excepto, qui eidem Adamo participavimus, & a serpente decepti, & per peccatum morte affecti, ac per cœlestem Adamum saluti restituti atque ad vitæ lignum, unde*

de excideramus, per ignominiæ lignum revocati ſumus. Idem Orat. II. in Pascha, paſsionem & mortem Christi vocat, *non exiguæ cujuſdam partis terrarum orbis, ſed totius mundi expiationem numquam intermorituram.* S. Basil. in Libro regularum fusius disputatarum, in Responsione ad Quæstionem II. ait, dæmonem Christo exprobraturum, *quod cum neque procreaverit nos, nec mortuus ſit pro nobis, nihilominus in rebellione, ac Dei mandatorum contemptu morigeros ſibi nos habuerit. Equidem hujusmodi probrum in Dominum conjectum, atque hanc inimici jactantiam acerbiorem mihi quibuſvis gehennæ ſuppliciis videri fateor.* S. Chrys. in Epositione Epist. ad Galatas explicans illa verba, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, ait Paulum id dixiſse, *ut oſtenderet unumquemque noſtrum tantæ Chriſto Domino gratiæ debitorem eſse, quantæ ſi ſui tantummodo cauſa veniſſet. Non enim detrectaſset vel pro uno tantumdem curæ, ac benignitatis oſtendere. Ita ille quemlibet hominum tanta charitatis menſura complectitur, quanta orbem universum. Quocirca Sacrificium quidem ipſum pro tota natura oblatum fuerat: qui autem uſum Sacrificii percipiunt, ſoli ſunt credentes.*

365. E Latinis S. Hilar. Commentario in Psalm. CXVIII. agens de exprobratione illa, quam in oppida Corrozaim & Bethsaida distrinxit Dominus, hæc subjicit: *Quod ab illis cœptum, neceſse eſt, ut in omnes ejuſdem criminis par fiat: & tunc humano generi exprobret non pœnitenti, neque in viam Evangelicam pergenti, id quod in Pſalmo continetur, quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Exprobrat enim ſuperbis, atque maledictis, cur nihil in Sacramento ſanguinis ſui atque mortis utilitatis ſuæ eſse exiſtimarunt, cum ille noſtri cauſa & natus, & paſsus, & mortuus ſit.* S. Ambr. Lib. II. de Pœnitentia, Cap. VIII. *Qui lapſu alieno gaudet, diaboli gaudet victoria. Et ideo doleamus magis, cum audimus periiſſe hominem, pro quo Chriſtus mortuus eſt, qui nec in meſse ſtipulam negligit.* Et in Psalm. CXVIII. *Plena eſt ergo terra miſericordia Domini; quia* *Et Latinis.*

omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes Sol oriri jubetur. Et hic quidem Sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem Sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus surrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat. S. Hier. in Epist. ad Oceanum: *Mentitur Joannes Baptista & digito Christum & voce demonstrans, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit.* S. Leo M. Serm. I. de Nativit. *Una cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Et Serm. I. de Passione Domini Judæos alloquens: *Et tamen tanta est bonitas nostri Redemptoris, ut etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in Cruce frustra oravit, dicens, Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Quod remedium nec te Juda transiret, si ad pœnitentiam confugisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum.*

Præcipue ex S. Augustino.

366. His plenissime suffragatur S. Aug. quem Janseniani, reclamante licet conscientia, totum esse suum vociferantur. Tract. IV. in Joan. scribit: *Populi autem spernentes per superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* At quomodo reprobi ex crucifixo Salvatore suo fecere damnatorem, si illorum salutem Christus nullatenus voluit? Tract. XII. in Joan. *Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator in mundum: quare dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso? ex te judicaberis.* Enarratione in Psalm. CXV. *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Sermone CCCXLIV. *Sanguis Domini tui, si vis, datus*

est

est pro te. Si nolueris esse, non datus est pro te. - - Semel dedit, & pro omnibus dedit. Lib. II. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. VIII. *Ecce hominem, quem crucifixistis: ecce Deum & hominem, in quem credere noluistis. Videtis vulnera, quæ inflixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis: quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis,* (redemptione scilicet utili ac fructuosa) *non estis mei: Discedite a me in ignem æternum &c. Festinet unusquisque cum vivit, ut vivat: currat, ut ejus pretioso sanguine redimatur; ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum.* Lib. II. Operis imperfecti, Num. CXXXIII. *Unus pro omnibus mortuus est o Juliane: Non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit; immo ipse per suum Apostolum Christus. - - Multi quippe isti, ipsi sunt omnes, de quibus alio loco dicit, Sicut in Adam omnes moriuntur &c.* Denique ne Janseniani dicant per *το omnes* intelligi tantum omnes electos, non autem omnes & singulos homines, etiam reprobos, Enarratione II. in Psalm LXVIII. scribit: *Judas traditor punitus est, & Christus crucifixus est. Sed nos redemit sanguine suo, & punivit illum de pretio suo. Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat. Factum est hoc in Juda.* Ergo juxta Augustinum Judas, non electus utique sed reprobus, redemptus fuit a Christo. Ergo omnes homines, etiam reprobi, a Christo redempti sunt, redemptione quamvis infructuosa ex ipsorum malitia, non ob defectum redimentis.

367. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Nicænum I. in Symbolo profitetur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlo, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit.* Sæculo V. Synodus Arelatensis III. & Lugdunensis Lucidi Presbyteri errores damnavit, approbata Fausti Epistola ad Lucidum, ipsique Fausto hos errores confutandi provincia demandata. Ipse Lucidus *Ex Conciliis.*

in libello emendationis ad Episcopos Gallicanos, errores suos juxta Concilii Arelatensis Decretum ejuravit. *Damno vobiscum*, inquit, *sensum illum, qui dicit quod Christus Dominus & Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.* Eumdem errorem Sæculo IX. in Gothescalco proscripsit Synodus Moguntina & Carisiaca, quæ Capitulo III. ait: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.* Et Capitulo IV. *Christus Dominus noster, sicut nullus hominum est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit; ita nullus fuit, est, vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur.* Tridentinum Concilium Sess. VI. Cap. II. ait: *Quo factum est, ut cœlestis Pater .. Christum Jesum Filium suum .. ad homines miserit; ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret, & gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent.* Ergo si Christus in hunc finem missus est a Patre, certum est fudisse sanguinem ex hac intentione, ut etiam gentes adoptionis beneficio potirentur. Et Cap. III. ait: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ubi manifeste Concilium supponit, Christum mortuum esse etiam pro illis, qui non salvantur, id est, pro reprobis.

Summis Pontificibus.

368. Prob. IV. Auctoritate Pontificum, qui condemnarunt propositiones Jansenii, quarum quinta sic sonat: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Innocentius X. hanc propositionem damnavit tamquam *falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem: & hæreticam.* Ex quo sequitur, dogma Catholicum esse, quod Christus mortuus sit

pro

pro salute aliquorum saltem reproborum; neque contrarium defendi posse sine manifesta hæreseos nota. Quod vero pro omnibus omnino ac singulis sit mortuus, aliqui fide divina credendum esse contendunt; alii vero Theologi non esse equidem dogma fidei Catholicæ dicunt, fatentur tamen esse proximum fidei, ac omnino certum & indubitatum. Idem pari de causa, atque ob necessariam doctrinæ consecutionem, dicendum est de voluntate Dei antecedente ac seria, ut omnes homines salvi fiant. Clemens XI. in celeberrima Constitutione *Unigenitus* doctrinam Paschasii Quesnelli, qui quintam etiam Jansenii propositionem in Reflexionibus suis moralibus renovaverat, iterato proscripsit. Propositio inter Quesnellianas ordine XXX. sic sonat: *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.* XXXI. *Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.* XXXII. *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris.* XXXIII. *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus, dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

349. Prob. V. Ratione Theologica. Ima est: Cum voluntas Filii semper perfectissime conformis fuerit voluntati Patris, Christus passionem suam Patri obtulit eo modo, & pro quibus Pater illam volebat offerri. Ergo cum Pater serio velit, quantum in se est, omnes homines salvos fieri, Filius pro omnibus omnino ac singulis passionem suam Patri obtulit, ut omnibus ac singulis, quantum in se est, ad æternam salutem prodesset. II. Si Christus pro omnibus mortuus non esset, actum foret de fundamento & certitudine spei theologicæ, quam tamen sæpius in vita tenemur elicere. Si enim certi non sumus, Deum quantum est in se, serio velle omnes ac singulos homines *Et ratione Theologica.*

mines salvos fieri, neque Jesum Christum Advocatum ac Redemptorem nostrum sanguinem suum fudisse, ut illius intuitu gratiæ nobis conferantur, quibus æternam salutem consequi possumus; quonam pacto firmissime sperare possemus auxilia vere sufficientia, aut sine illis æternam gloriam nos adepturos? Merito omnino timendum nobis semper foret, ne nos pariter ex illorum numero simus, quos Deus ex solo suo beneplacito æternum vult a cœlo exclusos.

Idem omnino de parvulis sentiendum.

370. Conclusio III. Beneficium mortis Christi, ac seria & antecedens Dei voluntas, ut omnes homines salvi fiant, extendunt se etiam ad parvulos, sive intra, sive extra uterum maternum sine baptismo ex hac vita decedentes. Prob. I. eadem Scripturarum ac Patrum auctoritate, qua prius ostendimus, Deum velle, quantum est in se, ut omnes homines salvi fiant, & Christum sanguinem suum fudisse pro omnibus ac singulis hominibus, absque ulla omnino restrictione ad sexum, ætatem, conditionem, patriam &c. Prob. II. peculiariter auctoritate S. Aug. qui Lib. III. contra Julianum, Cap. XXV. scribit: *Etiam pro parvulis mortuus est; quia & ad ipsos pertinet sanguis, qui in remissionem fusus est peccatorum.* Et Lib. IV. contra eumdem Julianum, Cap. VIII. *Numquid homines non sunt* (parvuli) *ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines?* (vult salvos fieri.) Lib. II. de Nuptiis & Concupiscentia, Cap. XXXIII. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Puto, quod ita dicat, Christum traditum pro omnibus nobis, ut in hac causa parvuli non separentur a nobis.* Prob. III. Ratione. Est incredibile, quod Deus benevolentior sit erga scelestissimos adultos, quam erga innocentes parvulos. Ergo Deus parvulis etiam providit de mediis sufficientibus, quæ si applicarentur, ad baptismum pervenirent: ita ut per Deum non stet, quo minus ad baptismum perveniant.

Quomodo media parvulis a Deo præparentur?

371. Quæres, quomodo ista media parvulis a Deo præparentur? R. I. Non potest dici hæc media collata ipsis fuisse in causa, id est, in Adamo, ne

in

in originale peccatum inciderent. Hæc enim voluntas ut omnes parvuli salvi fiant, datur in Deo etiam supposito ac præviso peccato originali. Neque dici potest II. Deum pro parvulis instituisse media communia, v. g. baptismum, quæ si parvulis non applicentur, id non Deo sed causis necessariis tribuendum sit, quarum cursum Deus ut author naturæ impedire non teneatur. Ratio est, quia causarum necessariarum effectus fiunt auctore Deo, & positive ab illo intenduntur. Ergo non haberet Deus seriam voluntatem, ut parvuli illi salvi fiant. Neque dici potest III. Deum præparasse parvulis gratias illustrationis, aut inspirationis; quia illarum capaces non sunt. Neque IV. cum Semipelagianis, parvulos ad baptismum non pervenire, quia a Deo prævidentur abusuri sua libertate si ad adultam ætatem pervenirent. Deus enim quemlibet prævidet aliquibus auxiliis consensurum, & aliquibus dissensurum, si darentur, & si ad annos discretionis perveniret. Ergo non datur potior ratio, cur magis non perveniant ad baptismum, quam ad illum perveniant. Dicendum itaque videtur, mediate tantum parvulis conferri salutis media, in quantum nempe Deus ob merita Christi, ex sincero salutis eorum desiderio, salutem parvulorum pendere vult a libertate parentum, vel aliorum hominum, qui si fuissent obsecuti immissis inspirationibus, parvuli ad baptismum pervenissent. Atque hæc ipsa est doctrina Authoris Librorum de Vocatione Gentium, quos aliqui S. Prospero Aquitanico tribuunt. Lib. II. Cap. XXIV. ita scribit laudatus Author: *Non irreligiose arbitror credi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis impensa est nationibus: qua utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Quod igitur multi parvuli absque baptismo decedant, id ex parentum, vel aliorum hominum quorum libertati Deus salutem parvulorum alligavit, defectu provenit. Hic autem defectus non debet sem-

per

per esse peccatum grave ab illis commissum; sed quandoque veniale sufficit, aut etiam imperfectio, v. g. neglectus inspirationis divinæ, absque cognitione alicujus obligationis.

Argumenta contraria refutantur.

Voluntas Dei salvandi omnes neque Scripturarum.

372. Objic. I. contra I. Conclusionem, Auctoritas Scripturarum. Malachiæ I. ait Deus: *Jacob dilexi, Esau vero odio habui.* II. Exodi X. *Induravit autem Dominus cor Pharaonis.* Ergo Deus non vult reprobos salvos fieri. R. N. C. Nam I. sensus citati loci est: *Esau vero minus dilexi:* qui loquendi modus apud Hebræos usitatus est, quod careant comparativis. Patet id ex illo Lucæ XIV. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem &c.* Ubi certum est, non præcipi nobis odium erga parentes, sed ne illos Deo præferamus, prohiberi. II. Sermo ibi non est de æternis, sed de temporalibus bonis. Et quamvis ibi de reprobatione Esau ageretur, intelligendus foret locus ille de voluntate Dei consequente prævisionem demeritorum Esau, non vero de antecedente. Ad II. R. Deus cor Pharaonis induravit, non positive, & impertiendo malitiam; sed negative, subtrahendo nimirum illi gratias efficaces, quas dare nullo modo tenebatur. Sed uberior de his erit nobis sermo Tomo IV. & V.

373. Dices I. Vox *omnis*, qua Apostolus utitur I. ad Timoth. II. non denotat omnes omnino homines, sed multos ex illis. Sic Gen. VI. dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam.* Et Psalm. XIII. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Ergo solidum argumentum ex illo loco instrui nequit. R. N. A. Verba Scripturæ in proprio ac stricto sensu sumenda sunt, nisi quid obstet. Atqui hic nihil obstat quo minus ea in proprio ac stricto sensu sumantur: immo SS. PP., & Ecclesia ea sic interpretantur: neque alius Scripturæ locus ostendi potest, quo contrarium asseratur.

374.

374. Dices II. Voluntas illa, quam Deus habet ut omnes homines salvi fiant, est tantum voluntas signi, vel simplex complacentia de eorum salute ut posſibili, aut velleitas aliqua conditionata & inefficax, qua vellet ipsos salvari, si morerentur in gratia: Ideoque S. Thomas I. Parte, Quæst. XIX. Art. VI. ad I. vocat illam, voluntatem *ſecundum quid*. Ergo ex Scriptura non probatur voluntas seria, & beneplaciti. R. N. A. Voluntas signi, complacentia, ac mera velleitas, non sunt voluntas proprie dicta, quam Scripturæ in Deo adstruunt, vi cujus Deus posſit dici serio velle salutem hominum: talem enim complacentiam Deus etiam habere potest de salute dæmonum ut posſibili. Porro ex veteribus Theologis solus Capreolus amorem complacentiæ circa salutem omnium hominum statuit in Deo; alii vero stant pro nobis. Et quamvis plures ex illis contrariæ fuiſsent opinionis, nihil tamen certitudinis sententiæ nostræ decederet. S. Thomas per voluntatem secundum quid non intelligit meram velleitatem quæ nihil præstet: nec voluntatem illam vocat velleitatem comparate ad omnem sinceram voluntatem, qualis eſse potest voluntas effective inefficax & conditionata; sed prout velleitas opponitur voluntati absolutæ, & effective efficaci. Quando autem S. Thomas dicit, quod voluntas antecedens non habeat effectum, loquitur de effectu principali, seu de collatione ipsius salutis. Igitur voluntas seria, quam Deus habet, ut omnes homines salvi fiant, includit quidem complacentiam, & voluntatem conditionatam, non tamen nudam, & penitus inefficacem; sed quæ sit serium, & ardens desiderium, Deumque determinet ad conferenda auxilia sufficientia, ita ut per Deum non stet, quo minus homo salvetur. Licet itaque hæc voluntas non sit absolute efficax respectu salutis, est tamen absolute efficax respectu mediorum sufficientium ad salutem.

375. Objic. II. Auctoritas Patrum. S. Aug. locum illum Apostoli I. ad Timoth. II. *Qui vult omnes* *Neque Patrum auctoritas.*

nes homines ſalvos fieri, in Enchiridio, Cap. CIII. & Lib. de Correpț. & Grat. Cap. XV. triplici modo explicat. Ac 1mo quidem hoc sensu, quod nullus salvetur nisi per divinam voluntatem, & per Christi merita. II. Hunc locum interpretatur pro generibus singulorum, non pro singulis generum, hoc scilicet sensu, quod nulla sit hominum ætas, sexus, conditio, natio, in qua Deus non velit aliquos salvos fieri. III. Explicat illa verba de voluntate non formali, sed causali, qua Deus vult ut omnium salutem velimus & petamus. Ergo non agnovit veram ac sinceram in Deo eſse voluntatem salvandi omnes, neque sententiam illam Apostoli ad omnes & singulos homines extendi. II. Idem S. Doctor Pelagianos & Semipelagianos in libris suis sæpe redarguit, quod generalem in Deo admitterent voluntatem pro salute omnium. III. S. Fulgentius Lib. de Incarnatione & Gratia, Cap. XXIX. ait: *Illud vero Apoſtolicum, ubi dicitur de Deo, Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non ſicut oportet, intelligunt, qui hanc Dei voluntatem ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant, minus conſiderantes veraciſſimam Scripturæ ſententiam, quæ divinæ commendans omnipotentiam voluntatis, Omnia, inquit, quæcumque voluit, fecit.* R. ad I. C. A. N. C. Expositiones illæ interpretationem de voluntate generali, quæ omnes & singulos homines complectitur, minime excludunt. Immo ipse Augustinus Cap. CIII. Enchiridii, postquam tres adductas explicationes protulit, non diſsimulat, sententiam Apostoli *alio modo poſſe intelligi, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri* (voluntate scilicet absoluta & consequente) *factumque non eſſe.* Item Lib. de Correptione & Gratia, Cap. XIV. fatetur hæc ipsa Apostoli verba *multis modis intelligi poſſe, ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemoravimus.* Et aliter reipsa intellexit atque exposuit Augustinus tum Libro de Spiritu & littera, Cap. XXXIII. quem jam Episcopus circa A. C. 412. conscripsit: tum omnibus iis locis, quibus Deum omnibus

nibus dare gratias sufficientes, & Christum pro omnium ac singulorum salute mortuum esse affirmat. Quoties igitur voluntatem Dei salvandi omnes ad solos electos & prædestinatos restringit, non loquitur de voluntate antecedente, conditionata ex parte creaturæ, & effective inefficaci; sed de voluntate consequente, absoluta, & effective efficaci, quam ad solos prædestinatos restringendam esse ultro fatemur. Ad II. R. Pelagianos & Semipelagianos ab Augustino redargui, non quod admitterent in Deo generalem voluntatem pro salute omnium; sed quod doctrinam illam multis erroribus fœdarent, quibus tum necessitas gratiæ interioris, tum specialis Dei erga electos prædilectio tollebantur. Pelagiani enim docebant, Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi vellent, ita ut hanc eorum voluntatem solis tribuerent liberi arbitrii viribus, sine ulla interioris gratiæ, quæ voluntatem afficeret, necessitate. Semipelagianorum error in eo potissimum versabatur, quod dicerent Deum æqualiter velle omnium hominum salutem, & Christum æquali affectu pro omnibus mortuum esse: neque Deum posse salvare homines, nisi solis naturæ viribus velint, & petant salvari. Quare mirum non est, quod S. Augustinus contra illos hæreticos disputans, hanc Apostoli sententiam sæpius exponat de voluntate absoluta & consequente, quam de antecedente & conditionata, quam illi ultro admittebant. Ad III. Eadem est responsio. Agit l. c. S. Fulgentius contra Pelagianos & eorum reliquias, id est, Massilienses, negantes gratuitam prædestinationem ad gratiam, & asserentes voluntatem Dei salvandi omnes homines prorsus indifferentem. Ad finem enim citati capitis subjungit S. Doctor: *Proinde hi, qui voluntatem Dei, qua omnes homines vult salvos fieri, æqualem circa redimendos & damnandos existimant, cum interrogati fuerint, cur velit Deus omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiant, quid respondebunt?* Hunc errorem impugnare volens Fulgentius, uti olim S. Augustinus, & S. Prosper, totus fuit in prædicanda divi-

næ voluntatis omnipotentia, & electionis efficacitate. Ideo & locum Apostoli de voluntate prædestinante intelligit, ut omnes, quos Deus vult salvos fieri, intelligantur electi: quæ una ex Catholicis interpretationibus ab Augustino sæpius adhibita est, & tum potissimum in usu Patribus erat, quia confutandis Pelagianis eo tempore vigentibus maxime opportuna. At dein contraria invalescente hæresi Prædestinatianorum, quam Gothescalcus, Lutherus, Calvinus, Jansenius sectati sunt, alia Paulini textus interpretatio, quæ magis simplex & obvia est, & communis etiam fuit plerisque Patribus, præsertim Græcis, ab Augustino minime repudiata, & quoad sensum tradita, nunc totius Ecclesiæ ore celebratur, frendentibus nequidquam Jansenianis.

376. Dices I. Non est verisimile eum fuisse Pelagianorum & Massiliensium stuporem, ut putarent efficacem Dei voluntatem non semper impleri. Ergo errarunt in eo, quod dicerent Deum simpliciter velle omnes salvos fieri. R. D. A. Ut putarent, non impleri semper voluntatem Dei absolutam & simpliciter efficacem, C. A. Voluntatem Dei absolutam quidem & efficacem quoad collationem mediorum, sed respectu æternæ salutis conditionatam ex parte hominum, N. A. & C. Pelagiani & Massilienses non docebant voluntatem Dei pro salute omnium simpliciter & absolute efficacem esse, sed conditionate tantum, conditione se tenente ex parte creaturæ. At utrique in ea conditione errabant. Pelagiani, quod dicerent eam conditionem impleri posse solis viribus liberi arbitrii, absque gratia interiori: Massilienses vero, quod dicerent initium & desiderium salutis esse ex nobis tantum, licet ad ipsam salutem adipiscendam faterentur gratiam interiorem esse necessariam.

377. Dices II. S. Augustinus sæpissime, præcipue Lib. de Corrept. & Grat. Cap. XIV. & in Enchiridio, Cap. XCV. XCVI. XCVII. affirmat, omnipotentissimam esse Dei voluntatem, & semper impleri. Ergo

Ergo cum certum sit, reprobos non fore salvandos, legitime infertur, juxta Augustinum, Deum non velle ut reprobi salvi fiant. R. D. A. Affirmat voluntatem Dei absolutam, consequentem, & simpliciter efficacem semper impleri, C. A. Antecedentem, conditionatam ex parte creaturæ, & effective inefficacem, N. A. & C. Absolutam & efficacem Dei voluntatem semper impleri, nemo nisi aperte fatuus, vel impius, aut sacrilegus negaverit. Et de hac Estheris XIII. dicitur: *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Psal. CXXXIV. *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit.* Voluntatem Dei vero seriam quidem, sed conditionatam ex parte hominis, cujus effectus non ex sola Dei voluntate pendet, sed ex libera operatione & consensione hominis, non semper impleri testantur sacræ Litteræ. Ezechiel. XVIII. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Matth. XXIII. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Tum infinita alia, quibus contra voluntatem suam niti improbos, ac mandata sua contemni conqueritur Deus. Agnovit hanc S. Augustinus, tum alibi sæpius, tum Lib. de Spiritu & Littera, Cap. XXXIII. *Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est.* Fatetur ipse Jansenius Lib. X. de Gratia Christi, Cap. I. *Habuit Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, & quantum in se est, omnem beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est.* Cum Magistro suo ita sentiunt Jansenistæ. Suntne propterea omnes Angeli æternam beatitudinem consecuti? Num Adam, ut mediis etiam sufficientibus instructus poterat, & ut voluerat Deus, in justitia perseveravit? Minime. Ubinam hic igitur voluntas illa

omni-

omnipotentiſsima, quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra? Si autem omnes Angelos, atque adeo omnes homines ante lapsum Deus salvos fieri voluit voluntate inefficaci, elîduntur argumenta adversariorum omnia, quæ sive ex Scripturis, sive ex Patribus, sive aliunde pro unica voluntate Dei, eaque efficiente & absoluta, corradere consueverunt Jansenistæ: neque obest aliquid, quin voluntas Dei erga salutem prorsus omnium, etsi multorum intuitu inefficax, tamen vera & seria statuatur.

Neque ratione subsistit.

378. Objic. III. variæ ratiuncuîæ. I. Qui adhibet medium, quo certo scit finem non esse obtinendum, ille non vult serio finem. Atqui Deus ita se habet respectu salutis reproborum. Ergo. II. Frustranea & otiosa esset intentio salutis, si finis non obtineatur: & imprudentia foret ponere media in ordine ad finem cum certa notitia de fine non asequendo. III. Deus habet etiam voluntatem conditionatam damnandi homines, si gratiæ non cooperentur; neque tamen simpliciter dicitur is voluntate antecedente velle damnationem hominum. Ergo etiam dici non potest velle voluntate antecedente, ut omnes homines salvi fiant. IV. Deus non potest sincere velle id, quod præscit non esse futurum: sed præscit non esse futuram salutem reproborum. Ergo. V. Providentiæ ordo debet esse infallibilis. Ergo Deus providus non potest adhibere media ad aliquem finem, quin illum asequatur. VI. In statu naturæ lapsæ debent aliquibus positive decerni supplicia. Ergo Deus non potest serio velle omnium salutem. VII. Si Deus vellet omnium hominum salutem, non esset rogandus pro illa obtinenda. Atqui Apostolus jubet nos Deum rogare. Ergo. VIII. Voluntas Dei antecedens & consequens sibi opponerentur; Deus enim tali modo serio vellet, simulque non vellet salutem reproborum. R. ad I. rationem. D. M. Si ille expresse nolit finem obtinere, vel si non adhibeat medium certius, quod adhibere tenetur, aut medio utatur de se insufficiente, C. M. Secus, N. M.

N. M. Deus adhibet media, id est, gratias vere de se sufficientes, quibus obtineri posset æterna salus, nisi obstaret malitia hominum: serio, quantum est in se, vult omnium ac singulorum hominum salutem, nec efficaciora media tenetur adhibere, ne homines propria malitia intereant. Quod si quæras, cur Deus huic det gratias mere sufficientes, alteri efficaces? R. cum Apostolo: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Ad II. N. A. Intentio salutis, quamvis finem non obtineat, non est frustranea aut otiosa; sed per illam divina bonitas erga omnes ostenditur, ac propter illam Deus dat omnibus ac singulis hominibus gratias vere sufficientes. Quod vero salus non sequatur, non provenit a voluntate Dei, sed ab hominis malitia. In provisore particulari, qui alium finem procurare nequit, foret aliqua imprudentia; at vero Deus, qui libertatem homini auferre non vult, potest finem alium procurare, nempe suam gloriam ex manifestatione divinæ justitiæ in puniendis reprobis. Sic etiam prudenter vult Deus servari sua præcepta, quamvis certo prævideat a plurimis non fore servanda. Ad III. C. A. N. C. Disparitas est, quia Deus non vult damnationem ita, ut ad illam obtinendam velit poni media, id est, peccata: neque vult impleri conditionem, sub qua vult damnationem. Contra vero, salutem omnium ita vult, ut ad illam obtinendam conferat gratiam, serioque, quantum est in se, desideret impleri conditionem, sub qua vult salutem omnium. Ad IV. R. I. Ergo neque desiderare & velle potuit Deus salutem omnium Angelorum, & perseverantiam Adami in custodiendo præcepto? R. II. D. M. Deus non potest velle, quod præscit non esse futurum defectu tenente se ex parte Dei, C. M. Defectu tenente se ex parte hominum, subdistinguo. Non potest id velle voluntate consequente, C. Voluntate antecedente & conditionata, N. M. Ad V. D. A. Providentiæ ordo est infallibilis, secundum quod est scientia & intentio

finis

finis universalis, C. A. Secundum quod est intentio finis particularis, subdist. Si finis absolute & efficaciter intendatur, C. Si conditionate tantum, & non absolute, N. A. & Consec. Ad VI. D. A. Debent decerni supplicia antecedenter ad prævisa eorum peccata. N. A. Consequenter ad prævisionem peccatorum, C. A. N. C. Ad VII. N. M. Deus rogandus est, ut potius det gratias congruas, quam mere sufficientes; & quia gratiam daturum se promisit, si rogetur. Sic etiam rogamus, ut gregem suum Pastor æternus non deserat, licet promisione divina constet, numquam fore ut illum deserat. Ad VIII. R. N. A. Voluntas antecedens & consequens sibi non opponuntur; quia versantur circa idem objectum diverso modo consideratum, ac pro diversis circumstantiis. Voluntas antecedens considerat hominem præcisis circumstantiis personalibus meriti vel demeriti; consequens vero spectat salutem hominis, facta consideratione circumstantiarum personalium meriti vel demeriti.

Morti Christi pro omnibus obitæ neque adversatur Scriptura.

379. Objic. IV. contra II^dam^ Conclusionem, Auctoritas Scripturæ. Matth. XXVI. dicitur: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Ad Hebr. IX. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Ergo Christus non pro omnibus est mortuus. II. Christus ipse dicit se moriturum pro solis electis. Joan. X. *Animam meam pono pro ovibus meis.* III. Joan. XVII. ait Christus: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Ergo Christus oravit pro solis prædestinatis. *Confirm.* Oratio Christi semper a Patre exaudita est. Hinc Joan. XI. ait Christus: *Ego sciebam quia semper me audis.* Et Apostolus ad Hebr. V. *Exauditus est pro sua reverentia.* Ergo si orasset pro æterna salute omnium hominum, nullus damnaretur. R. I. Omnes ac singuli homines vere sunt multi, & sæpe Scriptura multorum nomine omnes intelligit. Sic Apostolus de peccato Adami ad Rom. V. ait: *Unius delicto multi mortui sunt*, id est, omnes. Et Christus Matth. X.

Multis

Multis paſseribus meliores eſtis vos. R. II. D. C. Ergo Christus non est mortuus pro omnibus, quantum ad efficacem meritorum suorum applicationem, & asſecutionem vitæ æternæ, C. C. Quantum ad sufficientem mortis suæ oblationem pro salute omnium, N. C. Ad II. eadem est responsio. Christus non æquali pro omnibus affectu est paſsus, ut delirabant Maſsilienses. Pro ovibus suis, id est, electis paſsus est, ut illis mereretur auxilia gratiæ congrua & efficacia, quibus adjuti certiſsime salutem æternam consequerentur; pro reprobis vero, ut illis sufficientes gratias mereretur, quibus salvari poſsent, licet ob malitiam suam eſsent perituri. Ex quo specialis Christi affectus ac prædilectio erga electos dignoscitur ac multiplex & diversus Paſsionis Dominicæ effectus. Ad III. Resp. peſsimam eſse hanc argumentationem: Christus paulo ante paſsionem suam Joan. XVII. non oravit pro reprobis. Ergo numquam pro illis oravit. Oravit enim vero Christus pro tortoribus suis, qui certe non erant omnes prædestinati Lucæ XXIII. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Atque etiam pro reprobis; alias non fuiſset, ut I. Joan. II. dicitur, *Propitiatio pro peccatis totius mundi*: neque meritus fuiſset illis temporalia gratiæ dona, ut ipsi Janseniani admittunt. Ad *confirm.* D. A. Oratio Christi absoluta & efficax semper fuit exaudita, C. A. Inefficax & conditionata, qualis etiam erat illa de paſsionis calice, quem a se transferri optaverat, si fieri poſset salva Patris voluntate, N. A. Non omnia Christi desideria suum habuere effectum; quia non omnia absoluta erant, neque ex ejus intentione efficacia. Sic illud, quod habuit de salute omnium hominum, conditionem continebat, si & ipsi velint, ut est in adultis: vel si nihil obsit ex aliorum defectu, ut in parvulis, qui sine baptismo, sive in utero matris, sive extra illum, decedunt.

380. Objic. V. Auctoritas Patrum, præcipue S. Aug. qui mortem Christi ad solos prædestinatos refert. Lib. I. de adulterinis Conjugiis, Cap. XV. ita *Neque Patres.*

scribit: *Sicut enim omnis qui ſanguine Chriſti redemptus eſt, homo eſt; non tamen omnis qui homo eſt, etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt.* II. Serm. CLV. alias VI. de Verbis Apost. docet, quod *Deus miſerit Filium ſuum propter prædeſtinatos vocandos, juſtificandos, & glorificandos.* III. Tract. V. in Epist. S. Joannis, expendens illa verba, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis &c.* ait per *mundum* intelligi fideles per orbem sparsos. IV. S. Hier. in Psalm. XLIII. ait, *Sanguinem Agni pro Judæis effuſum non eſſe.* S. Anselmus in Elucidario, Christum *pro ſolis electis* mortuum eſse. S. Thomas III. Parte Quæst. XXI. Art. IV. ad II. scribit, *Dominum non oraſſe pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed pro his ſolum qui erant prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.* Ergo. R. ad I. Ex illo textu plus non sequi, quam non omnes Christi sanguine redemptos fuiſse, redemptione sibi utili & fructuosa, & hoc quidem propria ipsorum culpa. Ad II. R. Deus misit Filium suum propter prædestinatos vocandos vocatione congrua, atque etiam propter reprobos vocandos vocatione, quæ eſset ex eorum malitia futura incongrua. Ad III. Augustinus l. c. agit contra Donatistas, qui jactabant Ecclesiam Christi contineri dumtaxat intra cœtum hominum Donati sectam profitentium in Africa: ostenditque S. Doctor, omnes fideles per orbem sparsos pertinere ad Ecclesiam. Quamquam ex eo, quod Christus pro Ecclesia mortuus eſse dicatur, recte contra Jansenium infertur, eum pro aliis, quam pro solis prædestinatis mortuum fuiſse: in Ecclesia enim multi sunt reprobi, pro quibus consequenter mortuus Christus dicendus est. Ad IV. Resp. I. neque Commentarium in Psalmos S. Hieronymi, nec Elucidarium genuinum eſse fœtum S. Anselmi. Resp. II. Sermonem ibi eſse de voluntate Dei efficaci & absoluta, de redemptione fructuosa quantum ad aſsecutionem vitæ æternæ, non quantum ad sufficientem intentionem, & animum offerendi pretium sanguinis sui. S. Thomas plurimis

locis

locis tradit, Deum velle omnes homines salvos fieri, omnibusque gratias dare vere sufficientes, ut Lib. III. contra Gentes Cap. CLIX. Comment. in Cap. XII. Epist. ad Hebræos & Comment. in I. ad Timoth. &c. Ergo Christum pro omnibus mortuum esse sensit.

Neque Concilia.

381. Objic. VI. Auctoritas Conciliorum. Valentinum III. sæculo IX. damnavit quatuor Capitula Carisiaci Concilii, quorum ultimo definiebatur, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus: hancque damnationem ratam habuere Synodus Lingonensis, Tullensis, & ipse S. Nicolaus I. R. Patres Valentinos in quæstione facti errasse, putantes a Carisiaca Synodo definitum esse, quod Christus æquali affectu pro omnibus mortuus fuerit, atque pro illis etiam liberandis, qui ante passionem Christi mortui in inferno torquebantur: Quod Carisiaci Patres non modo non docuerunt, sed ne somniarunt quidem. Cæterum quoad substantiam eadem fuit utriusque Synodi doctrina; Valentinum enim doctrinam de morte Christi pro omnibus, etiam reprobis, oblata manifeste supponit Canone II. ubi ait: *Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Et Can. V. docet, omnes tam reprobos quam prædestinatos sanguine Christi redemptos esse. Damnatio quatuor Capitulorum Carisiacorum inconsulte & ex falsa suppositione facta, neque a Lingonensi aut Tullensi Synodo, neque a Nicolao I. approbata est, sed tantum Valentinorum Patrum censura, qua XIX. Capitula Joannis Scoti Erigenæ perstrinxerant. Sed plura de his, uti & Remigio Lugdunensi, ac Prudentio Trecensi disseram Tomo V. ubi de Hæresi Prædestinatiana ex instituto agetur in prævia Dissertatione Historica IV.

Neque ratio.

382. Objic. VII. Ratio. Christus scivit Deum decrevisse reprobos damnare, hocque Decretum esse irrevocabile. Ergo non potuit serio mortem suam

Deo offerre pro salute reproborum. *Conf.* S. Aug. Lib. XXI. de Civit. Dei, Cap. XXIV. ait: *Si de aliquibus ita certa esset*, (Ecclesia) *ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso.* Ergo neque Christus pro illis oravit, aut passionem suam obtulit. R. I. Etsi hæc oratio & oblatio sufficienter explicari non posset, minime tamen ex eo sequeretur, Christum non orasse, aut sanguinem suum non obtulisse pro salute reproborum. Similis difficultas premit etiam Jansenianos, qui admittunt Deum serio voluisse omnes Angelos salvos fieri. Quomodo enim potuit Deus id serio velle, cum infallibiliter prævíderit eos fore damnandos? R. II. C. A. D. C. Ergo non potuit mortem suam offerre pro reprobis, voluntate absoluta, efficaci, ac supponente eorum reprobationem, C. C. Voluntate conditionata, antecedente, effective inefficaci, N. C. Christus fuit Redemptor omnium, scivitque voluntatem Patris esse, ut pro omnibus oraret; quia nulli data, aut danda erat gratia sufficiens, nisi cui illam ipse mereretur: ideoque oravit Christus, ut oratio & passio omnibus prodesset, quantum in se erat. Ad *conf.* R. S. Augustinum agere ibi contra Origenistas, qui docebant actu jam damnatos liberandos esse post plura sæcula, precibus & intercessione Sanctorum. Quare C. A. N. C. Christus est Caput, Redemptor, ac Mediator omnium hominum: adeoque quamvis sciret reprobos esse damnandos, ad ipsum tamen pertinebat obtinere etiam reprobis auxilia sufficientia. Contra Ecclesia non est caput, non est reconciliatrix, sed reconciliata per sanguinem Jesu Christi: adeoque non pertinet ad ipsam orare pro illis, quos certo sciret esse reprobos.

Parvulos ab hoc beneficio excludi, neque asserit Augustinus.

383. Objic. VIII. contra III. Conclusionem, Auctoritas S. Aug. qui Epist. CCXVII. alias CVII. ad Vitalem ait: *Quomodo dicitur omnes homines eam* (gratiam Dei) *fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerunt, quoniam Deus vult*

omnes homines salvos fieri; cum multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cum repente antequam detur exspirat, pro quo, ut acciperet, currebatur? Ergo cum Deus nolit, ut parvulus ad baptismum perveniat, seria Dei voluntas ut omnes salvi fiant, ad parvulos se non extendit. II. Idem S. Doctor sæpe affirmat, parvulos sine baptismo decedentes damnari ob solum peccatum originale; nullibi autem docet perire illos ob negligentiam, vel defectum parentum. R. ad I. C. A. N. C. Verba illa, *Deo tamen nolente*, non sunt intelligenda de voluntate Dei antecedente, sed de illa quæ consequitur impedimentum libere ab eo positum, cui Deus alligavit salutem & baptismum parvuli. Ad II. R. S. Augustinum contra Pelagianos docere, quod parvuli non pereant ob demerita personalia conditionate prævisa, ut illi somniabant; sed ob peccatum originale. Quomodo autem Deus salutis media conferat parvulis, id Augustinus nullibi examinavit. Quod si dicas, tali modo Baptismum & salutem ac interitum parvulorum adscribi meritis, vel demeritis parentum. R. Baptismum & salutem parvulorum adscribimus gratiæ Dei; damnationem vero peccato originali. Hoc solum asserimus, parvulos non privari baptismo ex sola voluntate Dei, sed ex defectu libero illorum, quorum voluntati alligata fuit salus parvuli.

334. Objic. IX. Ratio. Parvuli non possunt pervenire ad agnitionem veritatis. Ergo verba Apostoli I. ad Timoth. II. non possunt intelligi de parvulis. II. Si Deus vellet omnes parvulos salvos fieri, non interiret tantus quotidie illorum numerus. R. ad I. N. A. Parvuli ad agnitionem veritatis perveniunt, quia per baptismum veniunt ad fidem habitualem, creduntque per fidem Ecclesiæ: tum etiam quia, si in ea ætate decedant, certo perveniunt ad gloriam, ubi clara est veritatis agnitio. Ad II. N. A. *Neque ratio evincit.*

Deus

Deus vult etiam omnes adultos salvos fieri; & tamen plurimi quotidie ex ipsis fidelibus, per baptismum regeneratis, misere intereunt.

CONTROVERSIA XIV.

AN CHRISTUS IN CRUCE DESPERAVERIT, ET AN POST MORTEM VERE AD INFEROS DESCENDERIT?

CONTRA CALVINUM.

Portentum Calvinianæ blasphemiæ.

335. Notum est tetrum illud Calvinianæ blasphemiæ portentum, quod vel dæmonibus ipsis horrori sit, Christum nempe in Cruce verba desperationis protulisse, dirosque in anima perditi ac damnati hominis cruciatus pertulisse, quales ipsi dæmones ac reprobi apud inferos sustinent. In Harmonia Evangelica ad Caput XXVII. Matthæi scribit Calvinus: *Videmue Christum ex omni parte sic vexatum fuisse, ut desperatione obrutus, ab invocando Deo abstineret: quod erat saluti renuntiare.* Et Lib. II. Institut. Cap. XVI. Paragr. X. *Ex Propheta retulimus, fuisse propter scelera nostra a Patre percussum, attritum propter nostras infirmitates. Quibus significat in locum sceleratorum, sponsorem, vadem, adeoque instar rei submissum, qui dependeret ac persolveret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas; uno hoc dumtaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Tum Cap. XVI. Paragr. XII. tempus determinat, quo in inferno versari cœpit: *Si nunc roget quispiam, an tunc descenderit Christus ad inferos, cum mortem deprecatus est: respondeo, hoc fuisse exordium: unde colligi potest, quam diros & horribiles cruciatus perpessus fuerit, cum se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostra causa.* Deinde profundius descendisse ait, quando in Cruce clamavit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Denique profundissime, quando coram divino tribunali comparuit tamquam reus æternæ mortis, & severissimum Dei irati judicium sustinuit. Id

ipsum

ipsum & in Catechismo docet, Dominica X. ubi inferorum pœnas ac damnationis supplicium nihil esse aliud existimat, quam *coram Dei tribunali se sistere, torquerique hac anxietate ejus conscientiam, ac si derelictus a Deo esset: immo ac si Deum haberet infestum.* Denique, *hinc colligimus*, inquit, *quid differat conscientiæ tormentum, quod sustinuit, ab eo, quo cruciantur peccatores, quos Dei irati manus persequitur. Nam quod in illo temporarium fuit, in his est perpetuum.* Porro huic pœnæ infernali, quam Christus peccatis nostris debitam, loco nostro sustinuit, totam fere redemptionem nostram tribuit; ita ut sine hoc ad inferos descensu mors in Cruce non fuerit futura alicujus pretii. Lib. II. Institut. Cap. XVI. Paragr. X. scribit: *Nihil actum erit, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus. Sed operæ simul pretium erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret.* Et infra: *Unde etiam eum oportuit cum inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus luctari.* Quare non alio sensu Christum ad inferos descendisse admisit Calvinus, quam isto, quod nempe Christus damnatorum pœnas pertulerit in Cruce, eamque anxietatem ex metu salutis propriæ amittendæ passus sit, qualem pateretur, qui sciret æternum se periturum esse.

386. Conclusio I. Dogmatica. Christus in Cruce non desperavit, nec pœnas damnatorum pertulit. Prob. I. Auctoritate Scripturæ. Eodem tempore, quo Christus dixit Matth. XXVII. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* subjunxit Lucæ XXIII. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quæ verba certe non sunt desperantis. Prob. II. evertendo fundamentum Calvini. Falsum est, esse in inferno nihil aliud significare, quam timere Deum iratum; alias sequeretur multos adhuc viventes, damnatorum pœnas pati, quod statui hominis viatoris repugnat: multi enim dantur, qui certo sibi persuadent Deum se habere iratum, & qui de æterna salute sua desperare incipiunt. Falsum præterea est, salutem nostram doloribus inferni, quos Christus nostra

Christus in Cruce non desperavit.

tra causa pertulerit, adscribendam esse. Scriptura enim illam semper sanguini, & morti corporali Salvatoris nostri tribuit. Ad Ephes I. *In quo habemus redemptionem sanguinem ejus.* Ad Coloss. I. *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt,* 1. Petri I. *Redempti estis pretioso sanguine, quasi Agni immaculati.* I. Joan. I. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Apocal. V. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Prob. III. Ratione Theologica. Ima est. Si Christus in Cruce emisit verba desperationis, vel ea emisit deliberata voluntate, vel subreptitie, atque ex inadvertentia? Si primum dicas: ergo Christus vere desperavit, ac desperando peccavit. Quomodo ergo per peccatum nos a peccato redimere potuit? Si alterum: ergo in Christo locum habebant inordinatæ ac tumultuantes passiones; quandoquidem metus prævenire potuit rationem, & desperationis vocem ab invita voluntate extorquere. Atqui hoc Scripturæ, sanæ rationi, atque ipsi etiam Calvino repugnat, qui Lib. II. Instit. Cap. XVI. Paragr. XII. affirmat Christi naturam fuisse perfectam, nullamque fuisse in eo passionum inordinationem. II. Christus in primo jam instanti unionis hypostaticæ erat beatus, fruebatur visione intuitiva Dei, sciebatque statum illum fore perpetuum; cum perpetuitas sit de essentia beatitudinis, hominemque securum reddat, metuque illius amittendæ liberum. Ergo cum Christus certus fuerit, non posse se a beatitudine excidere, non potuit desperare. Ex quo sequitur, Christum non pertulisse pœnas damnatorum, quia illæ essentialiter includunt desperationem salutis; sicut beatitudo certitudinem salutis numquam amittendæ.

Secundum animam vere ad inferos descendit post mortem, ut docent Scripturæ.

387. Conclusio II. Dogmatica. Anima Christi, posteaquam in morte separata fuit a corpore, vere ad inferos descendit. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Psalmo XV. dicitur: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quæ verba de Christo intelligenda esse

esse testatur S. Petrus Act. II. Ad Ephes. IV. ait Apostolus: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Ubi verba *in inferiores partes terræ* non significant terræ superficiem, quæ est pars superior: neque sepulcrum Christi, quod etiam supra terram fuit; sed locum subterraneum, sive infernum; tum quia sic proprietas verborum salvatur; tum quia Apostolus subjungit: *Ut impleret omnia*, id est, ut coram visitaret omnes partes regni sui, quod triplex est juxta illud ad Philipp. II. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur: cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Matth. XII. dicitur: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ.* Ubi per *cor terræ* profundiorem terræ partem, id est, subterranea loca seu inferos, Patres intelligunt, nempe S. Irenæus Lib. V. adv. Hær. circa finem. Tertul. Lib. de Anima, Cap. XXXI. S. Greg. Nyss. Orat. I. de Resurrectione. S. Hier. Comment. in Cap. II. Jonæ: *Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur.* I. Petri III. scriptum est: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Nóè.* Horum verborum sensus est iuxta Tirinum: Christus in spiritu, id est, quo ad animam, veniens in limbum prædicavit piis ad gloriam et salutem, impiis in inferno ad confusionem: atque etiam his, qui temporibus Nóè increduli fuerunt aliquando, non credentes initio minis et prophetiæ Nóè, quia pollicebantur sibi longanimem Dei patientiam, qua diffimularet eorum scelera. Postea tamen adveniente diluvio conversi sunt, et poenitentiam egerunt: atque ita licet aquis præfocarentur, salvati tamen sunt, et ad limbum cum reliquis iustis relegati;

a quo illos Christus iam a morte descendens, cum omnibus aliis iustis inde eduxit.

Et Patres tam Græci.

388. Prob. II. Auctoritate Patrum Græcorum et Latinorum. S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer. Cap. XLV. ait, *eapropter Dominum in ea, quæ sunt sub terra descendisse, evangelizantem et illis adventum suum.* Et Lib. V. Cap. XXXI. *Cum enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit.* Clemens Alexandr. Lib. VI. Stromatum: *Praedicavit iis Dominus, qui erant apud inferos.* Origenes Hom. XV. in Genes. *Unigenitus Filius pro salute mundi usque ad inferna descendit, et inde protoplastum revocavit. Quod enim dicit ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso, non hoc illi soli dictum, sed etiam omnibus Sanctis dictum intellige, pro quibus in inferna descenderat.* Eusebius Lib. VIII. Demonstrat. Evangelicæ: *Carnis expers, & nudatus corpore, quod assumpserat, ad hostium regionem descendit ille, qui est ipsa vita, ut mortem destrueret, & insurgentes in se virtutes.* S. Athanasius Lib. de Incarnatione Christi adversus Apollinarem: *Persuasum igitur habetote, interiorem nostrum hominem esse animam. Quod & prior formatio hominis indicat, & hac posterior dissolutio. Nec id tantum in nobis, sed etiam in ipsa Christi morte demonstratum est: in qua alterum, id est, corpus pervenit ad sepulcrum, anima vero ad inferos usque penetravit.* S. Cyril. Jerosol. Catech. IV. *Descendit ad inferos, ut & illinc justos liberaret.* S. Greg. Nazianz. Orat. XXXV. *Sepelitur, verum resurgit: ad inferos descendit, verum animas sursum educit.* S. Epiphanius Hær. XX. *In cruce suspenditur, sepelitur, ad inferos cum Divinitate sua animaque descendit: captivam ducit captivitatem.* S. Chrys. Hom. II. in Matthæum: *Cogita apud te quantum sit audire, quemadmodum e cœlis ac thronis regiis exurgens, in terram, & in inferos ipsos exiliit Deus, & in acie stetit.* S. Cyril. Alexandr. Lib. XII. in Joannem: *Post triduum revixit, postquam spiritibus, qui erant in custodia, prædicavit. Sic enim plenissime*

me ſuam oſtendit humanitatem, quod non ſolum iis, qui adhuc in terra degebant, ſalutem attulit: verum etiam iis, qui jam vita functi erant, & in abyſſi penetralibus ſedebant in tenebris, ut ait Scriptura, prædicavit indulgentiam. S. Damasc. Lib. III. de Fide Orthodoxa, Cap. ult. *Deſcendit in infernum anima deificata, ut quemadmodum iis, qui in terra, juſtitiæ ortus eſt Sol, ſic & iis, qui ſub terra in tenebris & umbra mortis ſedebant, lux refulgeret.*

389. E Latinis Tertul. Lib. de Anima, Cap. IV. *Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt, in receſſu intimo & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam clauſo, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quod ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundum Scripturas, & ſepultus ſecus eaſdem, huic quoque legi ſatisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus; nec ante aſcendit in ſublimia cœlorum, quam deſcendit in inferiora terrarum; ut illic Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret.* S. Hilar. Comment. in Psalm. LIII. *Morte enim non interceptus eſt Unigenitus Dei Filius: ad explendum quidem hominis naturam etiam morti ſe, id eſt, diſceſſioni ſe tamquam animæ corporisque ſubjecit: & ad infernas ſedes, id quod homini debitum videtur eſſe, penetravit,* S. Ambr. Comment. in Psalm. CXVIII. *Siquidem hæc per os Prophetæ locutus eſt Dei Filius, in perſona hominis locutus, qui per Incarnationem deſcendit in terras, per reſurrectionem aſcendit in cœlum; per corporis mortem penetravit infernum, ut ſolveret alligatos.* S. August. Epist. CLXIV. alias XCIX. ad Evodium: *Quis ergo niſi infidelis negaverit fuiſſe ad inferos Chriſtum? -- Quamobrem teneamus firmiſſime, quod fides habet fundatiſſima auctoritate firmata, quia Chriſtus mortuus eſt ſecundum Scripturas, & cætera quæ de illo teſtatiſſima veritate conſcripta ſunt. In quibus etiam hoc eſt, quod apud inferos fuit ſolutis eorum doloribus, quibus eum erat impoſſibile teneri: a quibus etiam recte intelligitur ſolviſſe & liberaſſe quos voluit, corpusque quod in cruce reliquerat, in ſepulcro poſitum recepiſſe.*

Quam Latini.

S. Hier. in Cap. IV. Epist. ad Ephes.: *Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster, Salvatorque descendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor abduceret.* S. Gaudentius Brixiensis Tract. X. *Divinitas cum anima hominis ad inferna descendens, vocavit de locis suis animas Sanctorum, quorum corpora surrexisse Matthæus Evangelista testatur.* S. Leo M. Epist. XCIII. ad Thuribium, Cap. XVII. *Miror cujusquam Catholici intelligentiam laborare, tamquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulcro: quæ sicut vere & mortua est, & sepulta, ita vere est tertio die resuscitata.* S. Maximus Taurinensis in Expositione Symboli: *Nec impossibile ei fuit ascendere, cui possibile fuit inferos triumphare.* S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. II. *In sepulcro idem Deus homo factus jacuit, & ab inferis idem Deus homo factus tertio die resurrexit. Sed in sepulcro secundum solam carnem idem Deus jacuit, & in infernum secundum solam animam descendit.*

Variæ Quæstiones. 390. Quæres I. An Christus ad inferos descenderit secundum substantiam suam, vel tantum per efficaciam? II. An Christus secundum corpus & animam? III. Et ad quæ loca inferni descenderit? IV. An Christo fuerit aliqua pœna esse in inferno? V. Quamdiu anima Christi apud inferos permanserit? Resp. ad I. contra Durandum, vere secundum substantiam suam descendisse; quia Scriptura & Patres diserte affirmant, Christi animam descendisse ad inferos, & carnem mansisse in sepulcro. Certum est autem carnem vere ac proprie, non per tropum vel per effectum, mansisse in sepulcro. Ergo etiam anima Christi secundum essentiam & substantiam vere ac proprie ad inferos descendit, non per tropum, aut efficaciam. Ad II. Resp. Animam Christi descendisse unitam personæ ac Divinitati Verbi, absque corpore tamen. Nihilominus Divinitas & persona Verbi etiam corpori in sepulcro unitæ permanserunt ob indissolubilem nexum unionis hypostaticæ. Ad III. Resp. Quam-

Quamvis id certum non sit, valde tamen probabile esse, quod anima Christi vere ac proprie secundum substantiam descenderit ad omnia loca inferorum, atque ipsum etiam damnatorum carcerem, juxta illud Ecclesiastici XXIV. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes.* Favent huic sententiæ apud Bellarm. Lib. IV. de Christo, Cap. XVI. complures ex Patribus, S. Aug. Epist. CLXIV. alias XCIX. ad Evodium, S. Fulgentius Lib. III. ad Trasamundum, Cap. XXX. S. Cyril. Jerosol. Catech. IV. Eusebius Lib. VIII. Demonst. Evang. S. Greg. Nyss. Orat. I. de Resurrect. S. Cyril. Alexandr. Lib. XII. in Joan. Cap. XXXVI. &c. Ad IV. Resp. cum S. Bonaventura in III. Dist. XXII. Quæst. IV. negative: Christus fuit in loco pœnæ, sed sine pœna: neque enim pœna vocatur, si Rex invisat carcerem. Neque beneficium fuit liberatio Christi ab inferno ratione loci, sed ratione separationis animæ a corpore. Atque hoc tantum fortasse sensu S. Thomas III. Parte, Quæst. LII. Art. I. & II. dicit, Christo fuisse aliquam pœnam esse in inferno, & in sepulcro, nempe ratione tantum separationis animæ a corpore. Ad V. Resp. toto eo tempore, quo cadaver jacuit in sepulcro.

Argumenta contraria refutantur.

391. Objic. I. contra I. Conclusionem, Auctoritas Scripturæ. Matth. XXVII. v. 46. Christus in Cruce dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ergo Christus in Cruce desperavit. II. Isaiæ LIII. dicitur Christus a Deo *percussus, & humiliatus.* Ergo pertulit pœnas inferni. III. Act. II. dicitur: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Ergo pertulit dolores inferni; alias solvi ab illis non potuisset. Resp. ad I. C. A. N. C. Hæc vox non desperantis est, sed admirantis, cur pœnæ non mitigentur, cur in tanto

Christum in cruce damnatorum pœnas pertulisse, neque ex Scriptura.

tanto corporis cruciatu derelictus sit. Exprimit ergo Christus suos cruciatus per modum conquerentis, tum ut insinuet se ex parte sua nullam dediſse causam: tum ut ostenderet se vere dolores ac cruciatus nostra causa tuliſse. Præterea ipse Calvinus admittit, priora verba, *Deus meus, Deus meus*, fuiſse verba fidei. Ergo posteriora verba, *Ut quid dereliquiſti me?* non erant verba desperationis: nisi quis impie dicat, Christum tam imperfectum & inconstantem fuiſse, ut non potuerit ex fide quatuor verba continuare. Ad II. N. C. Christus a Deo dicitur percussus & humiliatus, non quasi Pater illum odiſset; sed quia permisit illum occidi ad delenda peccata nostra Ad III. N. C. Scriptura non dicit, Christum fuiſse solutum, seu liberatum a doloribus inferni, quibus antea tenebatur; sed dolores inferni fuiſse solutos a Christo, quod dupliciter intelligi potest. Primo, quod solverit, id est, irritos fecerit & evitaverit dolores inferni, ne ab illis teneretur, ne in illos incideret. Secundo, quod solverit dolores inferni, quibus animæ justorum ante descensum Christi tenebantur, id est, quod liberaverit animas electorum a doloribus inferni. Atque utrumque hunc sensum approbat S. Aug. Epist. CLXIV. alias XCIX. ad Evodium.

Neque ex ratione evincitur.

392. Objic. II. Ratio. Christus luere debuit omnes pœnas, quas peccata nostra merebantur. Sed illa merebantur non tantum mortem temporalem, verum etiam gehennam. Ergo illam Christus in Cruce pertulit: aut si non pertulit, nos a gehenna non redemit. II. Si Christus solum timuiſset mortem corporis, infirmior fuiſset multis hominibus, quorum aliqui audacter mortem subierunt: alii autem, quamvis mortem timeant, nunquam tamen se eo adigi patiuntur, ut sanguinem sudent. Ergo Christus æternæ salutis discrimen metuebat. Resp. ad I. N. M. Pretium satisfactionis a Christo præstitæ non debet desumi a diuturnitate, & qualitate pœnarum, sed ex dignitate personæ patientis, & ex charitate, qua patieba-

tiebatur, alias sequeretur omnino, quod Christus per totam æternitatem pati deberet pœnas inferni. Ad II. D. A. Si Christus coactus timuisset, sicut nobis usuvenire solet, quando metus rationem prævertit, T. A. Si timuit, quia voluit timere, N. A. Atqui Christus ita timuit, quia voluit, ut Aug. scribit Tract. XLIX. in Joan. *Non est dubitandum, eum non animi infirmitate, sed potestate turbatum esse.* Voluit nempe, ut copiosa esset ac superabundans redemptio, etiam timoris ac mœroris pœnam pro salute nostra subire, ideoque non permisit ut gaudium beatitudini adnexum se diffunderet in animam, sed de industria mentem defixit in omnia tormenta impendentia; quod sine dubio fuit opus summæ fortitudinis & charitatis. Præterea Christus non tam ob mala sibi impendentia, quam propter ingratitudinem & peccata nostra tristatus est, cum prævideret sanguinem suum pro plurimis frustra fundendum esse

393. Objic. III. contra II. Conclusionem, Auctoritas Scripturæ. Anima Christi fuit in Paradiso ea ipsa die, qua a corpore separata est. Ergo non descendit ad inferos. P. A. Christus Lucæ XXIII. Latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ergo. Resp. I. N. C. Potuit enim anima Christi per replicationem in utroque loco existere: sicut per replicationem existit Christus totus ac integer in pluribus locis sub speciebus Eucharisticis. Resp. II. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Nomine Paradisi neque venit hic paradisus terrestris, neque cœlum, sed beatitudo essentialis, quæ habetur per claram & intuitivam visionem Dei. Christus enim juxta illud Ecclesiastici XXIV. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*, primo statim adventus sui momento in limbum, non Latroni modo, sed reliquis etiam in sinu Abrahæ quiescentibus Spiritibus lumen gloriæ contulit, quo adjuti Deum clare & intuitive videbant, sicque essentiali beatitudine perfruebantur.

Descensui Christi ad inferos non repugnat Scriptura.

394.

Nov ratio. 394. Objic. IV. Ratio. Ex una parte putidiſsima est fabula, dari subterranea quædam animarum receptacula: ex altera parte animæ Patrum erant in cœlo, etiam ante adventum Christi, licet Deum nondum viderent. Ergo Christus non potuit vere ad inferos descendere, ut eas liberaret. Resp. N. A. quoad utramque partem. Apocal. V. dicitur: *Et audivi - - omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra.* Ad Philip. II. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur: cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Græce dicitur *ſubterraneorum.* Lucæ XVI. *Mortuus eſt autem dives & ſepultus eſt in inferno.* Ac paulo ante: *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Gen. XXXVII. ait Jacob: *Deſcendam lugens ad filium meum in infernum.* Quibus verbis neque intelligitur locus damnatorum, cum & Joseph & Jacob pietate insignes fuerint: neque intelligitur sepulcrum; quia Jacob se iturum dicit ad filium suum, quem putabat mortuum, atque a feris devoratum, ac proin sepulcro carere. Ergo intelligitur locus subterraneus, in quo post mortem animæ piorum versabantur. Idem maximo consensu aſserunt Patres, S. Irenæus Lib. V. prope finem. Tertul. in Apologet. Cap. XLV. S. Greg. Nyss. Orat. I. de Resurrect. S. Chrys. Hom. XXIV. in Matth. S. Hier. in Cap. XXIV. Isaiæ & in II. Jonæ. S. Aug. Lib. II. Retractat. Cap. XXIV. S. Cyril. Alexandr. Lib. de recta Fide ad Theodos. S. Greg. M. Lib. IV. Dial. Cap. XLII. S. Joan. Damasc. Lib. III. de Fide Orthodoxa, Cap. ult. Ven. Beda Lib. III. in Job, Cap. VII. &c. Alterum quod attinet, animas Patrum ante ascensionem Christi fuiſse in cœlo, peregrinum id est, atque in Ecclesia ad Calvini tempora usque inauditum, Scripturæ ac Patribus contrarium. Nam Gen. XXXVII. Jacob, quamvis piiſsimus, non ait, ascendam ad filium meum in cœlum; sed *deſcendam lugens ad filium meum in infernum.* Et Zachariæ IX. dicitur: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo*

non

non est aqua, intellige, refrigerii. Quo loco sermonem esse de Christo, patet ex præcedentibus, eodem capite v. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filiæ asinæ.* Quam prophetiam Christo applicat S. Matth. Cap. XXI. v. 4. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.* Idem sensere Patres, S. Irenæus Lib. V. circa finem. Tertul. Lib. IV. contra Marcionem. Origenes in Cap. V. Epist. ad Rom. S. Cyril. Catech. IV. S. Hilar. Lib. X. de Trinit. S. Basil. in Psal. XLVIII. S. Athanasius in Epist. ad Epictetum. S. Epiphanius Hær. XLVI. S. Ambr. Lib. III. de Fide, Cap. III. S. Hier. in Cap. IX. Zachariæ. S. Cyril. Alexandr. Lib. de recta Fide ad Reginas. S. Greg. M. Lib. XIII. Moralium, Cap. XXI. omnesque alii Patres, qui Christum ad inferos descendisse ajunt, ut piorum animas e carcere illo liberaret.

Non silentium Symbolorum.

395. Objic. V. Silentium Symbolorum. De Descensu Christi ad inferos nihil dicitur in Symbolo Nicæno, atque etiam in Symbolo Apostolico quod olim vetus Ecclesia recitabat. Illius enim non meminerunt S. Irenæus Lib. I. adv. Hær. Cap. II. Origenes initio Librorum de Principiis. Tertul. in Libris contra Praxeam, & de velandis Virginibus. S. Aug. Lib. de Fide & Symbolo, & in quatuor Libris de Symbolo ad Catechumenos, licet Apostolorum Symbolum explicent. Ergo dicendum est Ckristum ad inferos non descendisse, assutumque fuisse a male feriato homine hunc pannum Symbolo Apostolico. Resp. N. C. Quamvis in Symbolo Apostolico, quo olim utebantur Ecclesia Orientalis & Romana, hæc verba non haberentur; legebantur tamen in illo, quo utebantur Ecclesia Aquilejensis, aliæque, atque etiam in Symbolo, quod Athanasianum vulgo appellatur: atque olim legebantur a S. Cyril. Jero-

sol. Catech. IV. ac XIV. & S. Chrys. Hom. II. de Symbolo. Neque mirum est descensum Christi ad inferos in veteri Symbolo desiderari, quia implicite in his verbis continetur, *Et sepultus est*, ut monet Rufinus in Expositione Symboli, non quod inferorum nomine sepulcrum designetur; sed quia sicut corpus Christi Domini descendit ad suum locum, nempe terram, quæ est locus corporum: ita & anima ad locum animarum, videlicet ad eam inferorum partem, in qua captivæ tunc detinebantur Sanctorum animæ, ut eas inde educeret, atque ita captivam ducens captivitatem, triumphator in cœlum ascenderet. Cæterum, descensum Christi ad inferos communi fide semper ab universa Ecclesia fuisse receptum, manifeste arguunt, qui ubique terrarum tam in Orientali quam Latina Ecclesia floruerunt innumeri Patres, quorum doctrinam in probatione Conclusionis II. laudavimus.

O. A. M. D. G.

INDEX

INDEX RERUM PRAECIPUARUM,

quæ

in Tomo I. de Deo ejusque Christo continentur.

A.

Acaciani quid de Filio Dei senserint? 105.
Adoptio quid sit? 248.
Animæ justorum ante Christi ascensum non erant in cœlo. 394.
Antropomorphitarum error. 31.
Anomæi. 105.
Apollinaris Laodicenus. 169.
Apollinaristæ. 182. & 198.
Ariani Scripturas sacras corrumpunt. 72.
In tres factiones divisi. 105.
Arii doctrina. 103.
Ejusdem error circa animam Christi. 169.
S. Augustinus non favet Felici Urgellitano. 261.
Diserte docet, Deum velle omnes homines salvos fieri. 361.
Et Christum pro omnibus ac singulis hominibus mortuum fuisse 365.

B.

Barsumas Chalcedone damnatur. 270.
Basilidis insania. 167.
S. Basilius Divinitatem Spiritus Sancti propugnavit. 81.
Beatitudo quid sit? 37.
Quid ad illam requiratur? 41.
Beatitudo nostra est Deus. 38.
Beati in cœlo an aliud appetant præter Deum? 45.
An tristentur? 46.
Blandratæ blasphema vox. 48.

C.

Calvini horribilis blasphemia. 385.
Calviniani negant B. M. Virginem fuisse in partu. 195.
Cassiodori Complexiones. 55.
Cerdonis error. 3.
Chalcedonense Concilium, & quæ in eo contra Eutychetem gesta sunt. 272. & seq.
Christi anima in horto quomodo beata, & tristis? 47. 178. 179.
Christus est verus Deus, Patri consubstantialis. 124.
Christus, etiam qua homo, ultimi diem judicii non ignoravit. 140.
Christus est Messias in Lege promissus. 147.
Christus verum corpus assumpsit. 170.
Doloribus obnoxium. 171.
Et animam rationalem. 173.
Christi corpus formatum fuit in utero B. M. ex substantia Matris. 183.
In instanti unionis hypostaticæ. 184.
Et a solo Verbo assumptum est. 185.
Mediante anima 186.
Unitis sibi per unionem hypostaticam partibus integralibus naturæ humanæ. 187.
Nexu indissolubili. 188.
Christus natus fuit ex Maria semper Virgine. 199. 200. 201.
Christi genealogia cur a S. Matthæo per progenitores S. Josephi texatur? 207.
In Christo unica datur persona, eaque divina. 232.
Christus, etiam qua homo, proprius ac naturalis est Dei Filius. 251.
An Christus, qua homo, dici possit Dei servus & creatura? 255.
In Christo gemina datur natura, divina & humana, salvis utriusque proprietatibus. 279.
Et gemina voluntas ac operatio. 295.
Christi actiones & operationes triplicis generis sunt. 299.

In

In Christo datur communicatio idiomatum in concreto. 317.
Non tamen in abstracto inter naturam divinam & humanam. 321.
Christus vere ac proprie pro nobis satisfecit. 338.
Christus mediator fuit ut homo-Deus. 341.
Non secundum naturam divinam, sed ratione suppositi divini. 344.
Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus est. 363.
Christus in Cruce non desperavit, nec pœnas damnatorum pertulit. 386.
Christus secundum animam & Divinitatem vere post mortem ad inferos descendit. 387.
S. Chrysostomus Nestorio minime patrocinatur. 243.
Communicatio idiomatum quid sit? 315.
Cautelæ circa illam. 318.
CPolitanum I. Concilium contra Macedonium. 74.
Cur definiverit Spiritum Sanctum a Patre procedere, nulla facta mentione Filii? 93.
CPolitanum III. contra Monothelitas. 294.
Consubstantialis vox recte inserta fuit Symbolo Nicæno. 145.
Cur Ariani vocem hanc insectati sint? 145.
Vox hæc damnata non fuit sæculo III. a Patribus Antiochenis. 146.
S. Cyrillus Alexandrinus in Apollinaristarum errores numquam lapsus est. 226.
Eutychiano errori non favit. 286.
Ejus libri ab Eutychianis olim fuerunt corrupti. 286.

D.

Danielis prophetia de adventu Messiæ. 147.
Impleta non fuit temporibus Antiochi Epiphanis. 157.
Initium LXX. hebdomadum ducitur ab anno I. Cyri. 158.
Dei unitas demonstratur. 4.
Deus cur peccatum permittat? 14.

Deus est infinite perfectus in omni genere perfectionis. 23.
Deus non est corporeus, sed purissimus Spiritus. 32.
Deus est summa nostra beatitudo. 38.
Deus voluntate beneplaciti & antecedente vult omnes homines salvos fieri, ita ut per ipsum non stet quo minus omnes homines salvi fiant. 358.
Deus vult etiam parvulos sine baptismo ex hac vita decedentes salvari: ita ut per ipsum non stet quo minus ad baptismum perveniant. 370.
Quomodo eis media præparet? 371.
S. Dionysius Alexandrinus Spiritus Sancti Divinitatem numquam negavit. 81.
Dioscorus Alexandrinus homo periurus, nefarius & crudelis. 270.
Damnatur Chalcedone. 274.

E.

Ecthesis Heraclii Imp. 291.
Elipandi Toletani error. 249.
Ephesinum I. contra Nestorium. 221.
Acta Ephesi. 221. 222. 223.
Non prohibuit, urgente necessitate, Symbolo aliquid addere. 99.
Ephesinum latrocinium in causa Eutychetis. 270.
S. Epiphanius nusquam docuit Deum esse corporeum. 35.
Eutychetis errores. 266.
A veteribus hæreticis præformati. 267.
Ejus initia. 268.
Et artes. 269.
Ephesi absolvitur. 270.
Chalcedone damnatur. 272.
Eutychianorum, post Chalcedonensem Synodum, impia facinora, & sectæ. 278.

F.

Felicis Urgellitani hæresis. 249.
Damnata a Synodis. 250.

S. Hi-

S. Hilarii libros corrumpit. 256.
Errorem suum visus fuit instaurare, relicta post mortem scheda. 258.
Filius Divinus idem est cum Patre, & similis Patri. 117.
Qua ratione minor Patre dicatur? 139.
An Patribus Veteris Testamenti solus Filius apparuerit? 142.
Fratres Domini quinam dicantur? 213.

G.

Generatio in Divinis quid dicat? 115.
Gentilis Valentini errores, & mors. 49.
Gothescalci error. 355.
Græcorum error circa processionem Spiritus Sancti, levitas, pertinacia. 85.

H.

Helvidii hæresis. 197.
Herodes Magnus Rex Judææ. 148.
S. Hilarius quomodo a Christo omnem doloris sensum removeat? 179.
An carnem fuisse a Verbo adoptatam scripserit? 256. & seq.
Homo quo sensu ad imaginem Dei factus dicatur? 34.
Honorius Papa Monothelita non fuit. 305.
Prima illius ad Sergium Epistola corrupta est; altera vero supposititia est. 306.
Negligentiæ in supprimenda hac hæresi argui non potest. 307.
Damnatus quidem fuit ab Orientalibus, sed injuste. 308.
Roma Honorii damnationem numquam ratam habuit. 310.
Hypostasis quam notionem apud veteres Patres habuerit? 59.

I.

Jacobi Patriarchæ vaticinium de adventu Messiæ in Jesu Christo impletum fuit. 148.

An

An hoc vaticinium ad solam tribum Juda sit referendum? 150.
Quis hujus vaticinii sit sensus? 151.
Jansenii error. 356.
Jansenistarum fraudes & æquivocationes. 356.
Janseniana doctrinæ consectaria. 357.
S. Ignatius Martyr cur Christum *ingenitum* vocet? 114.
Quænam genuinæ sint ejus Epistolæ? 143.
Inferos dari, seu loca subterranea, & animarum receptacula, ostenditur. 394.
S. Joannes Apostolus cur Evangelium suum conscripserit? 101.
S. Joannis locus ille, *Tres sunt, qui &c.* genuinus est. Cur is in aliquibus Codicibus desideretur? 55.
Joannes Antiochenus Ephesi Nestorio patrocinatur. 222.
Pacem init cum S. Cyrillo Alexandrino. 225.
Personæ, non causæ Nestorii favit. 225.
S. Josephus an liberos susceperit ex alia conjuge, antequam sibi B. M. Virginem desponsarit? 213.
Joviniani error, & proscriptio. 195.
Isaiæ vaticinium intelligi debet de ortu Messiæ ex Matre Virgine. 202. & seq.
Judæi quandonam Sceptrum amiserint? 148.
Juliani Halicarnassei error. 168.
S. Julii I. Pont. Epistola ad Dionysium supposititia. 288.
S. Justinus M. Verbi Divinitati non adversatur. 143.

L.

S. Leonis II. Epistola ad Constantinum Pogonatum Imp. interpolata fuit. 311.
Itemque illa ad Ervigium Regem, & Hispaniæ Episcopos. 312.
S. Leo III. processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio agnovit; addere tamen Symbolo Constantinopolitano particulam *Filioque* noluit. 90.
Lex nova Veteri non contradicit. 16.

Lutheri de Nestorio & Eutychete, SS. Leone M. & Cyrillo Alexandrino judicium sine judicio. 227.
Lutheri error circa communicationem idiomatum. 319.
Occasio erroris. 320.

M.

Macarii Antiocheni incredibilis impudentia. 300.
Machabæi a quonam fuerint Principes constituti? 151.
Macedonii error. 70.
Mali quænam sit origo? 17. & seq.
Mala præsentis vitæ cum Dei bonitate non pugnant. 20. & 28.
Manichæorum errores de Deo. 2.
Marcion plura admisit rerum principia. 3.
B. Maria, Virgo fuit ante partum, illæsaque prorsus virginitate Christum de Spiritu Sancto concepit. 199.
Eadem Virgo fuit in partu. 200.
Et post partum. 201.
Vere ac propria dicenda est Mater Dei. 236.
Massiliensium, seu Semipelagianorum error. 351.
Mayroni absurda opinio. 196.
Melito Antropomorphitarum errorem non docuit. 35.
Miracula Gentilium falsa. 9.
Miraculum illustrissimum, quo Christi Divinitas evincitur. 136.
Monothelitarum errores. 290.
Initia & progressus. 291.
Proscriptio. 292. & 294.
Moshemii iniquissimum de S. Cyrillo Alexaodrino judicium. 227.
Mulieris nomine an in Scripturis veniant ea tantum, quæ a marito sunt cognitæ? 207.

N.

Nestorii initia. 215.
Impia doctrina 216.
Sequelæ. 217.
Magistri illius & præformatores. 218.

Ante

Artes & conatus. 219.
Frustra monitus a S. Cyrillo. 220.
Ephesi damnatur. 221.
Lege Cæsarea in exilium mittitur. 224.
Moritur. 224.
Nicænum Concilium I. contra Arianos. 104.
Noetus Anti-trinitarius. 48.

P.

Patres Antenicæni Christum verum esse Deum docuerunt. 132. & 135.
Cur sæpe jejune, & quandoque minus apte locuti fuerint de Mysterio Trinitatis, & Verbi Divinitate? 144.
Pelagianorum error. 355.
Personam Christi compositam quo sensu dixerit Constantinopolitana II. Synodus? 245.
Perfectio simplex, & simpliciter simplex quæ dicatur? 22.
Photini Sirmiensis hæresis. 108.
Photius Schismaticus. 90.
Phantasiastarum insania. 167.
Polythei quinam dicantur? 1.
Duplicis sunt ordinis. 3.
Polytheismi causæ. 2.
Praxeas Trinitatem personarum impugnat. 48.
Prædestinatiani. 355.
Primogenitus quinam in Scripturis dicatur? 212.
Processio in Divinis quid sit? 84.
Cur processio Spiritus Sancti non sit generatio? 91.
Processio ab alio nullam dicit imperfectionem. 122. & seq.

R.

Rationi humanæ non adversantur Mysteria revelata. 69.

S.

Sabellii error. 48.
Samosateni Pauli errores. 102.
Sanctificatio hominis cur Spiritui Sancto tribuatur? 79.

Sardi-

Sardicensis Synodus Generalis. 104.
Satisfactio condigna quid sit? 335.
Hanc exhibere purus homo non poterat. 336.
Schevet quid in Scripturis significet? 149.
Scytharum Monachorum turbæ. 245.
Semiariani. 105.
Non omnes fuere hæretici. 106.
Laborabant tamen suspicione hæresis, & temere rejecerunt vocem *Consubstantialis*. 107.
Serveti impietas & mors. 48.
Severus Antiochenus. 168. & 278.
Simon Magus. 48. & 167.
Socinus Lælius, & Faustus. 109.
Sociniani. 48. 70. 109. 195. 337.
Spiritus Sancti Divinitas ostenditur. 71.
Processio a Patre & Filio. 86.
Additio *Filioque* quando fuerit facta? 90.
An idem sit procedere ex Filio, vel per Filium? 94.
Spiritus Sanctus cur Pater Christi non sit? 208.
Substantiæ nomine quid veteres Patres intellexerint? 59.

T.

Tertullianus quo sensu dixerit Deum esse corporeum? 35.
Divinitati Verbi non adversatur. 114. & 143.
De Virginitate B. Mariæ in partu perperam sensit. 195.
Theodoretus an negaverit processionem Spiritus Sancti a Filio? 93.
Theopaschitarum errores. 278.
Trinitas Personarum in Deo ostenditur. 50.
Cur in veteri lege perfecte & explicite vulgo non fuerit cognita? 58.
Trinitatis Mysterium non inducit pluralitatem Deorum. 11. 61. & seq.
Typus Constantis Imp. 292.

U. V.

INDEX.

U. V.

Valentini error Dei unitati oppositus. 3.
Et Trinitati Personarum. 48.
Quid de Christi corpore senserit? 182.
Ubiquetariorum error. 319.
Non ab omnibus Lutheranis adoptatus. 320.
Rejicitur. 321.
Verbum divinum per æternam generationem prodiit a Patre Deo 90.
Verbi divini æterna generatio est radix omnis excellentiæ, quæ in Christo datur. 112.
Verbum per veram, realem, ac physicam unionem unitum fuit sanctissimæ humanitati. 228.
Unio hypostatica Verbum inter & humanam naturam est indissolubilis. 188.
Unio hypostatica cur dicatur naturalis, substantiva, & personalis? 241.

O. A. M. D. G.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

Biblioteka Główna UMK
300020637748

493914

400,-

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
411751 F

Biblioteka
Główna
UMK Toruń
493914